111
9
21

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
DECISIONES
Coram Rm̃o P. Domino
CYRIACO LANCETTA
Ejuſdem Sac. Rotæ Decano

Ac Sacræ Pœnitentiariæ Regente, Viro utriuſque Juris Peritiſſimo

Ex propriis autographis diligenter depromptæ, Argumentis, Summariis, atque locupletiſſimo generali Indice adauctæ.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XII.
PONT. OPT. MAX.

DICATÆ.
TOMUS SEXTUS, ET ULTIMUS.

ROMÆ, M. DCC. XXXIII.
Typis, & Sumptibus Hieronymi Mainardi in platea Montis Citatorii.
SUPERIORUM PERMISSU.

INDEX ARGUMENTORUM;

Quæ in hoc sexto Volumine continentur.

veniant in æquali stabilium divisione consideranda, & quomodo hæc fieri debeat. 19.

Reatina Primogenituræ de Nobilibus super Reservatis.

Veneris 16. *Januarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Actori Fideicommissario ad ea bona denegatur immissio, quæ à suo Fideicommittente provenire non doceat, itaque provententia an sit ex antiquo unius de Domo fideicommisso, vel ex primogenitura ab altero ex post instituta per divisionum enunciativas, laudum, similesque probationes deducitur, neque illi datur actio vindicandi bona primogenialia in causam restitutionis dotis penes tertium distracta sub motivo, quod de eo tempore bona libera extitissent, talis enim existentia esset primario concludenter probanda, & secundario ad effectum retinendi, sat est possessori demonstrare bona libera eo tunc fuisse intricata. 21.

Bononien. Fideicommissi de Feliciniis.

Lunæ 19 *Januarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio, est in parte confirmatoria alterius emanatæ sub die 3. Julii 1719.

Dotis privilegia tam pro sorte, quam pro fructibus ad fideicommissaria, seu primogenialia bona se extendit; Quoad fructus tamen limitatur regula, quando dotis Creditoris culpa fecit, quo minus hæres gravatus fructus a se debitos persolvisset, sicuti quando petuntur una cum portione bonorum ab eodem gravato recuperatorum ad dotatam devoluta, quo casu a die recuperationis debentur. Identitas bonorum fideicommissariorum ex inventario fideicommittentis, ac subsequentibus inter gravatos initis divisionibus, & continuatis possessionibus probatur. 23.

Romana Immissionis.

Veneris 23 *Januarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Debitum commune solvens de bonis communibus nullam actionem contra conobligatum adipiscitur, & referens sine relato nil concludit. 27.

Eadem eoram eodem super Fructibus.

Veneris 23. *Januarii* 1722.

Nec Argumento indiget, nec Summario. 28.

Romana Immissionis super Fructibus.

Veneris 23. *Januarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Tutor in mala fide positus ad damna, quæ ex propria culpa pupillo intulit, sive emendo rem non liberam pro libera quam liberam non esse scivisset, sive alio quovis modo obligatur, cum præsertim ejus factum pupillum liget, excepto tamen casu, quod ad manus pupilli nil devenisset. ibid.

Romana Locorum Montium.

Lunæ 26. *Januarii* 1721.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria quoad sortem, & revocatoria *juxta modum* quoad fructus alterius decisionis emanatæ sub die 10. Februarii 1721.

Augumentum, & decrementum locorum montium commodo, & incommodo possessoris pro tempore cedit; adeout si iste alteri ea restituere cogatur, in eo debentur valore, qui de tempore adeptionis decurrebat.

Fructus in spolio judiciali, & non violento, neque attentato in vera quantitate à spoliante percepta debentur, non qui etiam percipi potuissent. Condemnatio etiam in his terminis ad fructus generica, de eis tantum, qui de jure sunt debiti, intelligitur. 30.

Romana Locorum Montium super Prælatione.

Lunæ 26. *Januarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Argumentum habetur in Summario, & hæc est revocatoria alterius emanatæ sub die 10. Februarii 1721. 33

Anconitana Societatis.

Ven. 30. *Januarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria præsens decisio alterius emanatæ sub die 17. Martii 1721.

Per mortem unius ex consociis, societas ipso jure remanet dissoluta, neque dici potest in hærede continuata, ex quo capitale ad defunctum spectans non fuisset restitutum, quando socius superstes dissolutionem correspondentibus notificasset, proprioque tantum signo usus esset, & quoad defunctum societas appareret continuata tantum *per modo di stralcio* ad effectum exigendi nomina debitorum, quod aptum non est in hærede ad novam societatem inducendam. ib.

Nepesina Donationis.

Ven. 30 *Januarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Est revocatoria alterius contumacialis decisionis sub die 14. Martii 1721. emanatæ,

Hæres fideicommissarius ad vindicandam rem de fideicommisso distractam, illius jura allegare prohibetur, quando alias in illius locum æquivalentem recepit à gravato compensationem, sicuti adversus retinentem ex juribus Creditorum ipsius fideicommittentis, qui quando indistincte omnia illius bona sui favore habuisset hypothecata, neque tenetur de existentia bonorum liberorum eo tunc edocere. 36.

Balneoregien. Redditionis Rationis.

Mercurii 4 *Februarii* 1722.

ARGUMENTUM.

De rigida rationis redditione suum quærere Tutorem pupillo non licet, sed de bono, & æquo, non per hoc enim, quod ille Tutelarem librum non detinuerit, per æquipolens ad rationem reddendam non est admittendus, eo præsertim casu, quo pupilli creditor sit repertus. 38.

Perusina Legati.

Mercurii 4. *Februarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Hæres adeundo hæreditatem quasi ex contractu favore legatariorum obligatur; sibique etiam

etiam in rebus propriis præjudicat, de quibus testator disposuisset, etiam si beneficio legis, & inventarii gauderet, quando ex testatoris hæreditate æquivalentia bona esset consequutus.

Fideicommissum ex simplici privata apoca post passam rem judicatam deducta, & post jus alteri collitiganti quæsitum ad effectum retardandi legatum, non attenditur. 41.

Anagnina Juris Pascendi.

Veneris 6. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria *juxta modum* alterius decisionis emanatæ sub die 16. Junii 1719.

Jus pascendi cum quacumque animalium specie Apostolicis Privilegiis concessum sub motivo adauctæ agrorum culturæ post eorum concessionem, non infringitur; debet tamen ejus indefinita facultas ad tramites juris dispositionis coerceri; hoc est, quod animalia privilegiatarum personarum in tanto non debeant esse numero, ut iste bonorum quantitati ab eis possessorum esset impar. 43.

Anagnina Jurispascendi super Aperitione Oris.

Veneris 6. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria alterius sub die 7. Martii 1721. emanatæ.

Nullitatis, & læsionis fumus sat est, ut Oris aperitio adversus Apostolicum privilegium concedatur, cum ex urgentes non requirantur probationes, quæ ad illius revocationem reportandam, de cætero forent necessariæ. 46.

Cajetana Subrogationis Gratiosæ.

Lunæ 22. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Gratiosa in locum defuncti collitigantis subrogatio, quando calumniosa lis est, non conceditur, juxta regulam 29. Cancellariæ.

Lis ex quibus dicatur calumniosa, & injusta pro infringenda donatione facta activi juris nominandi ad Beneficium à muliere favore Piæ causæ, & ad eandem subrogationem reportandam. 47.

Civitatis Plebis Decimarum.

Lunæ 9. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Parochus pro exactione decimarum fundatam habet intentionem super cura animarum, quod jus exigendi in novam Parochialem erectam non pertransit, neque cum illa decimas tenetur ille dividere, nisi de hoc specialis mentio ab Ordinario fieret, imo licet territorium dismembraretur, decimæ prædiales ratione possessionis debentur; personales verò & sacramentales ratione incolatus, & permanentiæ in loco debentur. 49.

Segobien. Beneficii.

Ven. 20. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Beneficia Prothonotariorum Apostolicorum sunt Sanctæ Sedi reservata, etiam si isti de numero participantium non essent; nec non litteræ sub tali gratia expeditæ censentur ad evitandas expensas expeditionum, quæ decætero requirerentur. 52.

Romana Testamenti.

Lunæ 13. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Testamentum inter liberos ex sola naturali probatione paternæ voluntatis perficitur, nec alias ad sui validitatem solemnitates requirit, *ad terminos textus in leg hac consultissima* §. *ex imperfecto C. de testam*; secus vero inter extraneos; substinetur etiam quando relicta legittima filiis, nullus appareret scriptus universalis hæres, ad terminos *alterius textus in auth. novissima*; extranei vero, si tali in testamento essent admixti, quoad istos illud ex solemnitatum defectu corrueret, & quoad liberos, de paterna constito voluntate, substineretur.

Quarta Maritalis pauperi debetur uxori, vel si cum tenui dote nupserit, quam in ea connumerare tenetur virtute *authenticæ Preterea*; ne mendicare cogatur. 53.

Hostien., seu Corana Fideicommissi.

Lunæ 23. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio est confirmatoria alterius emanatæ sub die 22. Junii 1721.

Substitutio volita à Testatore in casu, quo omnes instituti sine filiis moriantur, habet locum, etiamsi unus ex istis sine filiis decedat, ex quo pluralitas in singularitates resolvatur quando concepta non est per verba collectiva *si omnes*, sed per alia verba *si supradicti hæredes*, quæ distributivè intelligantur, & id suadentes conjecturæ examinantur. 56.

Forolivien. Fideicommissi Francisci de Corbicis.

Veneris 27. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Secunda substitutio non subordinata, nec dependens ab eventu antecedentis substitutionis, neque per viam simplicis, & gradualis fideicommissi ordinata, antecedenti substitutionis gradu perempto, non evanescit, sed subsequens substitutus occupando gradum antecedentis correpti, per viam vulgaris ano. malæ in compendiosa contentæ, subingreditur, præsertim si testator etiam ad longissima tempora suæ agnationis conservationem transmiserit, masculis de masculis tantum admittendo, adeout nimis foret inverisimile, quod uno gradu perempto, ceteri quoque subsequentes ex caduci causa perirent.

Legatum, & Jura legittimæ quando, & ex quibus censeantur à fideicommittente ademta. 59.

Forolivien. Fideicommissi Polixenæ de Corbicis.

Lunæ 2. Martii 1722.

ARGUMENTUM.

Nepotes ex filiis masculis dicuntur etiam vocati, eo ipso, quod Testator ad tam longæva tempora, & agnationis conservationem respexit, ut filii naturaliter mortui eo tunc essent præsumendi, quo casu verba ejusdem

sunt

sunt benigna interpretatione adjuvanda, præsertim, si se retulerit ad testamentum filii prædefuncti, in quo litteraliter nepotes essent vocati.

Tacita legitime prohibitio in fideicommisso particulari substinetur; secus in universali, in quo expressa requiritur. Trebellianica, filiis primi gradus exceptis, in perceptione fructuum fideicommissi remanet absorta. 64.

Forolivien. Fideicommissi Antoniæ de Corbicis.

Lunæ 2. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Testator relative se habens circa personas vocatas, & vocandas, ac ordinem succedendi, ad testamentum patruelis de domo, in quo masculi de fœmina expresse essent exclusi, præsumitur sic voluisse excludere masculos de sua nepte descendentes.

Hæres extraneus trebellianicam non detrahit, & cum fructibus perceptis illam compensare tenetur. 67.

Leopolien. Matrimonii.

Ven. 6. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Matrimonium coram Paroco alterius ex Conjugibus contrahi potest; habitatio vero localis ad effectum, ut Parochus illius valide contrahentes possit in matrimonium conjungere, non requiritur, quod ex longa permanentia sit contracta, sed per duos menses sat est, juxtà resolutiones Concilii. 69.

Leopolien. Matrimonii super alimentis, & sumptibus Litis.

Veneris 6. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Sumptus litis, & alimenta debentur Uxori in judicium à viro super matrimonii validitate provocatæ; quæ juxta conditiones utriusque conjugis, ac causæ gravitatem regulantur. 71.

Lauretana Censuum super Restitutione in integrum.

Lunæ 9. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio est confirmatoria alterius sub die 14. Junii 1717., & revocatoria respective aliarum trium sub diebus 10. Decembris 1717., 11. Martii 1719., & 22. Aprilis 1720. emanatarum.

Adversus male confectum à tutrice inventarium minor est ad beneficium restitutionis in integrum admittendus, etiam si factus major intra quatriennium non reclamasset; ac se in hæreditate immiscuisset, quando dolo, & fraude cessantibus, idem inventarium validum credere potuit, ex quo creditores acquieverunt.

Tutrix ex quibus dicenda sit immunis ob omni occultationis bonorum suspicione. 76.

Maceraten. Legittimæ.

Ven. 13. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Parentes in vim *legis humanitatis C. de impub. & aliis substit*: pro filio furioso testamentum condere possunt, sicut & pro impubere, & licet fratres, & filios ejusdem substituere teneantur; ista tamen lege iidem non ligantur, quando filii, vel fratres per renunciationem, vel aliam hujus generis causam se incapaces succedendi reddidissent, adeo quod his in terminis, consanguineis præteritis, possunt extraneos instituere 76.

Romana Canonum.

Ven. 13. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Dominium directum super fundo emphitheutico ad effectum exigendi Canones, & Laudemia ex continuata exactionum serie, reportatione mandati citatis interesse habentibus, & emphytheuta probatur, neque ex non exactione, ministrorum potius negligentiæ tribuenda, excluditur. 78.

Romana Jocalium super Adamantibus Majoribus.

Lunę 16. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria alterius decisionis emanatæ sub die 3 Junii 1720.

Inventarii descriptio pertinentium rei ad defuncti hæreditatem probat, sicuti & negativa descriptio ejusdem rei in illius inventario, ad quem prætenditur pertinere, dominium excludit. Ad dominii mutationem præsumendam quid requiratur? Descriptio erronea in inventario non præsumitur, & ideò strictè ab allegante probandus est error. 81.

Romana Jocalium super Margaritis.

Lunæ 16. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Inventarium sicuti probat pertinentiam rei ad hæreditatem descriptam, & excludit dominium illius super non descriptis; tantæ tamen efficaciæ in utroque casu non est, quin ex validioribus, & urgentioribus probationibus per æquipolens possit de errore convinci. 84.

Romana Reportationis Pecuniarum.

Ven. 20. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Creditor hypothecarius super certa re sui crediti satisfactionem ex ea referre non impeditur; illius verò fructus suos facere nequit, cum specialis hypotheca, seu pignus non tituli abiles non sint ad rei dominium transferendum, sed illud penès rei dominum remanet, etsi solutionis dies advenisset.

Quartum dotale, superstitibus filiis, in usufructu tantum viduæ debetur, reservata eisdem proprietate, non uti filiis, sed si, & quatenus fuerint viri hæredes, ac in pecuniis debetur, si dos pecuniaria fuisset, illoque casu liberè in mulieris dominium pertransit, & refertur ratio; cautionem tamen de restituendo post sui obitum præstare tenetur, sique idem quartum reinvestisset, non tenetur tale reinvestimentum, pecuniarum loco, restituere, sed tantundem refundere, sicuti pari jure hæredes

viri.

Viri, quarum in pecuniis Viduæ consignatum in reinvestimento de eis facto, istarum loco, recipere non tenentur. 88.

Romana, seu Florentina Pecuniaria.

Ven. 20. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius sub die 10. Martii 1721.

Forensibus pro contractibus extra Statū initis an Baronum Bulla suffragetur, aliquando istorum Sacra Congregatio negativam tenuit, aliquando affirmativam; sed verior prima. 93.

Romana, seu Portuen. Tenutarum quoad Palum.

Veneris 17. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Arbitrarium temperamentum ob Causæ dubietatem, & rerum involucrum a Judice susceptum, locum amplius non habet, & ab eo esti recedendum, quando ex facti evidentia veritas redeat ad lucem.

Identitas, quantitas, & confinia prædiorum ex instrumentorum enunciativis, unionibus sequtis, & similibus æque probatur, sicuti ex diversitate confinium, & denominationum, seu vocabulorum excluduntur; in probationum verò conflictu, illius instrumenti enunciativæ standum est, quæ ex partium facto comprobata remaneret.

Reus exequutionem passus, deque excessu excipiens, in sua exceptione fit actor, cumque excessus non præsumatur, iste est ab ipso probandus. 95.

Romana, seu Portuen. Tenutarum quoad Vicarellum.

Veneris 17. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Diversi sunt Termini Territoriorum confinia denotantes ab illis, qui prædia, & possessiones inter particulares loci dividunt, atque designant. Confinia prædicta quomodo, & ex quibus distinguantur, & probentur optimè primos à secundis separando. 100.

Bononien. Associationis, seu Prædii,

Lunæ 20. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Pactum *Precarii* etiam ad terminos Statuti Bononiensis Census Creditori facultatem tribuit, nedum bona capiendi ad effectum ut in salviano satisfactionem consequatur, sed etiam ad effectum subhastandi, utroque remedio, virtute Hypothecariæ, etiam ad tertios, seu singulares successores per transeuntis. Census ut ex negativa fructuum solutione extinctus præsumatur, centenaria requiritur, licet etiam per urgentes conjecturas possit extinctio probari, quæ tamen à compensationis motivo, quam debitor opponere potuisset, non inducitur, & refertur ratio. Hypotheca Creditoris census, fundo distracto, transit ad alium ex illius pecuniis comparatum, & subrogatum, atque dotalis semel consumpta Hypotheca, amplius non reviviscit. 104.

Romana Hæreditatis.

Lunæ 20. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Fideiussio strictius, quam fieri potest interpretanda est, neque ad ea, quæ forsan facere debuisset fideiussor, extenditur, sed ad quod tantum iste promisit; atque apposito œconomo, sive sequestro super administratione rei, resolvitur.

Taxa legalis in fructibus incertis, non verò certis, locum habet, sicuti sunt fructus locorum Montium, qui Principis taxam sequuntur. 107.

Ferrarien. Fideicommissi.

Veneris 24. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Hęc est *juxta modum* confirmatoria alterius emanatæ sub die 4. Julii 1721.

Fæminæ sub conditione - *Si sine filiis* -- non comprehensę, suppletiva vocatione pietatis intuitu, ad terminos *text. in l. cum Avus ff. de condit.*, *& demonstrat.* non suffragantur, quando Testator in eadem conditione masculos nominatim posuit, & Fæminarum non oblitus, istas legato honorasset; secus si de eisdem non cogitasset; intellige, ut conclusio a fortiori procedat in dispositione transversalis, in quo ille charitatis impulsus, qui in Patre erga filios, non præsumitur. 110.

Fanen. Reintegrationis super Datione in solutum quoad Reservata.

Veneris 24. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Possessor bonæ fidei fructus tantùm à die motę litis, non verò à die captæ possessionis restituere tenetur, præsertim si agatur de muliere, quæ non solum in bona fide stetisset, sed cum peritioribus simul errasset.

Curator à testatore datus cum facultate alienandi, ut possit æs alienum dimittere, sine alia Attiliani curatoris deputatione, pupillum obligare potest. 113.

Romana, seu Januen. Pecuniaria.

Lunæ 27. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Mercator transmittens cambiales litteras cum obligatione de reddendo indemnem ipsum recipientem in casu protextus, his verbis -- *ve ne starò avanti io per quella somma, che ne farete in disborso* -- debitor principalis favore istius evadit, nec talia verba ad simplicem fidejussionem, vel promissionem de veritate subscriptionis earundem extenditur. 115.

Civitatis Plebis Decimarum.

Lunę 27. *Aprilis* 1722.

Nec Argumento indiget, nec Summario. 117

Nepesina Sepulturæ.

Mercurii 29. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Jus sepolturæ una cum Cappella concessum non irritatur, ex quo in concessione fit expręssa clausula *ad habendum* favore emptoris, dominium denotans, quando tamquam

Colo.

Eugu-

Eugubina Fructuum.
Mercurii 2. Decembris 1722.
ARGUMENTUM.
Hæc est confirmatoria alterius sub die 19. Januarii 1722.
Ex confusa rei hæreditariæ descriptione, scilicet argenti sine pondere creditorum, debitorum, & scripturarum sine distinctione, numero, quantitate, & qualitate tabularum pictarum sine notula valoris, fructuum extra taxam legalem liquidatorum, & similium, inventarium efficiunt omnino nullum, sicut pariter si deficeret citatio, & intimatio diei, oræ certæ, & loci, ubi describenda bona existerent. 184.
Romana Locorum Montium.
Veneris 4. Decembris 1722.
ARGUMENTUM.
Hæc est alterius juxta modum confirmatoria sub die 26. Ianuarii hujus anni emanatæ.
Spoliatus de locis Montium, si æquivalens prætium de tempore sequti spolii à spoliante recipiat, quærere non debet augumentum illorum casualiter post sequtum spolium superventum, quando spoliatus rifico etiam decrementi possibilis steterit. Fructus non percepti, si nec de violento, neque attentato spolio agatur, non debentur, sed tantum effectivè percepti. 187.
Romana Locorum Montium super Prælatione.
Veneris 4. Decembris 1722.
ARGUMENTUM.
Habes in Summario. 188.
Calagurritana dimidii Beneficii.
Lunæ 7. Decembris 1722.
ARGUMENTUM.
Gratificatio Ordinarii habet locum favore unius ex duobus æque habilibus præsentatis; & quando gratificantes sunt inter se discordes, ad Metropolitanum gratificandi jus devolvitur. 189.
Melevitana Commendæ.
Lunæ 10. Decembris 1722.
ARGUMENTUM.
Inter venerandam Italiæ Linguam, & Sacræ Religionis Hyerosolimitanæ Thesaurum, anno 1693. inita fuit conventio à magno Magistro, & Consilio approbata, ut idem Erarium commendarum administrationem, & possessionem restituere non teneatur, nisi prius de toto eo, quod sibi competit sit integraliter satisfactum, adeoùt Commendatarii nudo titulorum honore sui favore sinuitorum potiri queant, & frui, nec eo interim fructuosam possessionem, imò neque congruam, prætendere valeant. 190.
Neapolitana Primiceriatus.
Ven. 11. Decembris 1722.
ARGUMENTUM.
Primicerius in Cœtu Ecclesiastico, cui Officiis nomen sit datum, *Dignitas* appellari non potest; dignitatis enim denominatio, rei Ecclesiasticæ administrationem, simulque præeminentiam, & jurisdictionem præsupponit; neque Apostolica Privilegia sunt allegabilia in quibus *Dignitas* ille appelaretur, quando talis denominatio ex parte tantum supplicantis enunciaretur, quodque vere sit *Dignitas*, vel potius *Officialis* ex collationum enunciativis, & subsequta observantia desumitur. 193.
Romana, seu Portuen. Tenutarum quoad Palum.
Lunæ 11. Januarii 1723.
ARGUMENTUM.
Controversorum prædiorum identitas ex instrumentorum enunciativis inter tertias personas initorum convincitur, sicuti è contra ex generica confinium denominatinoe probata non remanet, cum specificæ, atque individuæ istorum designationes, & terminationes requirantur; ac in uno, eodemque vocabulo plura inter se diversa prædia possint includi. 197.
Romana Testamenti.
Lunæ 11. Januarii 1733.
ARGUMENTUM.
Præsens decisio est confirmatoria alterius emanatæ sub die 23. Februarii 1722.
In Testamento Patris favore filiorum condito, non omnes illæ, quæ favore exteri, requiruntur solemnitates, cum satis, superque sit, quod constet de voluntate disponentis.
Filii in usufructu instituti, censentur etiam in bonorum proprietate, quando nullus alter in testamento scriptus hæres appareat; præsertim si propria authoritate, & non de manu hæredis, fructus percipere valent. 201.
Bononien. Associationis, seu Prædii.
Veneris 15. Januarii 1723.
ARGUMENTUM.
Est revocatoria alterius sub die 20. Aprilis 1722. emanatæ.
Actio personalis contra tertium possessorem non datur, sicuti neque associatio, simulque facultas subhastandi bona hypothecata, quæ facultas ab actionis personalis competentia descendit, neque Judicium exequtivum potest cum ordinario cumulari.
Præcarium dat facultatem procedendi etiam contra tertium, quando in Summario agitur possessorio pro re hypothecata recuperanda, *& nunc pro tunc* possessionem transfert, nũquam vero personalem tribuit actionem contra eumdem exercibilem. E contra verò in Judicio exequtivo plura media, quæ ad celerem tenduot exequtionem, possunt intentari. 203.
Romana Fideicommissi de Matteiis super Consignatione.
Lunæ 22. Februarii 1723.
ARGUMENTUM.
Habetur in Summario. 205.
Bononien. Fideicommissi de Filicinis.
Lunæ 25. Januarii 1723.
ARGUMENTUM.
Præsens decisio est in parte revocatoria, & in parte confirmatoria alterius emanatæ sub die 19. Januarii 1722.
Privilegium *Authenticæ res quæ* ad transversale fideicommissum non se extendit, bene

ca-

Finis Indicis Argumentorum.

INDEX
DECISIONUM,

Quæ in hoc sexto Volumine continentur per Diœceses juxtá ordinem Alphabeticum.

A

B

Bono-

Rea-

R

S

T

V

Z

Finis Indicis Decisionum.

DECI-

DECISIONES
SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
Coram
R. P. D. LANCETTA[MO]
EJUSDEM SACRÆ ROTÆ DECANO.

BARCHINONEN. EXEMPTIONIS.

Veneris prima Augusti 1721.

Nec argumento indiget, nec Summario.

DECISIO MCCLXVI.

NON dubitarunt DD. rescribere pro expeditione istius Causę, quia fundamenta Decisionis editę coram Me die 4. Julii nuper elapsi satis firma manebant, tam in prima parte respiciente participationem totius Cleri quoad usum Carnium, quæ scinduntur in Macello Capituli, quam etiam in secunda parte decernente omnimodam administrationem ejusdem Macelli ad d. Capitulum pertinere debere.

At quoniam in additione modi, qui resolutioni impositus fuit ad removendam quamcumque fraudis suspicionem, dictum existit *licere Clero deputare unum ex ejus gremio, qui interveniat actibus respicientibus gubernium Macelli nomine ejusdem Cleri*, censuerunt quoque DD. declarandum, quod hujusmodi Deputatus Cleri nequaquam censeatur esse ullo modo Macelli Coadministrator, sed simplex assistens pro Jure sæpedicti Cleri, itaut remaneat omnimoda, & integra administratio penes Capitulum, ad quod huc usque pertinuit.

Et ita &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Veneris prima Augusti 1721.

Nec argumento indiget, nec Summario.

DECISIO MCCLXVII.

INsteterunt hodie coram Me, uti subrogato in locum Reverendissimi Raveanaten. Marchiones de Maximis pro expeditione Causę cum Decreto executionis mandati de immittendo ad possessionem Domuncuię, Stabuli, & quatuor Horreorum provenientium a Fideicommisso Josephi Cremonę, ad formam decisionis coram illo editę 25. Januarii 1715. At ne oriretur aliqua difficultas, DD. non censuerunt aliter eorum Instantię esse annuendum, nisi extensa hac brevi decisione, per quam declarandum mihi iniunxerunt, quod concessio novę audientię die 31. Julii 1715. restringebatur *ad duo tantum Horrea posita ad Pantanos* (de quibus non agitur in hodierna Instantia;) dum restrictivè tantum ad hęc duo Horrea petita fuerat in d. Congregatione Rotali 31. Julii 1715.. nova audientia ex parte Eneæ Silvii Piccolominei, & litis &c., & pariter restrictivè ad eadem duo Horrea ad Pantanos fuit successivè actum in nova Causę repropositione in Audientia diei 11. Maii 1716.

Putarunt propterea nullum haberi obstaculū, quin hodiè concedi deberet expeditio quoad cętera bona, exceptis dd. duobus Horreis eo fortius, quia nemo hodie comparebat ad impugnandā hujusmodi instātiā, itaut viderentur fateri, nullum adesse ex dicto prçexistentię rescripto impedimentum.

Et ita &c.

ZAMOREN. CAPPELLANIÆ.

Veneris prima Augusti 1721.

Argumentum habetur in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Nova audientia adversus decisiones contumaciales de stylo conceditur*, declara, ut in n. seq.

2 *Sola contumacia, absque novorum Jurium deductione, quæ aliquem præbeant fumum de insubsistentia decisionis contumacialis non attenditur ad effectum novam audientiam impetrandi.*

3 *Amplia, quando Causa est Beneficialis, quia celeriter istæ sunt absolvendæ.*

4 *Institutio danda est illi Præsentato, qui sit Fundatori coniunctus, tàm ex linea materna, quàm paterna ad exclusionem coniuncti ex uno latere tantum, præsertim si ille sit pauper.*

DECISIO MCCLXVIII.

AD impediendam hujus Causę expeditio-
nem fuit ex parte Iacobi Alphonsi Ner-
vandez proposita instantia pro concessione
novę Audientiæ adversus decisionem eo non
informante editam die 27. Junii hujus anni
coram Me favore Francisci Bragado Ramos.
1 DD. vero animadverterunt, quod licet ex
Tribunalis benignitate contumaciales deci-
siones facilè soleant revideri, quando ali-
quid adversus decisionis fundamenta dedu-
citur, quod non fuerit in decisione subla-
2 tum, in pręsenti tamen contra stylum solus
contumaciæ prętextus erat fundamentum
d. petitionis, neque contra resolutionem
quicquam ulterius opponebatur.

Ideoque censuerunt demandandam ex-
peditionem, hac brevi extensa decisione, in
qua generaliter reprobarunt hujusmodi
abusum non comparendi in Causę proposi-
tione, & subinde ex motivo tantum pro-
priæ contumaciæ petendi novam audien-
tiam sine ulla Jurium deductione, quę saltem
fumum aliquem insubsistentię resolutio-
3 nis inducerent. Tanto fortiùs, dum, ut hic,
agitur de Causa beneficiali, quæ celerem
requirit expeditionem.

4 Approbarunt itaque rursus captam reso-
lutionem tum circa Jus prælationis eidem
Francisco debitæ uti Conjuncto Fundatori
tã ex linea paterna, quàm ex linea Materna,
atque etiam pauperi, tùm circa factum pro-
batæ hujusmodi conjunctionis, seu descen-
tiæ, quia de ea constabat ex Testibus hinc
inde examinatis, & relatis illius *Summ. n.4.*
& fuerat admissa in Sententia lata in parti-
bus *eodem summ. n.6. litt. B.*, ubi de descen-
dentia ex linea Paterna, *& litt. D.*, ubi de
linea Materna.

Et ita &c.

ROMANA CONCURSUS.

Lunæ 24. Novembris 1721.

ARGUMENTUM.

Mulier, eo ipso, quod favore viri consensum præbet, ut iste, loca Montium in causam restitutionis suæ dotis auctoritate Judicis comparata ob vergentiam ejusdem ad inopiam, resignet, super illis dotalem amittit hypothecam, simplexque indemnitatis Creditrix ipsius viri ab illa die remanet.

Privilegium *l. Interdum* illi non favet Creditori, qui pecunias pro domo de novo construenda tradidit, sed qui eas dedit ad effectum reparandi, vel meliorandi, dummodo tamen dictus Creditor specialem super nova fabrica contrahenda hypothecam sibi non reservasset.

SUMMARIUM.

1 *Hypotheca simpliciter perditur à muliere, quæ præbet consensum, ut vir loca Montium sibi specialiter pro dote hypothecata resignet, non verò super cæteris aliis bonis ipsius viri.*

2 *Dos in dubia semper præsumenda est quantitativa.*

3 *Hypotheca, seù pignus non dantur super re propria.*

4 *Dos quantitativa in locis Montium viro tradita, & in illius pertransacta dominium potest super eisdem locis assecurari.*

5 *Dos, quam vir restituere promisit sive in locis Montium à Muliere sibi traditis, sive in investimento, quod cum illorum pretio fecisset, si illud in domus constructione erogasset, super hac Mulier cęteris aliis creditoribus præferenda est.*

6 *Mulier remanet simplex creditrix indemnitatis ejus viri, quando præstat consensum resignationi locorum Montium sibi pro dote hypothecatorum, nullamque aliam foret anterioritatem;* amplia, ut in num. 10.

7 *Assecuratio, sive dotis restitutio præsumitur facta super iis locis Montium, quæ Iudicis auctoritate de bonis viri ad inopiam vergentis in Mulieris faciem fuissent requisita, & non viri.*

8 *Alienatio facta à viro de bonis Dotali hypotheca affectis operatur, ut ista in alienatarium libere non pertranseant ab hypotecis creditorum Mulieri posteriorum, nisi ista sua etiam jura in eundem alienatorium transferat.*

9 *Loca Montium ante resignationem à vinculis liberata, libere in resignatarium pertranseunt.*

10 *Hypotheca perditur à muliere super locis Montium sibi hypothecatis, quando illorum resignationi consensum præbet.*

11 *Limita, si hæc evincerentur, vel resignarentur sine ejus consensu, quo casu hypotheca dotatit afficit cętera bona viri.*

12 *Inter Creditores, exclusò portioritatis privilego, prerogativa temporis attenditur ad* Text. in l. qui potior. ff. de regul. Jur.

13 *Creditor super pretio domus de novo constructę legis* interdum *beneficio non juvatur, cum illud reficienti tantum, & conservanti domum faveat,* intellige, ut in num sequenti.

14 *Creditor tradens pecuniat pro ędificatione domus cum reservatione dominii super nova fabrica, cæteris est preferendus.*

15 *Prælatio datur Creditoribus defuncti super illius bonis, ad exclusionem cujus vis Creditoris illius hęredis.*

DECISIO MCCLXIX.

IN Concursu efformato super bonis hæreditariis Dominici Salvij, & signantèr super pretio Domus positæ ad Lungariam, triplicis generis comparuerunt Creditores, videlicèt Andreas Roncalli hæres Angelæ Floranæ illius uxoris pro residuo dotis ipsi restituendæ, Paulus Diamantes pro credito Cambij scut. 850. contracti in ædificanda d. Domo anno 1705. unà cum ejus fructibus.

Et

Et Philippus Salandra, Catharina Bernona, ac Marius Capacius pro credito alterius Cambij præcedentèr contracti de anno 1691. à Carolo Boffio cum solidali obligatione dicti Dominici communis debitoris. Cum verò in hac controversia tria difformia prodiissent Judicata in Curia Capitolina, delegata fuit ulterior appellatio per decretum R. P. D. Auditoris Sanctissimi Capitaneo appellationis de voto Rotæ. Et idcircò proposui in audientia diei 6. Maij superioris anni Dubium -- *An, & de cujus credito constet, itaut sit præferendus*, & prodijt rescriptum -- *Constare de credito Pauli, & Andreæ juxtà modum, & esse præferendos pariter juxtà modum*.

Modus autem in decisione expressus in eo stetit, quod nempè ex pretio Domus primo loco satisfieret Andreæ hæredi Mulieris pro rata correspondenti pretio locorum sex Montium cum dimidio, secundo loco satisfieret Paulo pro sorte, & fructibus eius Cambij, et postremo ex residuo si quod superesset dimitteretur creditum indemnitatis, seù reintegrationis aliorum quinque locorum Montium ab eadem Muliere in beneficium Viri distractorum: Quia verò consideratus fuit casus, quod pretium d. Domus impar fortasse foret memoratis tribus creditis, quodque propterea contingere poterat, quod Paulus pro aliqua rata ejus crediti concurrere deberet super cæteris bonis hæreditariis Dominici Salvij communis debitoris unacum memorato Andrea Creditore indemnitatis, ac Philippo Salandra, Mario Capace, & Catharina Bernona ejusdem Salvii paritèr Creditoribus ex causa alterius Cambij; Domini in dicta Decisione declararunt, ut eo casu attenderetur inter Andream, & Paulum prærogativa temporis, rejectis in ultimum locum Salandra, Capacio, & Bernona, utpote hypotheca destitutis.

Et iste fuit tunc Dominorum sensus. Hodie autem suppositis novo examini fundamentis dictæ Decisionis cum ea in aliqua parte subsistere, aliqua verò ex facto deficere compererint, proposito per Me consueto Dubio -- *An sit standum, vel recedendum à decisis* -- responderunt -- *recedendum esse à decisis juxtà modum*.

1 Ac primum agendo de pretio Domus, quamvis etiam hodiè tàm Mulier, sive ejus hæres pro reintegratione locorum undecim cum dimidio, quam Paulus pro eius Cambio, & fructibus invicem contenderent unusquisque in alterius exclusionem sibi assistere potioritatis privilegium: Domini tamen censuerunt nulli alii super dicto pretio illud competere, nisi soli Mulieri, & quidem pro rata dumtaxat locorum sex cum dimidio: Quod enim ad hanc ratam attinet, benè subsistere compertum fuit fundamentum præcedentis decisionis, quod nempè Mulier super dictis locis sex Montium cum dimidio in causam dotis ab initio assignatis, nullum omnino dominium, sed specialem dumtaxàt hypothecam habuerit, quodque proindè per consensum ab ea præstitum illorum alienationi ipsam solummodò hypothecam remiserit, nullum autem præiudicium sibi intulerit quoad cætera bona Viri eius favore generalitèr hypothecata, ut firmat Decisio, quæ revidetur §. *Nec tamen*, & alias dixit *Rota decis.* 304. *n.* 15. *par.* 13.

2 Frustraque hæc veritas, quam cæteri Creditores ingenuè admittebant, impugnabatur à Paulo Diamante, sive ejus interim defuncti hærede sub obtentu, quod dos fuisset in fundo super dd. locis Montium non in quantitate constituta. Et si enim argumenta, & conjecturæ hinc indè à Partibus deducta, remprima facie subdubiam facere viderentur, prævaluit tamen apud Dominos opinio Mulieri favorabilior, juxta quam etiam in dubio pro dote quantitativam pronunciandum esse docent *Gabb. consult.* 131. *num.* 16. *Rot. decis.* 20. *num.* 30. & *dec.* 277. *num.* 21. *par.* 15., & *decis.* 874.

3 *num.* 3. *coram Card. Cerro*. Cum cæteroquin prætermissis alijs argumentis latiùs deductis in decisione, quæ revidetur, in claro rem ponere visum fuerit pactum illud inter Partes expresse conventum, quod hæc loca Montium, quæ dotis nomine à Muliere Viro assignabantur, stare semper deberent affecta, obnoxia, & hypothecata pro dote, & fundo dotali: Hoc namque stante, unum de duobus admittendum necessario erat, aut quod pignus, & hypotecæ favore Mulieris in re ipsius propria consistere, contra rotundum *Text. in l. neque pi-*

4 *gnus* 46. *ff. de reg. Jur.*, aut quod dominium locorum Montium per constitutionem dotis quantitativæ in Virum transierat, itaut ab eo favore uxoris hypothecari valerent, ut alias notavit *Rot. dec.* 98. *num.* 16. *par.* 18. & *latiùs dec. Causæ* § *Rursùs*.

Sed ultrà hoc fundamentum, aliud quoque pro concedenda Mulieri prælatione ad rationem dd. sex locorum Montium cum dimidio hodiè consideratum fuit. Siquidem cum

5 in dotali Instrumento Vir expresse promiserit acceptam dotem restituere in eisdem locis Montium, quatenus extarent, sin minùs in aliis Investimentis ex eis faciendis, de plano ex hujusmodi pacto consequebatur, ut loca Montium distractis, & ampliùs non extantibus, restitutio dotis facienda esset cum pretio controversæ Domus, quæ ex retractu eorumdem locorum Montium perfecta, atque ampliata, & quod plus est ipsorum loco pro d. restitutione dotis expresse subrogata fuit, *Merlin. de pignor. lib.* 2. *quæst.* 19. *num.* 71. *bon. mem. Ausald. ad decis.* 80. *num.* 22. *Rota decis.* 100. *post Torr. de pact. n.* 16.

Hactenùs de locis sex Montium cum dimidio in ipsa dotis constitutione Dominico

6 Viro traditis. Quo verò ad alia loca quinque, quæ longè potiora in faciem ipsius Uxoris, Viro ad inopiam vergente de mandato

Judicis empta fuerunt ex pretio retracto à
venditione cujusdam Apothecę, & quæ
Mulier alienavit, Domini permanserunt
in sensu præcedentis Decisionis, quod nem-
pè pro eis nullum Mulieri competat dotale
privilegium, sed quod ipsa censeri tantùm
possit creditrix indemnitatis, seù relevatio-
nis à die, qua eadem loca distraxit, juxtà
deducta in d. decisione §. *Longè autem*.
7 Neque hodiè opus esse visum fuit reassu-
mere quæstionem, an assignatio dd. loco-
rum cesserit in causam veræ, & effectivæ
restitutionis dotis, prout de cætero suade-
bat notabilis illa facti circumstantia, quod
eadem loca non in faciem Viri, sed ipsius
Mulieris acquisita fuerunt, & quidem cum
expressa declaratione, quod illa starent ne-
dùm pro assecuratione, sed etiam, ac nomi-
natim pro restitutione ejus dotis, prout ani-
madversum fuerat in præcedenti decisione
§. *Frustràque*.
8 Ad effectum namque de quo agitur exu-
berare videbatur animadversio illa, quod
in hypothesi non agebatur de bonis indiffe-
rentibus à Viri patrimonio extractis, ac
Mulieri pro assecuratione assignatis, in qui-
bus etiam post alienationem à Muliere suc-
cessivè factam remanent infixæ hypothecę
aliorum Creditorum, quatenùs Mulier etiā
Iura sua dotalia in alienatarium non tran-
9 stulerit, sed res erat de locis Montium, quę
ex speciali eorum natura post semel perfe-
ctam alienationem, nullam retinent favore
aliorum Creditorum hypothecam; sed li-
bere omnino, & sine ullo nexu transeunt in
10 alienatarium, in his enim terminis nimis
absurdum foret, quod Mulier sciens Mariti
inopiam, & aliorum Creditorum concur-
sum post semel acceptam super eis suę dotis
assecurationem, posset illa in beneficium
Viri alienare, seù eorum alienationi con-
sentire, & deindè iterùm prælationem ob-
tinere super aliis bonis ejusdem Viri, dùm
ità cæteri Creditores ex culpa, & volunta-
rio facto Mulieris exclusi perpetuò rema-
nerent à spe consequendi eorum creditum
super bonis illi pridem assignatis, & succes-
sivè in tertium distractis, & pati cogeren-
tur diminutionem irreparabilem patrimonij
communis debitoris. Quod quidem permit-
tendum non est, ut aliàs in præcisis termi-
nis alienationis locorum Montium factæ à
Viro de mandato Uxoris respondit *Rot. in
Firmana Immissionis* 22. *Junii* 1708. *coram
11 bon. mem. Omauna*, cum Doctores omnes
unanimitèr conveniant, etiam in terminis
simplicis assecurationis, quod deficientibus
bonis pro assecuratione assignatis, eatenus
Mulieris indemnitati consulatur mediante
prælatione super aliis bonis Viri in exclusio-
nem reliquorum concreditorum, quatenùs
dd. bona sine ulla Mulieris culpa defecerint
Castill. decis. 25. *num.* 4. *&* 5. *Giurb. dec.*
16. *sub nu.* 5. aliique plures, quos refert, &
sequitur *Constantin. ad Statut. Urb. annot.*
31. *n.* 96.

12 Hoc itaque constituto, ut Mulieri, sivè
ejus hæredi prælatio concedatur super pre-
tio memoratæ Domus ad ratam duntaxat
locorum sex cum dimidio. Pro eo, quod at-
tinet ad creditum indemnitatis, seù reinte-
grationis posteriorum quinque locorum
Montium eidem hæredi competens, & duo
Cambia à communi debitore contracta, al-
terum nempè favore Pauli Diamante, & al-
terum favore Salandræ, & Sociorum cum
eorum respective fructibus, si qui sint non
soluti, Domini censuerunt recedendo in
hac parte à decisis, ut excluso quocumque
potioritatis privilegio sola in eis prærogati-
va temporis attendatur, tam respectu resi-
dui prætij d. Domus, quod supererit post di-
missionem Mulieris pro credito locorum
sex Montium cum dimidio, quam respectu
reliquorum bonorum Dominici Salvij com-
munis debitoris: Ideoque primo loco dimit-
tendum erit Cambium Salandræ, & Socio-
rum, utpote creatum anno 1691., & quidem
ut hodiè in facto melius consistit mediante
publico, ac solemni Instrumento Camerali
obligatione vallato, cæterisque clausulis in-
dubiam præseferentibus hypothecam. Se-
cundo loco dimittendum erit creditum in-
demnitatis initium sumens ab anno 1704.,
quo expleta fuit dd. locorum quinque alie-
natio, ac ultimo denique loco Cambium
Pauli Diamantis contractum anno 1705., ser-
vata in omnibus vulgata censura *Text. in l.
qui prior. ff. de reg. jur.*
13 Nec conqueri debet Diamantes, quod
ipse excludatur à prælatione eidem super
pretio Domus indulta in Decisione, quæ re-
videtur, vigore celebris *Text. in l. inter-
dum ff. qui pot. in pig. hab.* Cum enim ex no-
viter hodie in facto deductis, & signanter
ex fide Architecti, ac propria ejus confes-
sione emissa in ordine per ipsum conscripto,
atque inserto in Instrumento ejus Cambij
clare constiterit, ipsum pecunias suas credi-
disse non pro refectione, ac restauratione
memoratæ Domus, ut in præcedenti Deci-
sione suppositum fuerat, sed ad effectum
dimittendi Fabrum Murarium, qui operam
impenderat -- *in una casa di d. Sig. Salvi
nuovamente fabricata* -- juvari utique ipse
nequit beneficio *d. leg. interdum*, quæ re-
ficienti, & conservanti dumtaxat, non au-
14 tem de novo ædificanti privilegium potio-
ritatis impartitur, nisi ædificans sibi caverit
de expressa reservatione dominij, quæ in
casu nostro deficit, juxtà distinctionem, quam
post *Gloss. ibi in verb. crediderim* amplexa
est *Rota in Romana Pecuniaria, seù Cau-
telæ Angeli super reservatis* 3. *Junii* 1718.
§. *Potioritatem coram R. P. D. meo Herre-
ra, & in Romana Concursus, seù consigna-
tionis pretij Domus* 14. *Junii* 1720. §. *Ultra
quod coram Me*.

In antecedenti Causæ propositione pete-
bant Salandra, & Socij, ut à bonis Domini-
ci Salvij separarentur illa, quæ in ipsum ob-
venerant ab hæreditate Caroli Bossij eorum
favo-

favore cum d. Dominico coobligati, sed rejecti in Decisione fuerunt sub fundamento, quod nulla bona hæreditaria Caroli in Dominicum obvenissent: verùm cū hodie iidem Salandra, & Socii acriter contenderent revera adesse dd. bona Caroli Boiij in Dominicum obventa: Domini, nè præjudicium ullum, re non discussa, partibus inferretur, declarandum censuerunt, quod quatenus in suo congruo judicio comperiatur, & verificetur dd. bona verè adesse, & in Dominicum titulo hæreditario obvenisse, & sint ab hæreditate ejusdem Dominici separanda, & super eis præferendi Salandra, & Socii;

15 Cum indubij Juris sit, quod Creditores defuncti præferri debent super ejus bonis, quibuscumque Creditoribus Hæredis *l.* 1. §. *Sciendum*, *& l.* 2. *ff. de separ. bon. Sard. dec.* 310. *num.* 12. *& per tot. Rot. cor. Cavaler. decis.* 41. *num.* 3.

Et juxtà hunc modum partibus informantibus resolutum fuit &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Veneris 5. *Decembris* 1721.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius sub die 10. Martii 1720.

Contractus usuraria pravitate infectus, ut probetur, depositioni testis proxenetæ de facto proprio deponenti multum deferendum est, & ratio, quia in contractibus de Jure prohibitis ad nullitatem, & dolum detegendum, conjecturæ, & argumenta admittenda sunt.

Cambium, quando non ex pecuniis numeratis in tota summa contractum est, sed ex gemmis etiam commixtis completum, ex quibus deduci queat.

Adversus Syngrafam *pagherò per altri*, *e tanti*, ad simulationem, & dolum probandum, probationes semper admittuntur, quando, vel per medium pignoris, vel adjudicationis, creditori cautum reperitur.

SUMMARIUM

1 *Testis proxeneta, qui fit contractus mediator plenè probat.*

2 *Testis proxeneta sibi contradicere non dicitur per hoc, quod in depositione extrajudiciali asserverit à contrahentibus fuisse confectum* pagarò, *sed istud non vidisse, nec ejus confectioni adfuisse, & in repetitione formali dixisset sibi ab eisdem confectionem talis syngrafæ fuisse enarratam.*

3 *Testis quando in binis depositionibus à se factis, circa substantialia earumdem, varius non reperitur, sed circa accidentalia, quod potius oblivioni tribuenda foret, à testificando non rejicitur*; Amplia ut in n. 8., & 9.

4 *Testis non potest dici suspectus ob falsitatem apocæ illi objectam, quando in veritatis obsequium revelasset, ex quo ei potius fides foret augenda*, & n. 5.

5 *Testis ex sola querela ei data, sed non verificata, nec condemnatus, non potest ut suspectus, & malæ fidei reici.*

6 *Amplia, quando istius Testis depositio ad unguem concordaret cum altero Teste metu excommunicationis revelante.*

7 *Testis metu excommunicationis disponens plenè probat.*

9 *Contractus de jure prohibitus occultè, & palliatè factus præsumitur, ideo ad eum probandum, argumenta, & præsumptiones admittuntur.*

10 *Contractus mutui, seu cambii, quod in se etiam gemmas loco pecuniarum continuerit deducitur, ex quo debitor vix sequuto contractu, eas oppignorasset, & paulo post foro cessisset.*

11 *Amplia si Creditor esset publicus negociator, & non solitus otiosas retinendi pecunias, taliter ut, elapso tempore in mutuo præfixo, ad rationem scut. 15. pro centenario, & anno fructus requisivisset.*

12 *Subamplia, quando in tali contractu nomen veri Creditoris fuisset reticitum, & insolitis cauthelis contractus initus appareret, ut per simplicem syngrafæ giratam fidejussor fuisset admissus*, & vide quomodo.

13 *Schedula* pagarò per altri, e tanti *deposito æquivalet, & pecuniarum numerationem præsefert, ac altioris indaginis reicit exceptiones.* & n. 15.

14 *Limita, quando Creditum jam fuisset assecuratum, vel per pignus, vel alio modo, quo casu probationes ejus respicientes validitatem admittuntur*, & vide rationem in n. 16.

15 *Syngrafa* pagarò *paratam habet contra promittentem exequtionem, non secus, ac publicum Instrumentum.*

17 *Deliberatio læsiva operatur, ut eam passo mandato de reintegrando ad bona nulliter deliberata succurendum sit.*

DECISIO MCCLXX.

CONstare de causis restitutionis in integrum, & esse relaxandum mandatum de reintegrando ad loca Montium deliberata Domini responderunt favore Antonii Botti contra Dominicum Boncompagnum in audientia diei 10. Martii labentis anni coram Me; quia ex injustitia Mandati A.C. contra eumdem Botti relaxati, erat locus restitutioni in integrum, & ob deficientiam Crediti, pro quo Boncompagnus egerat deliberatio locorum Montium facta in executionem prædicti Mandati nulla, & læsiva remanebat, ideoque etiam locus erat Mandato de reintegrando, ut ex decisione tunc edita.

Rediit autem hæc decisio ad DD. trutinam, ob interim concessam Boncompagno novam Audientiam in hodierna Rota, & quoniam ejus fundamenta subsistere visa sunt, tum e conspectu objectionum, quæ in eadem decisione confutatæ reperiebantur, tum aliarum, quæ recenter fuerunt ad-

adductæ, fuit rescriptum *Standum esse in decisis*.

Sanè nulla amplius quæstio erat inter Partes circa insubsistentiam, & improbitatem eorum Contractuum, qui partim conflantur ex pecunia, & partim ex pretio rerum, quæ Debitori loco pecuniæ sumministrentur, eoque fortius, si prout hic, contigisse Antonius Botti sustinebat pretium earumdem rerum in excessu enormiter læsivo constituatur, atque in Capitale imputetur etiam pars fructuum decursorum pendente dilatione; sed tota difficultas restringebatur ad examen probationum, quæ ex parte Antonii prætensi Debitoris deducebantur, quasque Domini iterum plenè con-
1 cludentes extimarunt. Quandoquidem occurrebat imprimis depositio Proxenetæ mediatoris contractus de quo agitur testantis Alghisium quæsivisse mutuas pecunias à Creditore, atque ex ipsius deponentis mediatione fuisse concordatam illarum traditionem, quatenus Alghisius contentus fuisset recipere cum pecuniis admixtas gemmas, & jocalia pro rata scutorum 1700., ponerentur in calculo Capitalis fructus, qui pendente termino ad restituendum mutuum possent decurrere, atque fidejussionis, & securitatis gratia accederet Antonius Botti conscribendo favore prædicti Dominici mutuantis syngrapham per *altrettanti*. Etsi enim dicto unici Testis nulla fides in judicio regulariter præstanda sit, cum tamen hic agatur de Teste mediatore contractus, cui res gesta optimè valuit innotescere, ejus utique dicto, ac depositioni plurium deferendum venit, ut firmat *Rot. dec.*415. *n.*2. *coram Coccin. dec.*438. *n.*8. *par.*18. *rec. tom.*2., *in Interamnen. Pecuniaria* 23. *Junii* 1702. §. *Verum cor. cl. me. Card. Priolo*, & cum cæteris adductis in decis., quæ confirmatur §. rem ita, probant in terminis Proxenetæ, *Bonden. collect.*49. *n.*274. *lib.*2. *Card. de Luc. de Credit. disc.*77. *n.*2., & *Rot. in Rom. Officii mazzieratus Apostolici* 12. *Jun.*1719. §. *Corollariè cor. Me*.

Absque eo quod fides hujus Testis tolleretur ex objecta ejus contrarietate in dicto
2 extrajudicialis depositionis, ac formalis ejus examinis circa factum exarati ab Alghisio *Pagberò* favore Dominici. Quippe quia in depositione extrajudicialiter emissa asseruit tantummodo à Contrahentibus confectam fuisse syngrapham *Pagberò* pro scutis 3400., sed non dixit illam vidisse, nec se præsentem fuisse ejus confectioni, ideoque nullo modo sibi contradixit, quando in formali successivo examine deposuit, à Partibus sibi dictum extitisse, quod fuerat confectum *Pagberò* pro eadem summa juxta contractum ab ipso pertractatum, nunquam tamen vidisse dictum *Pagberò*; ut de re patet concordando utramque depo-
3 sitionem. Cæteræ verò contrarietates pariter adductæ ob assertam in primo examine recognitionem gemmarum, quam sibi non fuisse permissam dixit in secundo formali examine idem Testis, sicut ob negatam reminiscentiam, utrum præter enumeratas gemmas, adessent etiam aliæ in eodem contractu admixtæ, & ob similia dicta aliquo modo varia inter utramque depositionem, quæ facilè oblivioni tribui possent (dum intercessere duo anni cum dimidio ab exarata depositione extrajudiciali, & examine formitèr facto) minimè erant habiles ad ejus fidem minuendam, quia accidentalia tantum respiciunt, & non substantialia hujus contractus, ideoque non debent attendi, *Capyc lat. consult.*4. *n.*36., & *seqq. Card. de Luc. de judic. disc.*32. *n.*51. *Rot. dec.*618. *num.*8. *cor. Bich.*, & *dec.*126. *n.*18. *par.*19. *rec.*, & *in Ariminien. mann. tentionis* 5. *Dec.*1707. §. *Contradictiones cor. Emo D. Card. Scotto*.

Neque etiam tollebatur fides hujus Testis ex aliis objectionibus circa ejus famam res-
4 picientibus falso suppositam retrovenditionem cujusdam Census, & inquisitionem habitam in Curia Capitolina ob falsitatem pariter cujusdam Apocæ. Quoniam respectu primæ constat ipsum in veritatis, ac Justitiæ obsequium emisisse postmodum publicè, & palam confessionem rei gestæ circa dictam Census retrovenditionem, itaut proindè potius ex hoc ejus fides augeatur cum alias assentiri nolle hujusmodi falsitatibus adeo solemniter professus sit, & sese conscientiæ stimulis facilem demonstraverit; respectu verò secundæ, nulla in ejus famam macula ex sola querela, & inquisitione
5 potuit obvenire, dum constat nullum crimen verificari potuisse, neque unquam illum condemnatum extitisse, ut pluribus adductis perpendit *Rot. dec.*44. *n.*15. *p.*14. *rec.*, *in Bruttusina Pecuniaria* 4. *Martii* 1709 §. *Non relevantibus cor. cl. me. Card. Priolo*.

Cæterum non in dicto tantum istius Testis stat tota probatio hujus contractus, ut ulterius immorandum sit in vindicandæ fide ejus depositionis, nam concordat quoque
6 cum illo dictum alterius Testis metu excommunicationis revelantis, sese etiam requisitum ab Alghisio extitisse, ut ipsi mutuo pecunias inveniret, propterea que diligenter perquirendo gerendæ rei modum, allocutum fuisse cum eodem hactenus memorato Proxeneta, & hunc sese obtulisse promptum inveniendæ pecuniæ, quatenus pro medietate commixtæ reciperentur gemmæ, & præstaretur fidejussio Botti, ac demum audivisse, quod med ante opera ejus-
7 dem Proxenetæ, ita contractus stipulatus, atque conclusus fuerat. Hæc autem revelatio conscientiæ, & veritatis impulsu emissa plurimum pollet in adstruanda, & adminiculanda veritate pandita in ejus formali examine à supradicto Teste cum quo adeo benè concordat, juxta deduct. in decisione quæ revidetur §. *Non leve*, & *decis.*21. *n.*15. *par.*16. *rec.*, & *in Thermulen.*

Ma-

Manutentionis 15. *Febr.* 1714. §. *Clarior. cor. bo. me. Molines*.

Corollariè item accedunt, prçter decla-
8 rationem ipsius Alghisii juramento vallatam, pluring circumstantię, de quibus in dicta mea decisione, quę confirmatur §. His accedunt, & ex quibus simul junctis non solum coadjuvantur prçfatorum Testium dicta, sed imò perstringens probatio rei gestę inter contrahentes deducitur, quia
9 cum agatur de contractu vetito de jure tum communi, tum statutario, atque tam ex Constitutionibus Apostolicis, quam ex generalibus Urbis bannimentis punibili, ideoque occultè, & palliatè fieri solito à Callidis contrahentibus, etiam ex complexu circumstantiarum, argumentorum, & prçsumptionum, quę tendunt ad veritatem detegendam, Judicis religio potest illius probationem desumere, ut firmat *Rot. decis.*14. *n.*10., *& seqq. post Albit. de inconstant. in judic.*, & in similibus terminis *in Imolen. concursus super usuris* 10. *Iun.*1709. §. *Et quamvis cor. bo. me. Ansaldo*, ubi concordan.

Has verò circumstantias subministrabat
10 in primis oppignoratio gemmarum in Sacro Monte Pietatis facta ab Alghisio Mutuatario contemporaneè ad contractum, secundò secuta post modici temporis lapsum ejusdem Debitoris decoctio. Tertio quali-
11 tas Creditoris, qui tamquam publicus negociator, nec solitus pecunias otiosas retinere, nimium à quacumque verisimilitudine alienum est, quod voluerit conspicuam summam scut.3400. per simplicem schedulam *Pagherò* tradere absque ullo lucro, & cum biennii dilatione, quando cęteroquin, vix eodem biennio elapso, sollicitus fuit reddere contractum fructiferum, interpellatoque de more debitore pro damnis, & interesse, illum gravare studuit fęnore scutorum 15. pro quolibet centenario, & anno, itaut opus fuerit etiam quoad hosce prętensos fructus judicium assumere, & auctoritatem implorare nostri Tribunalis, à quo indebiti declarati extiterunt juxta decision. aditam die 11. Febr.1718. coram bo. me.
12 Ansaldo, & quarto demum aliis levioribus omissis, occultatio in contractu veri nominis Creditoris tradentis pecunias,& gemmas sępedictas, quam Dominicus fans in Judicio numquam negare valuit sicut etiam insolita methodus admittendi in fidejussorem, & expromissorem Contractus Antonium Botti per simplicem giratam syngraphę. Quę sanè omnia gesta videntur tot. in solitis cauthelis, totque inverisimilitudinibus, colligantur inter se, ut perneccesse in linea adminiculorum confirment Testium suprarelatorum depositiones, ac simul juncta perfectam constituant probationem, *Mantic. de tac. lib.*8. *tit.*13. *n.*8., *Mascard. de probat concl.*452 *n.*5. 11. *&* 12., *& Rot. dec.*530. *n.*9. *cor. Burat. dec.*85. *n.*10. *post* 2. *Volum. Consil. Farinacc.*, *& dec.*19. *n.*13. *par.*13. *rec.*

Supposito autem ex his, quod probata jam existat qualitas vitiosa, & à jure damnata hujus contractus, frustra Dominicus
13 opponebat, nequaquam allegari posse hujusmodi exceptiones in prçsenti themate, quo agitur de schedula *Pagherò* munita etiam in girata scripta per Antonium clausula illa *per altrettanti* quę cum importet specificam confessionem pecunię numeratę, rejiciat altioris indaginis oppositiones, ac de sui natura celerrimam executionem requirat. Quandoquidem, ut etiam dictum fuit in decisione, quę confirmatur §. Finali coram Me: tunc quidem procedunt omnia relata privilegia hujusmodi schedulę, & clausulę, quando agitur in Judicio illarum executionis, quia eo tunc ęquivalent deposito, prçseferunt numerationem pecunię, & rejiciunt totaliter contrarias probationes juxta auctoritates à Dominici Defensoribus adductas, & non ita est, quando jam obtentum
14 in Judicio fuit pro earum executione mandatum à Judice, fuitque captum pignus, & Creditori assecurata sui crediti satisfactio, & multo minus si etiam pignus, ut in prçsenti themate verificatur, adjudicatum sit eidem Creditori, quia isto casu pro Judicis religione probationes rei, & debitoris adversus illas recipiuntur, ut probant adducti in prçcedenti decisione loco citato, & admittit etiam *Constantin. ad Stat. Urb. pro Dominico allegatus annot.*12. *n.*67.

Aliàs enim si admitteretur ista Dominici prętensio, quod reus nullo modo posset
15 audiri, non solùm major vis, & efficacia tribueretur hujusmodi schedulis, quam publicis Instrumentis, quando cęteroquin in linea paratę executionis, & confessionis debitorum ęquiparantur, juxta ea, quę refert *bon.mem. Ansald. de commerc., & mercat. disc. generali. n.*170. *Rot. dec.*355. *num.*1. *cor. Cels.*, *& dec.*553. *n.*4. *par.*18. *rec. to.*2.
16 Verum etiam nimis tuta, atque ampla via aperiretur fraudibus sagacium virorum de alieno locupletari satagentium,& oppressionibus miserabilium debitorum, atque actum esset de quocumque modo detegendi adeo enormes contractus postquam quis alio modo suę indigentię reparationem non inveniens, misera necessitate ductus, & quandoque circumventus ad conficiendas schedulas hujusmodi devenisset, ex iis, quę ad rem ponderant *Cinus in l. si ex cautione q.*2. *sub n.*5. *C. de non numer. pecun. Alexand. consl.*179. *n.*3. *lib.*2. *Covarruv. Var. resolut. lib.*2. *cap.*4. *sub n. parit.*3. *Scacc. de Cambiis q.*2. *gloss.*8. *n. eod.*

Nullatenus denique Domini assumendum
17 censuerunt examen tot nullitatum, quę ob excessum tum in mandato, tum in executione, ob lęsionem in pretio locorum Montium deliberatorum, & alios consimiles defectus, deliberationi secutę pro suprarelato Credito opponebantur, quia superfluum illud erat, quoties constabat corruere ex hactenus firmatis, & Creditum, & man-

mandatum pro ea relaxatum, itaut jam exinde succurrendum esset Antonio de locis Montium spoliato per mandatum de reintegrando, juxta firmata in eadem decisione, quę confirmatur §. utrique parti, & in fine cor. Me ad quam plenariam relationem in omnibus habuerunt.

Et ita utraque &c.

URATISLAVIEN. JURIS APPROBANDI CONFESSARIOS.

Veneris 12. Decembris 1721.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria alterius emanatæ sub die 2. Decembris 1720.

Abbas Ordinis Cisterciensis habet facultatem deputandi Confessarios, eos instituendi, & destituendi in Monasteriis sibi subjectis cum approbatione tamen Episcopi.

Immemorabilis consuetudo, ut probetur per testes, requiritur, quod isti ita viderint per lapsum quadraginta annorum, ita servatum à majoribus audiverint, nilque viderint, nec factum audiverint in contrarium, & de publica voce, & fama deponant.

SUMMARIUM.

1 *Approbatio Confessariorum Monialium à Prælatis regularibus fieri nequit, licet illæ eorum Ordini sint subjectę, juxta Constitutionem Gregorij XV.* Inexcrutabili, *etiam immemorabili derogantem*, & n. 6. & 9.

2 *Approbatio prædicta pertinet ad Episcopos*, amplia, in n. 6.

3 *Derogatio Apostolica dicitur comprehensiva omnium prǫcedentium privilegiorum, quando Pontifex legem universalem indixit per quam omnia privilegia præcedentia præsumitur revocasse.*

4 *Amplia, ut tali casu censeatur etiam derogasse quibuscumque privilegiis, quæ speciali derogatione derogatoriæ derogatoriarum contentiva indigerent.*

5 *Abbas Generalis Ordinis Cisterciensis potest deputare Confessarios ad nutum amovibiles, eos instituere, & destituere cum approbatione tamen Episcopi*, & num. sequenti.

7 *Ordinarius non habet necesse in transactionibus ut sibi reservet, quæ juris sunt, ne dicatur, ut Jurit dispositioni renunciaverit.*

8 *Transactio semper stat restrictive ad ea, de quibus prius quæstio promota reperiebatur, nec trabitur ad id, quod pacifice possidebatur.*

9 *Consuetudo immemorabilis ut per testes probetur, isti debent habere requisita Glos. in cap. 1. verb. Memoria de præscript. in 6.*, & quæ ista sunt requisita, vide hic & num. 11. 12. 13. 14. 17. 18. 19. & 21.

10 *Monaci non præbent valide testimonium favore eorum Abbatis, sive Monasterii.*

11 *Observantia immemorabilis ut probitur per testes, isti saltem 54. annos ætatis numerare debent.*

12 *Testes se referentes ad Privilegia, corruunt eo ipso, quod ista adesse non reperiantur*; amplia, ut in n. 20.

13 *Dubitative, de propria credulitate, Judicio, vel ex propria præsumpta experientia deponentes, reijciuntur*, & n. 15.

14 *Consuetudo immemorabilis non probatur per testes deponentes per simplices illationes, & incerta argumenta.*

16 *Moniales non admittuntur ad ferendum testimonium de rebus, quæ extra eorum claustra fiunt*, & quare & n. 17.

17 *Testes sine regula scientiæ deponentes, quæ de cætero à testibus reddi debet, reiciuntur à probatione immemorabilis.*

18 *Consuetudo immemorabilis, ut probetur per testes, isti per coarctatam negativam possibilitatem in contrarium debent concludere, amplia, ut* n. 19. & 20.

19 *Debent esse contestes in probandis requisitis* glos final. cap. 1. de prescript. in 6. *neque conciliari, sive conjungi possunt, quando unus de una, & alter de alio requisito deponant.*

21 *Consuetudo immemorabilis centenariam probationem pro se requirit.*

DECISIO MCCLXXI.

GEminis jam decisionibus, quarum prima edita fuit 3. Februarij 1719. coram bo. me. Ansaldo, & secunda die 12. Junij 1720. coram Me. responsum fuerat jus approbandi Confessarios Monasterij Trebicensis deputandos ab Ordine Cisterciensi spectare ad Celsissimum Episcopum Uratislavien., non attentis pluribus, quæ ad tribuendum hujusmodi jus Reverendissimo Abbati Lubensi ejusdem Ordinis allegabantur Privilegijs; rejectaque etiam immemorabili præscriptione, ex qua itidem dictus Abbas Lubensis sibi præsidium cumulabat. Adhùc tamen, ut maturiori, quo par erat, judicio super hujusmodi quæstione procederetur, in qua votum nostri Tribunalis Sacrę Congregationi Eminentissimorum DD. Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum extradendum est, juxtà specialem hujus Causæ commissionem, proclives fuerunt Dominorum animi ad concedendam eidem Reverendissimo Abbati post relatas Decisiones, non solùm novam audientiam, sed etiam remissoriam, ad effectum complendi per formale Testium examen probationes super immemorabili, juxtà aliam decisionem evulgatam die 2. Decembris superioris anni coram Me.

Cùm autem in hujus remissorię sequelam jàm in Partibus prædictum Testium ex parte Abbatis adductorum examen completum extitisset, & processus ad Curiam transmissus, contigit hodiè reassumi discussionem Jurium, tum super eadem immemorabili, tum

tum super objectis iterum Ordinis Cister-
ciensis Privilegijs, at quia nullum ex hisce
fundamentis subsistebat è conspectu eorum,
quæ è contra assistebant Celsissimi Episcopi
intentioni, prodijt iterum rescriptum stan-
dum esse *in decisis*.

1 Quantum enim attinet ad Ordinis Privi-
legia, processerunt iterum DD. cum distin-
ctione illa, de qua in Causę decisionibus,
& signantèr in secunda coram Me §. *Et ser-
monem cum pluribus seq.*, quod si edita illa
sunt antè celebrem Constitutionem *Inex-
crutabili* san. mem. Gregorij XV. intèr ejus
impressas tom 4. la 18. per quam cautum,
& stabilitum legitur, quod Prælati Regula-
res approbare non possint Confessarios Mo-
nialium, quamvis ipsæ eorum ordini subje-
2 ctæ sint, sed talis approbatio consequentèr
spectet ad solos Episcopos, & tunc illa sta-
3 tim per hujusmodi Constitutionem abrogata
reperiuntur circa tale jus, licèt in illis ex-
presse concessum esset, dum ibi specifice
omnibus, & quibuscumque Apostolicis Pri-
vilegijs derogatur, & non solum d. Summus
Pontifex professus fuit indicere legem uni-
versalem, quo casu nequidem est necessaria
præcedentium Privilegiorum derogatio
specifica, quam requiri ex alio Ordinis Pri-
vilegio Abbas contendebat; verum etiam
tanta verborum amplitudine dispositionem
complevit ibi - *Etiamsi pro illorum suffi i:n-
ti derogatione de illis specialis, & indivi-
dua mentio, seù quævis alia expressio haben-
da, aut aliqua alia exquisita forma servan-
da esset &c.* additis clausulis -- *Tenores hu-
jusmodi &c. præsentibus pro expressis haben-
4 tes &c.*, ut derogasse omninò dicendum sit
etiam quibusvis Privilegijs, quæ speciali
quavis derogatione indigerent, & haberent
in se etiam derogatorias derogatoriarum, ut
cum alijs relatis in d. mea decisione §. *Ve-
rùm etiam*, probat *Card. Albit. penès Card.
de Luc. de Jurisdict. discept. 2. quæst. 9.
num. 5. & Rot. dec.* 109. *n.* 10. *cor. Eodem
san. mem. Greg. XV.*

Si verò loquimur de alijs Privilegijs, quę
P. Abbas Lubensis asserit sibi supervenisse
post dictam Constitutionem Gregorianam,
ea utique consistunt in Bulla clar. mem. Ale-
xandri VII. in Bullar. tom. 6. la 168. edita
pro recto regimine Ordinis Cisterciensis,
& in concordia inita ab Abbate Prędecesso-
re anno 1667. cum claræ memoriæ Cardina-
li Langravio de Hassia tunc Episcopo Vra-
tislavien., & nullus utique titulus pro as-
serto jure approbandi Confessarios, de qui-
bus agitur, indè resultare comperitur. Nam
5 san. mem. Alexander VII. in pręfata Con-
stitutione 168. §. 15. nil aliud disposuit, nisi
quod Abbati Generali, & quatuor prima-
rijs Abbatibus Ordinis deputare liceret
Confessarios Monialium ad nutum amovibi-
les, qui ab ijs instituantur, & destituantur,
non inde tamen sequitur, quod per hujus-
modi dispositionem directam ad regimen
ordinis, & obedientiæ observantiam con-
cessa sit exemptio à jurisdictione Episco-
6 porum, quibus de jure, & ex præcedenti-
bus aliis Apostolicis Constitutionibus com-
petebat facultas eos approbandi, exercen-
do in hac re actum auctorizabilis approba-
tionis Ordinarijs privative quoad Prælatos
inferiores, ut advertit *Gloss.* & probant *Do-
ctores in Clement.* 1. §. *Volumus de for. com-
peten. & Fagnan. in cap. eam te num.* 3. *de
7 ætat. & qualit.* Memorata vero concordia,
quæ unice stipulata fuit ad sedandas tunc
exortas jam controversias nullatenus trahi
valet ad concessionem hujusmodi juris favo-
re Abbatis tàm ratione Personarum transi-
gentium, & signanter Ordinarij, qui non
sufficit, ut sibi ea, quę juris sui sunt, ex-
presse non reservet, sed satis est, ut specifi-
ce non cedat, ne cuiquam alteri illa permis-
sa censeantur, quàm ex natura quoque ipsius
8 Transactionis, quæ semper restrictive inita
intelligitur super ijs, de quibus quæstio prius
promota reperiebatur, neque trahitur ad
id, quod tute, & pacifice (prout erat idem
jus Confessarios approbandi) Episcopo com-
petebat, ut pariter firmat decisio, quæ re-
videtur §. *A Privilegijs coram Me*.

Hisce præmissis circà deficientiam cujus-
cumque tituli, super quo P. Abbas suum
9 constituere valeat fundamentum examinan-
da erat efficacia immemorabilis pręscriptio-
nis, in qua hodie potentior conatus P. Ab-
batis reponebatur, pro eodem jure sibi ad-
sciscendo. DD tamen, prætermissa illa quę-
stione, utrum d. immemorabilis pręscriptio
attendenda esset, nec ne adversus suprà re-
latam Constitutionem san. mem. Gregorij
XV., quę illam videtur sustulisse, juxta
decretum Sacrę Congregationis Concilij in
Cadurcen. 12. *Julij* 1659. *relat. per Mona-
cell. in formular. legal. tom.* 2. *formul.* 15.
tit. 15. *num.* 6. *fol.* 190. concluserunt nulla-
tenus obstare Celsissimo Episcopo assertam
hanc immemorabilem ex defectu probatio-
num pro ea à P. Abbate deductarum.

Quamquam enim exhiberetur ad hujus-
modi effectum Processus Remissorialis exa-
minis formalis octo Testium, ex quorum di-
ctis prętendebatur ex parte P. Abbatis resul-
tare concludentem justificationem ejusdem
immemorabilis observantię approbandi pri-
vative, quoad Celsissimum Episcopum Con-
fessarios sæpedicti Monasterij, adeò tamen
graves in dictis eorumdem Testium difficul-
tates Domini invenerunt, ut nequaquam il-
los concludere putaverint, ut ad rem ne-
cesse erat, notaria requisita *Gloss. in cap.* 1.
verb. memoria de præscript. in 6., quod sci-
licèt ità viderint per 40. annos ante motam
litem, atquè ità servatum audiverint à suis
majoribus, qui ab alijs idem audiverant, ne-
que unquam in contrarium aliquid viderint,
aut affirmari intellexerint à suis pariter ma-
joribus, atque restentur de publica voce, &
fama, per verba tam præsens, quam prete-
ritum tempus comprehendentia, ut cum
alijs explicat plenè *Rot. dec.* 528. *n.* 11. *cor.*

Bich. dec. 637. n. 16. cor. Cerro, & in Oveten. Funeralium 7. Aprilis 1704. §. *In hac autem cor. bon.mem. Molines, in Carpentoracten Jurisdictionis 15. Martij* 1706. §. *Veritate coram bo. me. Omanna, & in Brundusina Praeminentiarum 20. Martii* 1719. §. *Probationum cor. R P.D. meo Herrera.*

10 Porrò omissis exceptionibus personalibus, quæ contrà omnes prædictos Testes deducebantur, utpotè quià tres essent Monaci Ordinis Cisterciensis, tres Moniales ejusdem Ordinis, & etiam Monasterij de cujus Confessariis approbandis agitur, ideoque jam sex essent Subditi ipsius Abbatis Lubensis, & alij duo simplices Artifices, sub quorum sensu, visu, & auditu admodùm improbabile est hujusmodi rem incidere potuisse, jam depositiones duorum, nempè primi, & tertij, qui sunt Monaci, reijciendæ erant ob defectum ætatis, cum alter sit annorum 43. &
11 alter 50.. quando de cætero, ut ad probandam immemorabilem admitti valeant, debeant esse in ætate annorum 54. saltèm constituti, & ità detracto tempore litis, de visu per 40. annos testari possint, de *Luc. de decim. disc.* 1. *sub numer.* 8. *Rot. decis.* 551. *coram Buratt. dec.* 158. *coram Emer. Jun. utrobique n.* 4 *dec.* 81. *nu.* 5. *part.* 12. *recent. & in Calaguritana Decimarum de Aguilar.* 26. *Junij* 1698. §. *Minusque coram. bo.me. dell' Olmo.*

12 Sex autem superextantium dicta, si ut decet, maturè perpendantur, constat illicò, quod depositio secundi Testis, nempè P Benedicti Mentzel Monaci nullo calculo haberi potest, eo ipso, quod in responso ad articulum sextum asseruit, facultatem hujusmodi Abbatum pro tempore constare etiam *ex Juribus, & Privilegiis Monasterij*, quià per hanc relationem ad Monasterij Privilegia fit, non ut plus concludat ejus dictum, quàm importent ipsamet Privilegia, ideoque, si ut suprà demonstratum est, controversam facultatem eadem Privilegia nullo modo Abbatibus concesserunt, nequè illam ipsis competijsse probare potest Testis ad ea relativus, ut per *Text. auth. si quis in aliqua C. de eden.* advertunt *Decius consil.* 63. *sub n.* 6., *Rot. dec.* 62. *num.* 2., & 262. *num.* 6. *par.* 16., & *dec.* 191. *num.* 12. *par.* 19. *recent. cum alijs in Calaguritana Decimarum S. Petri Maurique* 14. *Aprilis* 1698. §. *Demum nec contraria coram bon. mem. dell' Olmo.*

13 Claudicat itèm depositio duorum Testium Secularium in ordine quarti, & quinti; Quartus enim præsupponit, P. Abbatem habere facultatem approbandi Confessarios hujus Monasterii, eo quia Confessarii prædicti sunt, ut plurimum Religiosi sui Monasteriis quintus verò adducit pro causa scientiæ, id scire ex propria præsupposita experientia, quo nil magis inverosimile dici potest, cum sit Artifex Arcularius; unus item requisitus, an aliquam habeat notitiam assertæ probationis, respondit, opinari duntaxat, Confessarios esse semper approbatos, à quo tamen, & quomodo, fatetur se nescire. Alter verò præsupponit quidem fieri approbationes Confessariorum ab Abbate; quomodò tamen illæ fiant, vel in voce, vel in scriptis interrogatus, ignorare se hæc omnia testatur. Undè statim eorum dicta refelluntur, quia ad probandam consuetudinem, nulla fides præstatur Testibus deponentibus
14 per simplices illationes & incerta argumenta, ut inquit *Rot. dec.* 166. *num.* 10. *cor. Cels, & in Ariminen. Attentatorum* 25. *Januarii* 1717. §. *Primò scilicèt coram R. P.D. meo Foscaro.* Neque referentibus tan-
15 tùm propter eorum credulitatem, & Judicium, ut pariter firmat *Rot. dec.* 626. *nu.* 2. *coram Dunoz. Junior. dec.* 139. *num.* 2. *par.* 16. *recent.*, *in Pampilonen. Manutentionis* 10. *Maii* 1706. §. *Neque possessio coram bo. mem. Caffarello, & in Monasterien. Legitimitatis Partus* 12. *Martii* 1708. § *Respectu vero cor. Me.*

16 Minoris efficaciæ sunt etiam depositiones trium Testium, quæ sunt Moniales Monasterii Trebiciensis, de cujus Confessariis approbandis est controversia; in primis enim agitur de re, quæ fit extrà Claustra ipsarum Monasterii, undè potest dubitari, quod Monialibus ex hoc ipso non innotuerit; rursus, & fortiùs requisitæ in tertio interrogatorio an scirent quomodo fierent Confessariorum approbationes, omnes fassæ fuerunt id nesci-
17 re; idcòque remanent illarum depositiones sine regula scientiæ, quæ cæteroquin certa reddi debet à Testibus, ut prò immemorabili probanda recipiantur, ad *Text. in capit. super litteris de Testib.*, *Rot. decis.* 97. *num.* 9. *par,* 7. *rec.*, *decis.* 285. *num.* 6 *coram Cerro, & in Compostellana Parochialis* 2. *Iunii* 1698. §. *Indequè coram bo. mem. dell'Olmo.*

18 Et in universum refellitur examen istorum Testium ea generali, quam ferè omnes patiuntur exceptione, quod nequaquam in eorum responsionibus coarctarunt negativâ concessæ umquam approbationis ab Ordinariis Vratislavien., & semper concessæ è contrario ab Abbatibus, itaùt si concessæ etiam fuissent ab Ordinariis, id ipsi scire, & deponere valuissent sinè qua sanè probatione negativæ coarctatæ cum hac exclusione possibilitatis in contrarium Testes immemorabilem concludere non possunt, ex firmatis per *Rot. decis.* 400. *num.* 15., & 16. *coram Bich. dec.* 855. *num.* 9. *coram Dunoz. Jun.*, *dec.* 176. *num.* 8., & *dec.* 544. *num.* 9. *coram Cerr.*, *dec.* 11. *num.* 3. *post Vivian. de Iurepatr. dec.* 430. *nu.* 10. *par.* 18. & *in Calaguritana Decimarum de Aguilar.* 13. *Januarii* 1698. §. *nec ad coadjuvandam coram bon.me. Molines*, & advertit *præcedens decisio* §. *Ac præterea cor. Me.*

19 Absque eo quod ullo modo prodesse posset conjunctio omnium depositionum & summaria quædam quo ad omnium Testium dicta ponderatio, ut saltem simul jun-

ctæ,

ctæ, & invicem adminiculatæ probationem sufficientem constituerent. Quia quicquid sit in aliis materiis, in terminis probandæ immemorabilis illa est recepta nostri Tribunalis Sententia, ut Testes super ea deponentes omnes esse debeant Contestes in probanda singula illius requisita, desumpta, ut dictum est supra *ex gloss. final. in cap. de præscript. in 6.*, neque conjungi possint, si unus de uno, & alius de alio requisito deponat, ut latè per *Marescott. var. resol. cap. 100. sub. numero 10., & alio Decttores*, firmant *Rot. dec. 228. num 9. coram Bich., d. dec. 11. num. 1. post Vivian. de Iurepatr. dec. 201. num. 15. par. 13., & dec. 139. num. 4., & dec. 430. num. 12., & seq. par. 18. recent.*

10 Neque ullum fulcimentum dicta Testium recipere valent ex Cathalogo Confessariorum Monasterii Trebiciensis, aut ex fide Cancellarii ejusdem loci Trebicii, asserentis, constare ex libris, & regestris eos fuisse approbatos ab Abbatibus, & non ab Ordinariis; quippe quia ex cathalogo non habeotur nisi nomina Confessariorum, & nihil ibi exprimitur de eorum approbatione, ideoque non facit ad rem: Archivista verò, seu Cancellarius, cum sese referat ad libros, & regestra, nisi hæc exhibeantur nihil probat, *Rot. dec. 600. num. 6. cor. Burat., & dec. 359. num. 6. coram sa. me. Gregor. XV.*

11 Non omittenda denique DD. censuerunt eam facti animadversionem, quod Bulla sa. me. Gregorii XV., ex qua antiqua Privilegia, & etiam immemorabilis saltem anteà decursa sublata, extiterunt, prodiit anno 1622., undè cum etiàm à viginti circiter annis cœperint Episcopi Uratislavienses obluctari adversùs Abbates utentes facultate approbandi Confessarios Monialium, & proindè relaxare fueverint approbationes quorumcumque Confessariorum cum ea clausula *exceptis Monialibus* -- indè sequitur, quod deficit etiam tempus aptum ad constituendam immemorabilem, ut potè restrictum ad annos 80. dumtaxat, quando tamen adhunc effectum requiritur lapsus saltem centum annorum, ut videre est *dec. 583. per tot. par. 4. divers., dec. 206. num. 5. cor. Cerr., & dec. 236. num. eodem par. in. recentior.*

Et ita utraque &c.

MELEVITANA DOTIS.

Veneris 12. Decembris 1721.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius emanatæ sub die 7. Februarii hujus anni.

Mater dicitur remisisse creditum quod habebat super hæreditate viri, eo ipso, quod illius hæreditatem dividi inter proprios filios passa sit absque illius petitione, nec non gemmas proprias illis tradidisse, & non viri, quando, facta confrontatione utrarumque, illæ traditæ filiabus, ab illis viri diversæ dignoscerentur, & reliqua secum fert præsens.

SUMMARIUM.

1 *Hæres non potest retardare solutionem debiti à defuncto recogniti.*

2 *Via executiva, elapso decennio in regno Siciliæ non datur pro dote; secus verò, si intra decennium lis sit promota.*

3 *Amplia, quando contrahentes ussisunt clausulis istis* -- non possint se opponere, excipere, defendere, quin prius solvant &c., *quæ verba viam executivam præseferunt.*

4 *Compensatio crediti certi, & liquidi intrat cum debito certo, & æque liquido, secus cum illiquido, & dubio*, amplia ut in numero 8. & 9.

5 *Consentiens assignationi, seu alienationi omnejus, quod super bonis assignatis, seu alienatis habebat, censetur remisisse*, & nu. 6.

6 *Mater censetur remisisse favore filiorum portionem sibi debitam ex hæreditate filii præmortui, quando eam numquam postulasset, neque etiam in actu divisionis bonorum paternorum inter easdem secutæ, de quibus illam detrahere valuisset.*

7 *Remissio jurium facta a defucto non potest ab hærede, seu ab eo causam habente retardari.*

10 *Testes bene informati de facto proprio deponentes, & per eorum manus transacto plene probant*, & num. 11.

11 *Testes defuncti post factam fidem, pro formiter repetitis reputantur.*

12 *Nemo præsumitur mentiri in ultimis vitæ periodis.*

13 *Mater præsumitur tradidisse gemmas suas, & non viri propriæ filiæ in exonerationem propriæ obligationis, quando illæ essent à gemmis viri diversæ.*

14 *Solutio semper cedere debet in causam expressam, nec est in libertate debitoris eam ad diversam referre.*

DECISIO MCCLXXII.

Suppositis nouo examini decisionibus coram Me editis diebus 26. Iunij 1720., & 7. Februarij labentis anni in contumaciam Fratrum de Boniciis non informantium, Domini, approbato credito dotali Catharinæ Boniciæ in annuis præstationibus sc. 150. decursis, & non solutis ab anno 1698., usque ad 1717., una cum residuali summa capitalis non assignati, ejusque fructibus post d. annum 1617. decursis, pro istis tantum mandatum esse relaxandum censuerunt; ideoque reformando condemnationem quoad Iocalia, Argenta, & Supellectilia, ut infra, responderunt pro persistentia *in decisis juxta modum.*

1 Siquidem creditum dotale Catharinæ Boniciæ Actricis, ut firmatum extitit in præteritis resolutionibus, iam pro dd. annuis

præstationibus, quam pro residuali rata capitalis, ſe. 24. 9. egreditur undequaque ſubsistens, tum ex clara obligatione per Vincentiam Sciaram ſuſcepta occaſione dotationis d. Catharinæ filiæ, tum ex debiti confeſſione in pluribus actibus emiſſa per Fratres de Boniciis Reos conventos; undè Cathatina pro d. ſui crediti dotalis conſecutione expeditam habet actionem contra dd. fratres de Boniciis hæredes dictæ Vincentiæ dotantis, ad firmata per *Rotam coram Cerr. dec. 54. num. 7. & ſeqq. & in Romana reductionis in priſtinum locorum Montium 28. Febr. 1715. §. Abjectis coram Reverendiſs. Criſpo, & in Romana dotis, & Ineri 10. Junii 1720. §. In dubium cor. R. P. D. meo Cerro.*

2 Nec ad repellendam Catharinam à eierl conſecutione d. ejus crediti dotalis, alicujus momenti apud Dominos viſa fuit exceptio incompetentiæ viæ executivæ, eo quod ritus Regni Siciliæ, cum quo tranſit Inſula Melevitana, tribuens proceſſum executivum inſtrumentis dotalibus elapſo decennio locum non habeat, imo ex illo præſcripta potius remaneat actio agendi via executiva, ut notat *Ioſeph Cumia in Rit. Sicil. cap. 7. num. 8. & 9. cap. 17. num. 11. cap 37. num. 10. Giurb. obſerv 74. num. 3. Milanenſ. dec. 12. nu. 32.* Ultrà quod enim juſtificatum extitit in facto matrimonium per Catharinam contractum fuiſſe anno 1668., actionem verò pro conſequenda dote judicialiter fuiſſe promotam de anno 1677., & ſic ante decennium cum continuatione judicialis inſtantię, & ſucceſſivè etiam debiti approbatione, in quibus terminis ſatis interrupta, & excluſa dicitur præſcriptio ex forma dicti Ritus deducta, juxtà firmata per *Rot. in Melevitana Pecuniaria 10. Maii 1715. §. Fruſtrà cor. R. P. D. meo Falcon. Almæ Urbis Gubern.*

3 Objectum penitus removetur, quia inſtrumentum dotale Catharinæ ultrà ſtipulationem in forma Ritus d. Regni Siciliæ continet clauſulas, quod contrahentes -- *non poſſint ſe opponere, excipere, defendere, quin priùs ſolvant, & adimpleant &c. & pignora vendantur per diſcurſum renunciantes &c.* quæ clauſulæ independenter à Ritu viam tribuunt executivam, ut in puncto tradunt *Cumia in Rit. Siciliæ cap. 21. num. 31. Maſtrill. dec. 126. num. 1. in rec. deciſ. 356. nu 4. cum duob. ſeqq. & dec. 282. ſub n. 6. verſ. nec opponi par. 14. cor. Bicb. dec. 537. nu. 8. & 9. & proſequitur in d. Melevitana Pecuniaria 17. Maii 1715 §. Iuris cor. R. P. D. meo Falconerio,* pręcipue pro dd. annuis præſtationibus, quæ cum ſuccedant loco Alimentorum de ſe paratam executionem obtinent, ut bene in *aduot. ad deciſ. 666. num. 171. p. 4. tom. 3. recen., Rota apud Zacch. de obligat. Cameral. deciſ. 180. num. 7.*, & tanquam confeſſatæ non admittunt aſſertæ præſcriptionis exceptionem, *l. cum notiſſimi 7. §. Imo, & illud verſ. ſed & ſi C. de preſcript. 30. annor., Natt. conſ. 402. num. 64., Gratian. diſcept. 994. num. 10., Rota in recen. dec. 226. n. 17. p. 19.*

4 Minuſque relevans apparuit exceptio compenſationis, ſub qua Fratres de Boniciis tueri ſe contendebant à ſolutione dicti crediti dotalis; cum enim ad effectum compenſationis regulæ ſint undique firmæ, quod creditum compenſandum ſit clarum, & liquidum, *Cyriac. contr. 120. num. 12., Marant. in prax. p. 4. diſtinct. 6. num. 2., & 3. Rota in rec deciſ. 534. num. 9. p. 1. coram Ninot., deciſ. 38. num. 5. cor. Emer. jun. deciſ. 38. num. 5. coram Emerix jun., dec. 527. nu. 11.*, quodque nullam admittat dubietatem, nec in ſubſtantia, nec in quantitate, *Rota in Romana, ſeu Tuſcanen. manutentionis ſuper relevatis 2. Julii 1710. § Ex his itaque coram Reverendiſſimo Criſpo, & in Camerinen., ſeu Spoletana bonorum 21. Ianuarii 1718. §. Potiſſimum cor. R. P. D. meo Corio.*

Hujus ſanè generis dici nequeunt credita in medium deducta pro obtinenda d. compenſatione cum credito Catharinæ Actricis undique claro, & confeſſato; quo enim ad primum ennuſtens in tertia parte ſucceſſionis ex perſona Antonii Filii præmortui debitæ præfatæ Vincentiæ Matri, cum iſte in cauſam dotis paternam ſubſtantiam integrè aſſignaverit d. Catharinæ, & Mariæ filiabus, & reſpectivè Sororibus d. Antonii præmortui, imò pro pinguiori dotis conſtitutione eiſdem de propriis bonis promiſerit annuum redditum ſcutor. 150. reportata quietantia adminiſtrationis per ipſam

5 filiæ, abſque dubio ad minuendam dotem aſſignatam allegabilis hodie non eſt detracta portionis, quæ ſuper bonis paternis eidem Vincentiæ competere potuiſſet ex juribus Antonii Filii prædefuncti, quia cum ex his dubitari nequeat de conſenſu ejuſdem Vincentiæ Matris ſuper integra bonorum paternorum aſſignatione, ex mente, & voluntate ejuſdem aſſignantis, cenſetur, quod omne jus ei competens ſuper dd. bonis favore dd. filiarum fuit remiſſum, quodque nihil ex hoc jure per ipſam detrahi voluerit, *ad text. in l. Si conſenſit in princ. ff. quibus mod. pign., & hypothec. ſolv., l. creditor. 118. ff. de reg. jur. l. cum te à debitore, C. de remiſſ. pign., Manſ. conſult. 320. nu. 25., Palm. Nep. alleg. 57. nu. 4., & 5., Gratian. diſcept 234. n. 4., Rota cor. Priol. dec. 75. n. 14.*

6 Potiſſimè quia poſt dotis aſſignationem ſorores de Boniciis devenerunt ad diviſionem bonorum paternorum præſente, & conſentiente d. Vincentia Matre, quæ non ſolum unquam non oppoſuit d. compenſationem, vel portionis ſibi debitæ detractionem, ſed donec vixit, ſolvit d. annuum redditum, facta ſucceſſivè in ejus ultimo Teſtamento in ſatisfactionem capitalis aſſignatione nonnullorum Prędiorum, quæ effectum ſortiri non potuit ob vinculum fideicommiſſi ſuper illis comperti, ex quibus facti circumſtantiis, undi-

dique profluunt argumenta exclusiva competentiæ præfatæ detractionis, quia si dicta Vincentia noluisset portionem sibi ex persona filii præmortui acquisitam favore filiarum remittere, utique vel bona à Patre provenientia integrè filiabus non assignasset, vel saltem in divisione desuper facta jura pro ejus indemnitate reservasset, nec quousque vixit aonuas dotis præstationes liberè persolvisset, minusque in testamento debitum approbasset absque mentione prætensæ imputationis, vel compensationis, ut in fortioribus terminis probat *Rota in Interamnen. Fideicommissi* 17. *Iunii* 1709. §. *Ex quibus cor. b.m. Molines, in Camerinen. bonorum* 17. *Iunii* 17:1. §. *Admodum*, & *seqq. cor. b.m. Ansaldo*, & 6. *Febr.* 1713. §. *Incalescit cor. Me*.

7 Ex eisdem fundamentis reiiciendum venit creditum desumptum ex Prædio *del Barone*, quod tanquam acquisitum à Philippo Cassa re Viro d. Vincentiæ constante Matrimonio, in vim pacti dotalis, eidem Vincentiæ pro medietate spectare prætenditur, quia cum d. Vincentia d. Prædium liberè dimiserit, consentiendo, ut illud filiæ dividerent una cum aliis bonis paternis, reportata correspectivè quietantia pro administratione, nec ex post detractionem, vel compensationem sub hoc motivo excitaverit, imo debitum approbaverit, diminutio per viam compensationis ab hæredibus ejusdem Vincentiæ proposita absque dubio non valet opponi, *ad text. in l. cum à Matre* 6. *de rei vindic.*, *Rota cor. Buratt. dec.* 229. *n.* 11., & *in Romana Pecuniaria* 1. *Martii* 1709. §. *Consistit cor. Me*, & *in Romana Immistionis* 8. *Martii* 1717. §. *Etenim cor. R.P.D. meo Cerro*.

Ejusdemque irrelevantiæ detectum fuit alterum creditum à Fratribus de Boniciis desumptum ex damnis; & expensis passis pro repellenda evictione Prædii *del Bordino* obventi d. Mariæ Boniciæ alteri eorum Auctrici in divisione bonorum communium cum Catharina sorore; quia cum d. Catharina in sua portione molestias pariter, ac damna passa fuerit pro simili evictione Prædii di *Rasel Hamria*, expensæ hinc inde factæ ad summum compensari debent, & si quid plus ab altera ex partibus asseritur impensum pro tuitione sibi obventæ portionis, poterit, secuta liquidatione, in alio Ju-

8 dicio repeti, sed minimè licet dd Fratribus de Boniciis sub prætextu hujusmodi crediti non liquidi actionem claram Catharinæ pro consecutione promissæ dotis competentem retardare, ut bene *Rota in Spoletana bonorum* 4. *Maii* 1705. §. *Prima siquidem*, & *seqq. cor. b m. Kaunitz*, & *in Civitetana census* 1. *Martii* 1706. §. *Etenim suppr.si um cor. cl. me. Card. Priolo*.

Rejectis aliis prætensis creditis pro eadem compensatione adductis *in responsione dictorum Fratrum de Boniciis*; quia excepto illo pensionum domus, quod ultro boni-

ficandum admittebant Defensores Catharinæ 9 in sc. 360., reliqua tàm circa majorem pensionum quantitatem, quàm circa alia prætensa credita, comperta fuerunt undequaque turbida, ac illiquida, ideoque nullatenus apta ad reportandum intentum compensationis, quæ omnem turbiditatem, & illiquiditatem excludit, *ad tet. in l. unic. Cod. de compensat. Rota in rec. dec.* 679. *n.* 5. *p.* 1. *cor. Priol. dec.* 278. *n. fin.*, *in Spoletana bonorum super negocio principali* 3. *Julii* 1702. §. *Et quia cor. bo.me. Pio*, & *in Aximana Censuum de Palmucciis* 15. *Junii* 1703. §. *final. cor. bon. me. Caffarello*.

Ex his autem assumentes inspectionem quoad gemmas, argenta, ac supellectilia; DD. in hac parte *recedendum* censuerunt à contumacialibus resolutionibus; licet enim memorata Vincentia Auctrix dictorum Fratrum de Boniciis in causam dotis, ultra dictum annuum redditum sc. 150. Catharinæ filiæ de proprio promiserit etiam sc. 2000. in tot Jocalibus, argentis, ac supellectilibus,

10 nihilominus de istorum omnium consignatione constare visum fuit ex depositionibus Testium deponentium de effectiva traditione per Vincentiam facta pro implemento susceptæ obligationis, quibus tamquam benè informatis plenè deferendum est, etiamsi

11 ad perpetuam tantum deponant, quia cum obierint sub d. depositione, habentur pro formiter repetitis, *Rota cor. Greg. dec.* 434. *n.* 5. *cor. Merlin. dec.* 321. *n.* 8. *in rec. decis.* 119. *n.* 13., & *seqq. p.* 12., & *dec.* 458. *n.* 1.,

12 & 2. *p.* 14., juncta præsertim implicita confessione ipsius Vincentiæ debitricis, quæ in ejus ultimo testamento fassa est tradidisse promissas gemmas, ac supellectilia, nàm sicuti præsumi nequit d. Mulierem in detrimentum Animæ suæ mentiri voluisse, confingendo solutionem conspicuæ summæ, ità ex ejus declaratione veritas controversæ traditionis firmius remanet comprobata, *Bartol. in l. rationes in princ. Cod. de probat.*, *Surd. dec.* 103. *n.* 4., & *Sac. Rota in rec. dec.* 391. *n.* 7. *p.* 17., *in Romana Pecuniaria* 20. *Martii* 1716. §. *Maximè cor. Me* & *in Romana Donationis* 17. *Junii* 1718. §. *final. cor. R.P.D. meo Cerro*.

13 Non attenta responsione per dd. Fratres de Boniciis data, quod scilicet Jocalia, & Supellectilia per Vincentiam consignata essent hæreditaria Philippi Patris ejusdem Catharinæ, adeout cedere non potuerint in causam debiti materni, quia cum dd. Jocalia, ac supellectilia consignata Catharinæ tradita fuerint per Vincentiam in adimplementum propriæ obligationis, & insuper non solum correspondeant valori scut. 2000. per ipsam Vincentiam promissorum, sed etiam discordent in confrontatione cum jocalibus, & gemmis in testamento, ac inventario paterno descriptis, in his circumstantiis admittendum potius visum fuit, quod illa ad ipsam Vincentiam pertinuerint, quodque ejus debitum legitimè extinxerit,

ad

ad tradita per *Rotam in rec.dec.299.n.7., & seqq.p.19., & in Romana reductionis in pristinum locorum Montium super redditione rationis 29. Novembris 1717. §. Frustraque & 28. Novembris 1710. §. Et sane coram R.P.D. meo Falconerio.*

Minusque demum attendi meruit, quod
14 dicta Jocalia, & supellectilia pertinuerint
ad Catharinam uti hæredem fideicommissariam q Leonardi Sciarræ, & Ascanii Surdi, quia nullibi constat illa reperiri obnoxia vinculo dd. fideicommissorum, & quatenus alterum ex illis esset reintegrandum pro argentis, aliisque distractis, Catharina pro hoc asserto credito in alio particulari Judicio agere debet pro reintegratione, ne; aliàs in ejus arbitrio, & voluntate sit solutionem pro uno debito factam in aliam assertam causam convertere in præjudicium Creditoris, ejusque causam habentis, contra regulam *text. in l. 1. ff. de solut., Rota cor. Cels. dec. 190. n.9. in rec.dec.243. n.10. p.15., dec.424. n.4.p.19., & in Perusina Immissionis* 18. *Martii* 1718. §. *Altera vero cor. Me.*

Et ita utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA SUPER CONSIGNATIONE.

Veneris 12. Decembris 1721.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria *juxta modum* alterius emanatæ sub die prima Julii 1720., & argumentum continetur in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Pecuniæ ex deliberatione nulla retractæ, eã passo, vel hæredi sunt consignandæ.*

2 *Jus æquale habens debet consequi quidquid alii Consuccessores eodem Jure sunt adepti*, & n. 4.

3 *Creditum illiquidum, sive consumptum cum perceptione fructuum rata census deliberata, amplius reviviscere nequit.*

5 *Sequestrum apponi debet super capitali locorum Montium alicui consignandorum, quando adsit motivum reddendi tutum super eo illius Creditorem.*

DECISIO MCCLXXIII.

Dupplex controversia huc usque acta fuit in nostro Auditorio inter Antonium Astesanum causam mediatam habentem à Paulo Nannio, & Alexandrum Frezzam Cessionarium Mariæ Jacobæ Boromeæ Legatariæ Mariæ Capobassæ, quæ fuerat hæres mediata Andreæ Gorii, & litis Consortes; altera super nullitate deliberationis ratæ census scutorum mille in majori summa scutorum 3000. debiti d. Nannio a Duce Salviato, & favore d. Gorii perpetratæ de anno 1648., in qua prodierunt coram Me geminæ decisiones dia 26. Januarii, & prima Julii 1720., quas etiam Frezza solemniter acceptavit; altera super consignatione pecuniarum provenientium ex censu deliberato, in qua pariter prodiit Decisio favore Astesani die 26. Januarii superioris anni decernens consignationem scutor. 1732., successive tamen Causa reproposita d. die prima Iulii ejusdem anni, adeo intricatas opposuit exceptiones Frezza, prætendens signanter prælationem in consignatione ob assertas expensas factas ad recuperandas pecunias, de quibus agitur, & ob reviviscentiam Crediti, cujus vigore facta nulliter fuerat supradicta deliberatio, ut Domini mature procedentes ad ferendum eorum Judicium, censuerint rescribendum -- *Dilata, & eligatur Peritus.*

Edita hoc interim illius relatione, causa controversæ consignationis rediit ad trutinam in hodierna Audientia, & DD. perscrutantes Jura partium coram Perito late deducta, & per eum distinctè exposita in dicta sua relatione rescripserunt -- *In decisis juxta modum* in præsenti decisione explicandum, ita scilicet, ut pro nunc sit locus consignationi scutorum 600. favore Astesani, reserventur Jura Canonico Frezzæ pro expensis in particulari Judicio, & apponatur interim sequestrum super capitali quinque locorum Montium.

Quod enim in genere locus esset consignationi pecuniarum, de quibus agitur iterum resultare DD. putarunt ex illarum qualitate, proveniunt namque, ut in facto concordato coram Me dictum fuerat, & admissum extitit etiam coram Perito, ab eo credito scut. 3000., quæ Dux Salviatus in transactione inita cum Catherina, & Andelia causam habentibus à Paulo, Nannio originario Creditore Census scut. 4000., convenit apud se remanere debere velut in depositum ratione prætentionis iam tunc præcognitæ nullitatis deliberationis factæ de rata scut. mille d. census, quæque successivè idem Dux Salviatus cum specifica relatione ad Instrumentum huius transactionis deposuit
1 in Banco S. Spiritus. Unde cum canonizata
jam hodie fuerit nullitas ejusdem deliberationis, & admissa reperiatur etiam à Canonico Frezza acceptante Rotales resolutiones, quæ super illa emanarunt, utique sequitur, quod Astesano causam habenti a Paulo deliberationem passo illæ adiudicandæ sint, & consignandæ, juxta deducta in precedenti decisione 26. Januarii 1720. §. *In eo stetis cor. Me.*

Eo fortius, quia, ut habetur in eadem Decisione §, *Maximè verò*, certum est in
2 facto, quod omnes aliæ personæ, quæ jus
habent super eodem censu ex titulo successionis in bonis Pauli Nannii consequutæ sunt jam à pluribus annis suam ejusdem census portionem, solusque Astesanus, quantumvis certum, & coæquale jus habeat, uti successor in juribus Flaviæ alterius hæredis Pauli Nannii, quæ statim sequutam delibe-

ra-

rationem impugnavit, & cui fuit in divisione Inita cum ejus fororibus assignata major pars ejusdem census, huc usque non est assequutus nisi scut.2800. occasione memoratæ transactionis, reliquis scut. 3000., relictis penes Ducem contrahentem, unde æquum omnino est, ut, & ipse aliquando suam portionem consequatur, & non sit deterioris conditionis aliis coosuccessoribus, ad *Tex. in l. 1. §. Veteres ff. de acquir. possess.*, & *l. Si reus ff. de duobus reis.*

Difficultas autem erat circa quantitatem, in qua decernenda esset hujusmodi consignatio, attentis tot, tantisque Canonici Frezzæ prætentionibus, ex quibus habere jus in eisdem pecuniis, sibique pariter faciendam

3 consignationem expostulat. Domini tamen ex hisce prætentionibus totaliter rejecerunt creditum illud, quod revixisse ex declarata nullitate deliberationis sustinebatur. Quid quidem esset in puncto juris de hujusmodi reviviscentia crediti, quod ex Perini relatione ad modicam restringitur summam; hoc unum certum esse animadversum fuit pro illius totali exclusione, quod hodie totaliter effectum est illiquidum, & imo consumptum censeri debet ob perceptionem fructuum rata census deliberatæ, quod deliberatarius integrè restituere teneretur, juxta ea, quæ refert Decisio, quæ confirmatur §. *Quo verò ad creditum coram Me.*

Quo verò ad cęteras prætentiones respicientes expensas diversæ speciei, quas idem Canonicus Frezza sibi refundendas contendit, eo præsertim quia iis mediantibus ab aliorum creditorum concursu pecunias controversas tutatus sit, Domini licèt tanto studio illarum liquidationem, & separationem habere mediante Perini relatione curavissent, adhuc ob urgentes Astesani responsiones, quibus præcipuè illæ non à se debitæ, vel non repetibiles à Frezza prætendebatur; non in præsenti judicio admittendas censuerunt, sed *reservanda tantum jura eidem Canonico Frezzæ in particulari judicio.*

4 Ideoque interim restringendam putarunt quantitatem Astesano consignandam ad scut. 600. dumtaxat, ut ita neque hic ampliùs sit in detrimento non obtinendi, quod certo jure sibi debitum est, neque alter subeat periculum necessitatis excutiendi bona illius in casu, quo obtineat refusionem prędictarum expensarum, quando promptius, & facilius esse posset illam consequi super iisdem pecuniis.

5 Demum Domini etiam in eo consulendum censuerunt Astesani indemnitati, quod permissum nequaquam esse posset Canonico Frezzæ alienare loca quinque montium, in quibus rata dd. pecuniarum fuit investita, ideoque demandarunt quoque, quod *apponatur sequestrum super Capitali quinque locorum montium.*

Et juxta hunc modum resolutum fuit utraque &c.

CORNETANA SUCCESSIONIS, SEU TESTAMENTI.

Veneris 9. Januarii 1722.

ARGUMENTUM.

Statutum Laicale an Clericos liget in iis, quæ Clericorum respiciunt successionem à nativitate, vel ante Clericatum eisdem obventis; anceps est Doctorum opinio.

Pacta super incertis hæreditatibus inita mortis captandæ votum non involventia, sustinentur; secùs si super certi, & designati hominis hęreditate versentur.

SUMMARIUM.

1 *Statutum Cornetanum* in cap. 18. lib. 2. *disponit, quod Patres, Matres &c. ex eodem matrimonio filios legitimos habentes, non possint plus uni, quàm alteri dare in ultima voluntate; de lara*, ut in n. 4. & 9.

2 *Statutum illud ligat Clericos secundum plures Canonistas in iis, quę eorum successionem respiciunt à nativitate, non restrictive ad obitum Patris post adeptum Clericatum à filio*, & num. seq.

3 *Non ligat, quando successio delata est ad filium jam factum Clericum.*

4 *Statuta de successione loquentia, si comprehenderent Clericos, ex quo à principio fuissent laici, sequeretur absurdum, quod laicorum Statuta Clericos semper ligarent*, cum omnes laici nascamur.

5 *Pacta reciproca, & licita sunt omnino servanda, & nemo ad imparia judicandus est.*

6 *Pacta inita super hereditate tertii adhuc viventis absque illius consensu bonis moribus adversantur, & ideo non sunt servanda tamquam votum captandæ mortis involventia*, amplia ut in num. seq.

8 *Limita in pactis initis super hereditatibus incertis quæ ob incertitudinem sustinentur.*

10 *Nullitas apocæ inter fratres initę non potest adduci ad destruendum instrumentum omnino separatum, & distinctum.*

11 *Pactum inter fratres initum ad evitandas lites, quod paterna hæreditas foret equaliter dividenda, dicitur laudabile, sustinetur, & imo non subjacet censuræ de* voto captandæ mortis; amplia ut in num. sequenti.

DECISIO MCCLXXIV.

Odoardus Ciocca duos habens filios masculos, alterum nomine Antonium Clericali charactere insignitum ex asse hæredem instituit; alteri verò nomine Josepho menstruas quasdam dumtaxat præstationes honorabili institutionis jure reliquit; sed quia Patrio Statuto cavebatur, ne posset fieri melior unius, quàm alterius filii conditio, & ulterius jam pridem inter se fratres cōvenerant, ut quęcumque futuræ successiones in alterutrum obvenirent, æqualiter inter

eos

eos dividerentur; hinc Joseph in Congregatione particulari à san. mem. Clemente XI. specialiter deputata immissionem petiit ad integram medietatem bonorum paternorum, & ex utroque capite, tam scilicet statuti, quàm pacti favorabilem sententiam obtinuit, prævio voto desuper edito more Rotali.

Ab hac sententia commissa mihi appellationis causa in devolutivo, proposui hodie dubium -- *An constet de causis restitutionis in integrum, ita ut sit danda immissio, & super quibus bonis*, & attenta validitate, & justitia precedentis sententiæ, responsum fuit omnibus, *DD. una mecum, ex speciali rescripto, suffragantibus non constare de causis.*

Omissa enim validitatis inspectione super qua nulla erat contentio; stricte ad justitiæ examen deveniendo, ex duobus potissimum capitibus illa pro parte Josephi propugna-
1 batur. Primum residebat in Statuto Corneti disponente in *cap.18. lib.2.*, & quidem sub expressa pena nullitatis actus, quod *Patres, Matres &c. habentes filios ex eodem matrimonio legitimè natos, vel nepotes &c. non possint de bonis eorum plus uni, quàm alteri dare, seu legare per Instrumentum, seu Codicillos, seu aliam ultimam voluntatem.* Alterum verò deducebatur ex conventione inter ipsos fratres solemniter inita dividendi inter se quascumque hæreditates, quę alterutri etiam in futurum obvenire possent, inherendo sensui Congregationis Particularis, quę fundamentum utrumque in ejus voto approbaverat.

Sed DD: licèt crediderint memoratum statutum, neque de irrationabilitate, neque de inobservantia redargui posse, quemadmodum contendebat Antonius; pedes tamen super eo figere noluerunt, quia satis dubium ac periculosum visum fuit determinare,
2 utrum eo ligari posset Antonius Clericali caractere insignitus, & consequenter ab omni vinculo laicalis potestatis exemptus, quamvis enim ad effectum suadendi illius compræhensionem diceretur, quod d. Statutum non respiciebat tempus obitus Patris, sed usque à principio nativitatis filiorum injiciebat vinculum, dum illi interdicebat, quodcumque genus disponendi inęqualiter inter filios, nedum per viam ultimæ voluntatis, sed etiam per viam venditionis, donationis, aut alterius contractus, ac proinde locum haberet celebris distinctio Joannis Andreę *in regul.final.de regul.jur.in 6.*, quam sequuntur plures Canonistæ pleno calamo relati in *d.voto* §.22.

3 Valde tamen in contrarium urgebat, quod cum in hypothesi non ageretur de contractu aliquo per Patrem gesto ante susceptum ab Antonio Clericatum, sed de successione delata, postquam ille jam Clericus factus fuerat, non videbatur admitti posse, saltem respectu ad casum presentem, injectio vinculi à principio, dum conditio statutaria favore Josephi oriebatur ex facto inæqualis dispositionis secutæ post Clericatum Fratris, & consequenter de tempore, quo Statutum amplius operari nequibat, ut advertunt *Sperell.dec.11.n.21., & seqq. mart. de Jurisd. p.4. cent.1. cas.4. n.22.& seq.*

4 In tanta igitur Doctorum dissentione, & rei dubietate, ne admissa dicta distinctione Joannis Andreæ, per lata aperiatur via Potestatibus Laicis subjiciendi eorum ordinationibus Clericos sub obtentu injectionis vinculi à principio, prout facilè sequeretur, dum omnes ab initio Laici nascimur, ut alias in his terminis notavit *Rot. decis.728. n.6. & seqq. p.18. rec*, DD. pro eorum prudentia, ac maturitate satius duxerunt articulum hunc, ceteroquin ad definitionem præsentis controversię minimè necessarium, in suspenso, atque indecisum relinquere, prout alias in terminis Statuti Viterbii firmavit *Rot in Viterbien lucri dotalis 19. Junii 1711. §. finali cor. Rmo Aldrovando, & in alia Viterbien. immissionis 8. Junii 1714. pariter in fine cor. Rmo Crispo.*

Prescindendo itaque à Statuto, ratio decidendi unicè reposita fuit in solemni conventione anni 1719 per quam Joseph & Antonius, ut vinculum fraternæ caritatis perpetua, ac indissolubili concordia vallarent, publico Jurato actu pepigerunt, ut quæcumque bona, jura, & actiones, quæ quomodocumque in alterum ex eis ex qualibet sivè intestata, sive testamentaria dispositione in futurum obvenire contingeret, ea omnia ex æquis portionibus inter eos communicarentur ac dividerentur per viã puræ & reciprocæ donationis, quæ nullo unquam tẽpore, nullaque ex causa quamvis urgentissima, & incogitata revocari posset. Sicuti igi-
5 tur, si Odoardus Pater Josephum ex asse hæredẽ instituisset, debuisset iste virtute d. reciprocæ conventionis paternam hæreditatem, cum Antonio communicare, & pro virili dividere, ita e converso, dum casus dedit, quod Pater Antonium ex asse instituit, omnis juris, & æquitatis ratio exigebat, quod iste ad integram hæreditatis dimidiam Josephum Fratrem admittere deberet, ut sic æquo jure ambo censerentur, & pacta inter eos conventa servarentur, *juxta Tex. in his terminis expressum in l.3., §. de illa ff. pro Socio.*

6 Neque obstare visum fuit, quod ejusmodi pacta super hæreditate tertii viventis absque ejus consensu inita bonis moribus repugnẽt, atque ideo servari non debeant, ut inquit *Tex in l. finali C. de pactis.*

Generalis enim, & apud omnes recepta est distinctio, quod aut in pactum deducta fuit hæreditas certi, ac designati hominis viventis, & tunc pactum, tanquam involvens votum captandæ mortis lege, & bonis moribus improbatur, & hic est casus *d. l. fina-*
7 *lis C. de pactis*, aut vero non super alicujus certi hominis, sed super quibuscumquè incertis hæreditatibus, ac successionibus generalibus

libus conventio inita fuit, & tunc conventio efficax est, & de jure substinetur, cū propter incertitudinem, spea nulla prematura mortis concipi valeat, quæ bonis moribus adversaretur, juxtà casum alteriùs *Tex. in d.l 3.§. de illo ff. pro Socio*, quem sic conciliari cum *d. l. final.* communiter docent antiquioribus relatis *Torr. de Pact. lib.1. cap.26. per tot. Rot.cor.bo.mem.Beniucas. dec.145.num 11. & in Romana, seù Reatina Fideicommissi 2. Decembris 1697. §. dictæ enim coram bo.mem. Card. de la Tremoille.*

In casu autem presenti clarum, & evidens erat ex ipsis verbis memoratæ conventionis non alicujus certi hominis hæreditatem, sed quascumque successiones futuras, & omninò incertas in pactum deductas fuisse; quamobrem frustra Antonius replicabat, tam ipsum, quam fratrem generalibus verbis usos fuisse In fraudem legis, eum tamen reverà unicè in obtentu habuerint Odoardi Patris hæreditatem, super qua anno antecedenti per privatam apocam nominatim convenerant.

Occurrentes enim DD. etiam huic objecto advertebant, quod quidquid sit de validitate dictæ præcedentis apocæ, per quam Fratres convenientes de hæreditate paterna æqualiter dividenda nihil aliud in substantia egisse videbantur, quam speciali pacto con-
9 firmasse, & sese subjecisse dispositioni Patrii statuti stricte jubentis, ne Pater plus uni, quam alteri filio relinqueret; illud utique
10 certum erat, quod in subsequenti Instrumento nulla paternæ hæreditatis specialis mentio facta fuerat, ac proindè à nullitate præcedentis apocæ minimè inferri poterat ad subsequens Instrumentum omnino separatum, ac distinctum, & sub alia longe diversa verborum forma conceptum ad ea, quæ in durioribus terminis firmavit *Rot. in Spoletana hæreditatum 12. Junii 1704. §. Parvique refert cor.bo.mem Omanna, & in Rom. Pec. 15. Martii 1706. §. Haud officiente cor.bo.me. Molines, & in Aven Concursus super reservatis 13. Martii 1716. §. Progediendo coram R. P. D. meo Falconerio.*

11 Præsertim verò, quia ex peculiaribus facti circumstantiis in subjecto casu concurrentibus, satis perspicuum erat, quod Fratres ad generalem hujusmodi, ac reciprocam conventionem devenerant, non ex quo paternæ successioni præmaturè inhiarent, sed solum ut fraternam caritatem, & benevolentiam à quocumque discordiarum, ac litium periculo, quod cæteroquin ex quodam minus justo Odoardi Patris imperio inter eos impendebat, præventivè vindicarent. Sicuti itaque finis iste, & obtentus, nedum non improbus, neque contra bonos mores, sed maximè pius, ac laudabilis est & à legibus passim commendatus, & signanter in *l. cum opportet 6.§. non autem C. de bonit quæ liberis*, ita pariter neque improba
12 neque contra bonos mores dici potest conventio, cui studium pacis, & fraternus amor unice causam dedit.

Et ita utraque &c.

FANEN. FIDECOMMISSI.

Veneris 9. Januarii 1722.

ARGUMENTUM.

Masculi ex fæmina & si sub nomine masculorum descendentium comprænhendantur, nequeunt tamen ad agnatitium Fideicommissum aspirare. Fideicommissum agnatitium ex quibus constituatur, declarat id sequens.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata à tribus oritur conformibus; & restitutionem in integrum non patitur, nisi de eorum injustitia doceatur.*

2 *Fideicommissum favore descendentium Masculorum de Masculis non potest purificari in Masculis de fœmina Masculorum*, *ampla*, ut in n. seq. & 12.

3 *Masculi de fæmina numquam possunt dici vocati sub nomine Masculorum, si fideicommittens ne dum à principio masculos ex Masculis vocasset, sed ulterius ad successivos gradus progrediens, semper in istis Masculos de Masculis, Masculis de fæmina exclusis, vocasset* & n. 15. amplia ut inn. 6.

4 *Masculi ex fæmina veniunt etiam sub nomine Masculorum descendentium, juxta celebre* Consilium Fulgosii 85.

5 *Limita, quando concurrit in fideicommittente votum agnatitium, & de voluntate excludendi Masculos de fæminis*, & n.9.

6 *Masculi ex masculis quando sunt primo loco vocati, ita & alii subsequentes ad eorum similitudinem vocati intelliguntur, ne diverso jure ab illis vocati censeantur ipsi in eadem oratione, & sub unico contextu collective substituti.*

7 *Amplia, quando testator deveniendo ad substitutionem descendentium Masculorum repetitis vicibus d.mandasset eos succedere debere de uno in alium ordine successivo, cum talis expræsso dum adjectasst certa vocationi Masculorum ex Masculis, Masculos de fæmina reijcere videatur.* & numer. seqq.

8 *Subamplia, quando Testator per modum regulæ universam dispositionem informantis disposuit, ut in omnibus Institutionibus, & substitutionibus gradus prærogativa semper servaretur; ita tamen, quod filius intret semper in locum Patris, qui subingressus non caditin descendentibus ex fæmina.*

10 *Votum agnatitium tacitum desumitur exnobili conditione fideicommittentis, exclusione fæminarum, legitimitate in omnibus vocatis requisita, digressu ad infinitos substitutionum gradus, rigorosa alienationis prohibitione, Fisci, & Monasteriorum*

riorum exclusione, & continuata Masculorum vocatione.

11 *Votum agnatitium exgressum deducitur, ex verbis testatoris dicentis* mentem suã esse principaliter providere pro conservatione honorum in sua familia.

12 *Masculi cognati nequeunt ad agnatitium Fideicommissum aspirare.*

DECISIO MCCLXXV.

POstquam per tres Sententias, primam R.P.D. Anlidei tunc A.C Locumtenentis, & geminas alias hujus nostri Tribunalis, prævijs pluribus decisionibus coram bo me. Ansaldo, & R.P.D. meo Herrera denegata fuerat Comiti Fabio Colloredo, & Fratribus de Gabriellis Immissio ad Bona Fideicommissaria Castrucci Senioris de Castracanis, possessa per Castruccium Iuniorem, & Alexandrum pariter de Castracanis causam habentes ab Alexandro ultimo ex Agnatione prædicti Fideicommittentis, ad ulteriorem eorumdem Actorum provocationem, fuit mihi Causa delegata, qua in eorum Contumaciam hodie proposita sub congruo Dubio -- *An constet de re judicata, seu potius de Causis restitutionis in integrũ* Domini approbarunt rem judicatam, respondendo -- *Pro Informante.*

1 Cum enim tres prodierint Sententiæ, nedum inter se conformes, sed etiam validæ, ac justæ; utiquè res judicata inducta fuit, nec locus erat in integrum restitutioni, ad *Text. in cap. 1. de restit. in integr., & in Clement. ut calumnijs de Sentent. & re judicat.*

Sicut autem validitas patebat ex Actorum revolutione, juxtà *vulgatam decisionem Caputaquen. 261. part. 2.*, ac etiam conformitas ex illarum lectura, juxtà *Gloss. in Clement. 1. verb. alicujus de Sentent., &*
2 *re judicat.*, ità Justitia resultare videbatur ex ipsa Testamentaria dispositione Castrucci Senioris, in qua cum nitide appareat eumdem Testatorem condere voluisse Fideicommissum favore suorum Descendentium Masculorum ex Masculis dumtaxat, Jure optimo ab ejusdem Fideicommissi Successione fuerunt triplici Judicato rejecti Comes de Colloredo, & Fratres de Gabriellis, qui cum descendant per plures fæminas, non autem per Masculos ex linea Testatoris, dici nequeunt ad illud vocati, juxtà *Gloss. in leg. 1.*, ibi -- *Et hoc, nisi alia fuerit Mens loquentis ff. de verb signific., Peregrin. consf. 5. num. 16. lib. 5., Fusar. de Substie. quæst. 404. num. 10*, & plenè firmant *decisiones Causæ 12. Junij 1717., & 11. Februarij 1718. coram bon. mem. Ansaldo, ac 16. Januarij, & 24. Aprilis 1719. cor. R. P. D. meo Herrera.*

3 Quod autem Testator voluerit ad Fideicommissum prædictum succedere solos Masculos, clare videbatur ex eo resultare, quod nedùm principio instituit Hæredes Rodulphum, & Iacobum filios suos Masculos, sed etiam ulteriùs progrediendo, illis substituit ipsorum filios Masculos, & istis simili modo succedere voluit eorum filios paritèr Masculos, & sic Masculos ex Masculis. Unde inspecta adeo clara vocatione Masculorum ex Masculis, expressa non in primo tantùm, sed repetita in alijs etiam immediatè successivis gradibus, dubitandum non erat, quod Fideicommittentia voluntas unicè directa fuerit ad Masculos ex Masculis, & in istis constituerit universam Successionem, exclusis semper illis provenientibus ex fœminis, *Rota dec. 813. n. 3. 4., & 5. coram Emerix Jun. & coram Priolo dec. 205. n 9., & dec. 60. n. 1. coram Benincasa, & prosequitur decisio hujus Causæ 24. Aprilis 1719. §. Porrò quod attinet coram R.P.D. meo Herrera.*

4 Quin dici possit, quod cum subindè fuerint vocati etiam *Descendentes Masculi*, hine eorum appellatione comprehendi valeant Masculi per medium fœminę descendentes, juxtà *celebre Fulgosii consil. 85.* Etenim quamvis illud prò regula passim à Doctoribus admittatur, æque tamen communitèr re-
5 cepta est eius limitatio, ut non procedat, quando constet de contraria voluntate Disponentis, aut concurrat Votum Agnatitium, ut profitetur *Rota in Romana Primogenituræ de Bubalo 4. Junii 1717. §. Dixerunt tamen coram Me, & in aliis pluribus ibi congestis.*

6 In casu autem, de quo agitur, contraria voluntas Testatoris ex urgentibus conjecturis deducebatur: Siquidèm cum illa expresse appareat directa ad solos Masculos Agnatos tàm a principio, quàm in progressu aliarum vocationum, non aliter intelligi debebat ea subsequens substitutio *Descendentiũ Masculorum* in eadem Oratione adiecta, quàm de Masculis habentibus qualitatem Masculinitatis ex Masculo, in gradibus precedentibus requisitam, ne diverso Jure ab illis vocati censeantur isti in eadem Oratione, & sub unico contextu collectivè Substituti per ea, quæ ponderat *Rodulphin. allegat. 174. n. 8., & 179. num. 12., Rota Florentina apud Palm. dec. 210. num. 15., & sequen., & Rota nostra decis. 69. num. 13., & 14. part. 17. Recent*

7 Idque clariùs videbatur significare voluisse idem Testator, dum post dictam gradualem vocationem Masculorum ex Masculis, deveniendo ad substitutionem *Descendentium Masculorum*, repetitis vicibus demandavit, illos succedere debere *de uno in alium ordine successivo*: Hæc autem expressio tamquam adiecta certæ vocationi Masculorum ex Masculis procedentium, benè demonstrat, Testatorem perpetuo voluisse immediatam derivationem unius Masculi ab alio absque ulla interpositione Masculorum ex fœminis, quorum admissio interrumperet Successionem Masculorum ex Masculis de uno in alium, ut benè probat præter alias ultima Decisio Causę R.P.D. mei Herrera

§. Hæc

§. *Hac clarius*, & §. *Non attenta*, cui consonat *Rota decis.* 519. *num.* 20. *part.* 13. *Recent.*, & *in Romana Fideicommissi* 10. *Januarii* 1698. §. *Siquidem coram Me*.

8 Sed omnis difficultas pænitùs removeri visa fuit, dùm Testator non contentus vocatione Masculorum ex Masculis expressa usque à principio in pluribus successivis Gradibus repetita, & continuata in alijs ulterioribus usque in infinitum de uno in alium ordine successivo, addidit per modum regulæ universam dispositionem informantis, quod in omnibus institutionibus, & substitutionibus semper servaretur Gradus prærogativa *ità tamen, quod filius intret semper in locū Patris*--. Si igitur filius subingredi debet locū Patris, amplius dubitari nequit, quod Testator voluerit semper, & perpetuò ad ejus Fideicommissum succedere solos Masculos ex Masculis, nunquàm verò Descendentes ex fæminis, cum istorum respectu dari non posset subingressus filii in locum Patris extranei, & nullo modo vocati, ut latè firmatum fuit in præcedentibus hujus Causæ *decisionibus* 11. *Junii* 1717. §. *Semperque indubitanter*, & 11. *Februarii* 1718. §. *Iterum namque coram bon. mem. Ansaldo*, & *coram R. P. D. meo Herrera* 16. *Januarii* §. *Primordialitèr*, & 24. *Aprilis* 1719. §. *Superlativè cum pluribus in eis allegatis*.

9 Prætereà concurrebat etiam Votum Agnatitium nedùm tacitum, verum etiam expres-

10 sum. Tacitum quidem desumebatur ex nobili conditione ipsius Fideicommittentis, exclusione fæminarum, qualitate legitimitatis in omnibus vocatis requisita, digressu ad infinitos substitutionum Gradus, rigorosa alienationis prohibitione, Fisci, & Monasteriorum exclusione, & demum continuata semper vocatione Masculorum ex quibus omnibus simul ponderatis, resultare Votum Agnatitium dixit *Rota decis.* 813. *n.* 13., & 14. *coram Emerix Jun.*, & *dec* 95. *num* 9., & *sequen. part.* 11. *Recent.*, ac plenè firmat *decisio hujus Causæ* 16. *Januarii* 1719. §. *Robur. coram R. P. D. meo Herrera*.

11 Expressum vero ex eo resultabat, quod idem Testator pluries declaravit -- *Mentem suam esse principalitèr providere pro conservatione Bonorum in sua Familia* --. Unde non poterat dubitari, quod ad Agnationis suæ conservationem respexerit, dum *Familiæ* nomen non simpliciter expressit, sed cum restrictivo illo -- *sua* --, perinde, ac si dixisset -- *in Familia de Castracanis* --, ut pluribus relatis probat *decisio Causæ* 16. *Januarii* 1719. §. *Tacitæ*, & §. *Expressionis coram eodem R. P. D. meo Herrera*.

12 Ex quibus omnibus, cum satis constet, Testatorem ordinare voluisse Fideicommissum favore Masculorum ex Masculis, & Agnationis suæ, perspicuum remanet, quod Masculi Cognati, quales sunt Comes de Colloredo, & Frates de Gabriellis, nunquam ad illud aspirare possunt, sed bona remanserunt libera in ultimo Masculo Agnato, à quo causam habent Rei conventi, ad *Textum in leg. Cum Pater* §. *Libertis ff. de Legat.* 2., *Rota coram Priolo decis.* 344. *num.* 22.

Et ita remissive ad præcedentes Causæ decisiones, resolutùm fuit unica &c.

FOROLIVIEN. DIVISIONIS.

Veneris 16. *Januarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Æqualis bonorum divisio pertinet ad hæredem, cui fuisset à testatore commissa, secus vero, quando ille inequaliter se gessit, adeout questio fit ad Forum contentiosum delata, quo casu ad Judicem pertinet, quæ veniant in æquali stabilium divisione consideranda, & quomodo hæc fieri debeat, sequens refert.

SUMMARIUM.

1 *Divisio debet esse æqualis*, & *inæqualiter facta non sustinetur* num. 8.
2 *Amplia, quando de Mandato testatoris æqualiter facienda est.*
3 *Divisio dicitur inæqualiter facta, quando periti bena existimassent superficiali inspectione, & sine ulla exactiori diligentia*, & num seq.
4 *Peritia superficiali inspectione bonorum facta non sustinetur.*
5 *Peritia facta à peritis judicialiter, deque partium consensu electis prævalet peritia extrajudiciali aliorum peritorum.*
6 *Amplia, quando Partes à judiciali peritia non reclamassent.*
7 *Divisio eo magis præsumitur inæqualis*, & *facta potius ad commodum ipsius dividentis, si iste pertinaciter eam sustinere tentaret.*
8 *Devisio stabilium inæqualis denno facienda est, mediante opera peritorum, qui diligenter bonorum valorem æstiment, qualitatem*, & *commoditatem situs inspiciant*, & *æqualitatem servent*, & n. 9.
10 *Divisio à Iudice fieri debet, quando controversia ad ipsum delata est*, & *cessat facultas illi parti ad quam de cætero spectaret*, & n. 11.
12 *Divisio læsiva tunc ob æqualitatem per Inditem redigenda est, quando sit hinc inde acceptata, secus si una pars ei nunquam stare voluisset.*
13 *Divisio fieri ab illo debet, cui fuisset à testatore commissa.*
14 *Legatarius de manu hæredit debet legatam accipere.*
15 *Cultura bonorum hæreditariorum pertinet ad hæredem, nec ei deputandus est æconomus, ex quo inter illum*, & *legatarium lis fuisse exorta.*

DECISIO MCCLXXVI.

Quamvis Francisca Deoli hæres ex asse instituta à Jacobo Savorello ejus Avunculo cum onore tradendi Fratribus de Savorellis medietatem bonorum, & Terrarum à Testatore possessarum in Villis *di Branzolino, Villa Franca, e Minarda* totis viribus curaverit divisionem, & respectivè assignationem à se factam, & Savorellis oblatam substinere. Re tamen in Judicium delata primo coram A. C. de Gentilibus, & subinde in gradu appellationis coram R. P. D. meo Herrera contrariam sortem utrobique passa fuit, nec aliud obtinere hodie potuit coram Me, dum proposito dubio -- *An sententia Rotalis, sit confirmanda, vel infirmanda* --, DD. responderunt -- *illam confirmandam*.

1 Siquidem constitit divisionem, & assignationem à d. Francisca factam esse omnino inæqualem, nedum respectu valoris, sed etiam qualitatis, & situationis bonorum divisorum, ut proinde in his circumstantiis substineri, & confirmari nullo modo possit nedum; quia repugnat dispositioni Iuris, juxta quam partes in divisione omninò æquales esse debent ad *Text. in l. 3. Cod. commun. utr. Iudic.* & *in l. si minor. C. commun. divid.*, *cum aliis concordan. relatis in decisione causæ* 20. *Ianuarii* 1721. §. *Divisionem coram R. P. D. meo Herrera*. Ve-
2 rùm etiam quia adversatur expresso præcepto Testatoris, qui committendo memoratæ Franciscæ eius hæredi divisionem dd. bonorum, iterato locuicavit, ut portiones, & partes fierent omnino æquales, ut bene ad rem observat *Card. de Luc. de legat. disc.* 6. *n.* 3. & *seqq.*
3 Absque eo quod prædicta inæqualitas salvari possit, ex eo, quod ad divisionem deventum fuerit prævia Peritorum æstimatione, & liquidatione, ultrà quod enim Periti ad hunc effectum à Francisca adhibiti ad prædictam æstimationem deveneruot *con un'occhiata superficiale*, & sine ulla exactiori diligentia, ut specialiter fassus fuit, & declaravit alter ex dd. Peritis, itaut proinde de
4 eorum relatione parum sit curandum, *l.* 1. §. *Cum dicitur ff. si cui per l. falcid.* &c. & *notavit decisio causæ* §. *Inæqualitas*.
5 Cessat penitus obiectum, animadvertendo, quod delata controversia ad A. C., cum Judex necessarium putaverit devenire ad electionem novorum Peritorum, illi electi hinc inde fuerunt, & post factam relationem, ex qua in comperto posita fuit divisionis inæqualitas, nulla ex Partibus ab ea appellavit, sed imo Francisca permisit, ut super ea per Judicem ad ulteriora procederetur. Quamobrem e conspectu horum Peritorum, nulla ratio haberi potest de aliis primo loco extrajudicialiter adhibitis, sive quia in concursu attendenda potius est relatio eorum, qui judicialiter, ac de consensu Partium electi fuerunt, juxtà *Text. in l. septimo mense ff. de Stat. Homin.* & deducta per *Rot. decis.* 472. *n.* 6. *coram Emerix Iun.*, sive quia
6 ab æstimatione facta a primis Peritis Savorellii reclamarunt, a relatione vero, & æstimatione aliorum ab A. C. electorum neutra ex partibus appellavit, *Rot. decis.* 664. *n.* 3. *coram Bich.* & *decis.* 201. *n.* 4. *par.* 18. *recent.*

7 Et nihilominus, ut bene DD. animadvertebant, quatenus etiam inæqualitatis probatio non satis resultaret ex judicio Peritorum judicialiter electorum, sufficiens tamen de ea præberet argumentum pertinacia ipsius Franciscæ, quæ licet semper succubuerit, tam coram A. C., quam in ulteriori instantia coram R. P. D. meo Herrera, adhuc tamen litigium hoc substinet non sine magno dispendio pro tuenda divisione ab ea facta, & de qua utique non curaret, nisi ex ea magnum sibi commodum ac grandis utilitas resultaret, ad notum *Text. in l. cum de indebito ff. de probat.* de quo *Rot. coram Emerix. decis.* 1186. *n.* 9. & sæpe alibi.
8 Posita igitur inæqualitate divisionis, & partium à Francisca factarum, jam de plano consequitur, illam de novo faciendam esse mediante opera Peritorum, qui diligenter æstimato bonorum valore, qualitate, commoditate, & situ, rem ita determinent, ut æqua sit utriusque Partis conditio ad normam *Text. in* §. *Si familiæ instit. famil.*
9 *Hercisc. l. planè*, & *l. antè ff. eodem*. Nec in præsenti locus esse potest correctioni præcedentis divisionis per assignationem, seu refusionem tot bonorum, dum illius inæqualitas non tantum sistit in minori valore partis à Francisca oblatæ Savorellis, sed etiam in deteriori qualitate, & situatione; undè talis inæqualitas non alio modo corrigi potest, quàm mediante nova divisione, & qui-
10 dem facienda per Peritos, non verò per ipsam Franciscam, in qua facultas hoc peragendi cessavit, postquam controversia in Judicium delata fuit, itaut ad evitandas novas lites omnino per Judicem definiri, ac terminari debeat, juxtà *Text.* in his terminis loquentem *in l. officium C. commun. dividun.* & *l.* 1. *C. quando*, & *facilius quarta pars debeatur*, *cum aliis in decis. causæ* §. *Admittendum*.
11 Idque præsertim, dum non agitur de emendanda divisione jam perfecta & à Partibus acceptata, dum Savorelli portionem sibi à Francisca oblatam usque ab initio acceptare
12 recusarunt, in quo casu comperta inæqualitate, nequaquam applicaontur termini rescissionis, qui propriè locum habent, quatenus contractus ex mutuo Partium consensu, & approbatione, jam ab initio perfectus debeat per Judicem ad æqualitatem reduci, juxtà *Text. in l. si initio*, *ibique Gloss. verb. consensum C. commun. utriusque judic.* & *in l. ab emptione ff. de pactis*.

Cæterum licet expleta per Peritos nova divisione satis consultum remaneat utriusque Partis indemnitati, sive assignatio Par-

tium

dium fiat ab ipsa Francisca, sivè potius sorti committatur, & electio alterius ex dd. temperamentis sit in arbitrio Judicis repositum,
13 DD. nihilominus deferendum in hoc censuerunt voluntati defuncti Testatoris, qui cum voluerit, quod assignatio facienda esset ab ipsa Francisca, utique talis dispositio omnino servanda venit, cum sit conformis
14 dispositioni Juris, juxtà quod Savorelli Legatarij, legatum sibi relictum de manu hæredis accipere debent, *l. planè § Si duobus ff. de legat. 1. & benè advertit decisa causæ §, Nec pariformiter*.
15 Circà deputationem Æconomi à Francisca peritam pro cultura bonorum pro tempore pendentiæ hujus litis, DD. censuerunt illi locum non esse, quia cum Francisca sit hæres, tenetur curare, ut debita cultura non careant, interim quo ex ejus facto Savorelli impediti fuerunt consequi portionem bonorum ipsis a Jacobo Testatore relictorum.
Et ita utraque &c.

REATINA PRIMOGENITURÆ DE NOBILIBUS SUPER RESERVATIS:

Veneris 16. Januarii 1722.

ARGUMENTUM.

Actori Fideicommissario ad ea bona denegatur immissio, quę à suo Fideicommittente provenire non doceat, istaque proventia an sit ex antiquo unius de Domo fideicommisso, vel ex primogenitura ab altero ex post instituta per divisionum enunciativas, laudum, similesque probationes deducitur, neque illi datur actio vindicandi bona primogenialia in causam restitutionis dotis penes tertium distracta sub motivo, quod de eo tempore bona libera extitissent, talis enim existentia esset primario concludenter probanda, & secundario ad effectum retinendi, sat est possessori demonstrare bona libera eo tunc fuisse intricata.

SUMMARIUM.

1 *Immissio denegatur actori fideicommissario ad certa bona, quando ista non probet provenire a fideicommisso, ad quod ipse vocatur, & ex alio essent originaria.*
2 *Immissio vigore posterioris fideicommissi non conceditur ad exclusionem possessoris ex anteriori fidecommissa.*
3 *Bona an pertineant ad fideicommissum antiquius, sivè ad recens, probatur ex enunciativis desumptis ab instrumentis divisionum, & separationum antiquitus à Judice compromissario factarum.*
4 *Laudum validum semper præsumitur, donec adversus ipsum restitutio in integrum non concedatur*, & n. 6.
5 *Pertinentia bonorum ad certum designatum & antiquum fideicommissum probatur ex continuata possessione vocatorum ad illud, nec excluditur ex actibus in contrarium gestis in fraudem Fisci ad effectū ex istius manibus bona liberandi.*
7 *Filii positi in conditione dicuntur dispositivè vocati.*
8 *Hæres non potest impugnare factum defuncti quem in auctorem recognosceret.*
9 *Substitutio restricta ad casum obitus heredis sine filiis, expirat, si cum filiis iste decedat, juxta* Consil. 21. Olrad.
10 *Conservatio agnationis, digressus ad plures substitutionum gradus, & similes ad ordinationem unius Primogenituræ directæ, non extenduntur ad fideicommissum ab altero de eadem domo ordinatum*, & vide casum.
11 *Onus non potest imponi à Patre super eo fideicommisso, ad quod filius ab ipso independenter vocatur, præsertim quando nec tantumdem, nec aliquid de propria Pater filio relinqueret.*
12 *Relatio habita ad testamentum in unica tantum parte, non extendenda est ad omnia in illo expressa, & contenta, de quibus contrahentes, neque loquuti essent*; & num. 13.
14 *Successor in primogenitura non habet actionem ad prædium distractum in causam restitutionis dotis vigore privilegii authenticæ* Res quæ.
15 *Dos in subsidium tantum de bonis primogenialibus restituenda est.*
16 *Dos quando apparet restituta de bonis primogenialibus presumere facit non existentiam bonorum liberorum.*
17 *Dos nequit constitui super bonis intricatis.*
18 *In judicio immissionis Possessor bonorum citandus est, quando reus conventus denegat se possidere bona, ad quæ illa petitur.*

DECISIO MCCLXXVII.

EX duobus dubiis per Me contemporaneè propositis ad instantiam D. Octavii Vecchiarelli in Rota *die 9. Junii superioris anni*, alterum, quod concernebat immissionem in genere fuit ejus favore resolutum, mediante rescripto *In decisis*, ut latius constat ex decisione desuper edita; alterum verò respiciens immissionem in specie ab eo petitam ad Tenutam *Repasti*, ac duo Prędia *Mont' Isola, & Petrarca*, ob suffragiorum scissuram resolvi non potuit; hodie itaque iterum postulavi, *An, & super quibus bonis sit danda immissio*, & DD. responderunt *negativè quoad Tenutam Repasti, & Prædium Mont' Isola, & quoad Prędium Petrarca citetur Possessor.*

1 Ac rem ordiendo à Tenuta *Repasti*, ratio denegandæ immissionis desumpta fuit ex eo, quia Octavius agens vigore Primogenituræ à Jo. Baptista seniore de Nobilibus institutæ; nedum non ostendebat, quod dicta Tenuta ab eo proveniret, quemadmodum ad hunc effectum tenebatur, *Rot. cor. Emer. dec. 49. n. 1., & in Camerinen. immissionis*
28,

28. *Aprilis* 1713. §. *Neque ad effectum cor. bon. mem. Ansaldo.*

2 Sed imo potius ex opposito constabat eamdem Tenutam cadere sub hereditate, & fideicommisso Antonii senioris, à quo Octavius Actor nullam causam habet; unde ipsi agenti vigore d. Primogenituræ obstare videbatur exceptio incontinenti probata fideicommissi anterioris, ut per *Text. in l. Unum ex familia de legat. 2. §. Sed et si fundum*, aliàs respondit *Rot. in rec. dec. 88. num. 3. p. 6., & dec 34 n. 1., & 4. p. 7., & dec. 87. nu. 1. p. 19.*, & sępe alibi.

3 Quod autem Tenuta ab hæreditate, & anteriori Fideicommisso Antonii senioris proveniret, bene, & concludenter resultabat ex solemni Instrumento divisionis, & separationis bonorum primogenialium Jo. Baptistæ à bonis fideicommissariis d. Antonii senioris factæ ex sententia, & auctoritate Angeli de Nobilibus communis Patrui, & Arbitri de consensu electi sub die 15. Februarii anni 1613. Cum enim in ea controversa Tenuta *Repossi* assignata fuerit inter cætera alia bona Antonio juniori vocato ad d. antiquius fideicommissum Antonii senioris, & hujusmodi assignationem successivè acceptaverit Jo. Baptista junior, tunc Possessor primogenituræ per aliud publicum instrumentum cum auctoritate Consanguineorum, & omnibus statutariis solemnitatibus triduo post celebrandum in præsentia clar. mem. Card. Crescentii, tunc Episcopi, & R. P. D. Strozzii Gubernatoris Reatini, utique post actum adeo seriò, ac solemniter gestum non videbatur ullo pacto ambigi posse de vera pertinentia hujus Tenutæ ad d. anterius fideicommissum Antonii senioris,

4 dum Laudum prædictum supponi debet validum, & justum, quousque obtento adversus illud beneficio restitutionis in integrum in suo congruo, ac separato judicio de medio non auferatur, ut bene ad rem præsentem aliàs respondit *Rot. in Ferrarien. Fideicommissi de Giliolis 7. Martii 1718., & 27. Martii 1719. cor. Me.*

5 Præsertim quia licet ante promulgationem d. Laudi memoratus Antonius junior ad excludendum Fiscum propter quod jam capitale delictum sibi impendentem, curaverit omnia sua bona sub primogenitura à Jo. Baptista filio possessa occultare; postquam tamen editum fuit d. Laudum, eum causa Fisci interim cessavisset ex restitutione in gratiam Principis, tam ipse, quàm omnes ejus successores semper usque in præsens Tenutam controversam ad formam d. Laudi possederunt, duobus tantum actibus exceptis in fraudem creditorum simulatè celebratis; quamobrem eo minus assignatio prædicta in controversiam hodie revocari poterat, postquam per adeo longum temporis intervallum continuò observata fuit, ut prosequitur *Rot. in d. Ferrarien. de Giliolis 27. Martii 1719. §. Enim, & §. Et hac coram Me.*

6 Et hinc DD. consultò omissis omnibus exceptionibus, quæ adversus d. Laudi injustitiam proponebantur, dum præsertim unaquæque earum suas congruas responsiones habebat, eidem Laudo inhęrentes animadvertebant minimè opus esse aggredi alteram subalternam quæstionem ab Octavio promotam, utrum nempe d. anterius fideicommissum ab Antonio seniore ordinatum in Joanne Baptista seniore ejus filio expirasset; siquidem, & hæc quoque quæstio in d. Laudo decisa fuit mediante declaratione, quod Antonius junior d. Jo. Baptistæ sen. filius erat ad prædictum avitum fideicommissum dispositivè vocatus; idque non perperam, aut oscitanter, sed adhibito Jurisperitorum consilio, & quod plus est cohærenter ad recognitionem, & confessionem ipsius Jo. Bap-
7 tistæ senioris, qui bene conscius, quod Antonius sen. ejus Pater filios filiorum in conditione positos dispositivè vocare voluerat, paternam hæreditatem Trebellianica detracta Antonio juniori proprio filio quantumvis inviso, & exhæredato coactè resti-
8 tuit, quod sane factum, & confessionem Jo. Baptistæ Octavio ejus successori impugnare non licet, *l. cum à Matre, & in glos. C. de rei vindic., Rot. cor. Buratt. dec. 229. n. 11. & in rec. dec. 628 n. 19. p. 19. rec.*

His itaque positis tota difficultas reducebatur ad aliud objectum elicitum ex Testamento ejusdem Jo. Baptistę senioris, qui agnoscendo paternum fideicommissum, quo ipse gravabatur hæreditatem Patris restituere Antonio juniori ejus filio, illud successivè prorogaverat ad filios d. Antonii junioris, & casu quo iste sine filiis masculis decessisset, vocavit ad hanc successionem illas easdem personas, quas ad propriam primogenituram invitavit, ex quo arguebat Octavius, quod defectis jam omnibus masculis à d. Antonio juniore descendentibus, bona fideicommissaria Antonii sen. eodem jure censeri debeant, ac bona supposita d. primogenituræ ejus favore purificatæ.

Sed sua quoque istiusmodi objectioni occurrebat responsio desumpta ex ipso contextu dispositionis Jo. Baptistæ, dum iste non
9 aliter fideicommissum prorogavit favore Personarum ad primogenituram vocatarum, quam in casu, quo Antonius junior filius sine filiis masculis decederet. Cum itaque Antonius cum filiis masculis decesserit, substitutio aliarum Personarum deficiente conditione sub qua concepta fuerat expiravit, juxta *celebre consilium 25. Oldradi, de quo Rot. in Eugubina Fideicommissi 9. Maii 1707. §. Etenim, & 23. Aprilis 1708. cor. Me.* Non relevantibus conjecturis in oppositum addu-
10 ctis; quandoquidem, tam conservatio agnationis, & digressus ad plures gradus substitutionum, quam onus injunctum vocatis incorporandi primogenituræ bona ab ipsis acquirenda, & reliqua hujus generis argumenta, omnia respiciebant ordinationem ipsius primogenituræ in bonis propriis ordinatæ,

&

& sic trahi non poterant ad fideicommissum à Patre institutum *Rot.cor.Emerix dec.*1216. *n.*8.,*& seqq.*, *& in rec. dec.* 537. *ferè per totam par.*19.

Certiùs quia metiendo voluntatem à potestate, nulla alia prædictæ dispositioni congruere poterat interpretatio, dum posito quod fideicommissum Antonii Sen. ad An-
11 tonium Jun. in conditione positum protenderetur, & in ejus persona expiraret, datum non erat Jo. Baptistæ super bonis sub dicto fideicommisso cadentibus novum onus restitutionis adiicere, & in re propria gravare filium, quem hæredem nominatim fecerat, & cui nedum non tantundem, sed nihil omnino de suo relinquebat *l.Imperator* 72. §. *Si centum*, *&* §. *Cum quidam ff. de legat.*2.*l. Cum Pater* 79. §. *Titio fratri ff. eodem cum aliis concordantibus plenè relatis dec.*795.*n.*10.*& seqq.*,*& decis.*796. *n.*17., *& seq. coram Emerix*.

12 Non attento, quod in toties memorato Laudo successivè edito per Angelum de Nobilibus, & acceptato ab Antonio, admissa fuerit prorogatio hujus fideicommissi juxtà formam, & tenorem Testamenti Joannis Baptistæ, quia Laudum prædictum non prorogavit fideicommiss. nisi favore Jo.Baptistæ Jun, & aliorum filiorum primi gradus memorati Antonii à Joan. Baptista Sen. in conditione positorum, idque per viam conditionis, & tractatus, & idcirco ne unquam ex hoc dubitari posset, quod d. fideicommissum proredi deberet etiam ad alias personas ad Primogenituram invitatas, & signanter ad ipsum Angelum primo loco substitutum, propterea relatio habita ad Testamentum Joannis Baptistæ Sen. expressè, & litteraliter restricta, & limitata fuit ad eam partem, in qua vocati fuerunt filij d. Antonij Jun. ibi -- *Cum hac tamen conditione, & tractatu, ut teneatur post ejus mortem detractis detrahendis per ipsum restituere hujusmodi bona, sive hæreditatem, tum d. Jo: Baptista Iun. ejus filio, tùm etiam al is filiis ipsius D. Antonii pro rata juxtà formam, & tenorem Testamenti in hac parte D.Cap.*
13 *Io. Baptistæ sui Patris*, quæ sane verba manifestè excludunt relationem ad alias partes ejusdem Testamenti, ut in similibus terminis notavit *Rot. dec.*237. *n* 2., *&* 563. *n.* 11. *cor. Dunoz. Iun.*, *& cor. Emer. decis.* 1087. *num.* 4., *& in rec. dec.*16. *numer.* 11. *par.* 17.

Et sic expediti DD ab inspectione provenientiæ Tenutæ Repasti, progrediendo ad examen aliorum Prædiorum *di Mont'Isola*,
14 *& Petrarca*, pro eo, quod attinet ad primum, facili negocio convenerunt in denegandа quoad illud immissione, hoc ipso, quod in facto constitit illud pignori traditum fuisse Artemisiæ Castelli a Jo: Baptista Jun. possessore Primogenituræ pro restitutione ejus Dotis sc. 2. mil. conversorum in utilitatem ejusdem Primogenituræ, & deinde iterum distractum fuisse pro constituenda Dote Victoriæ de Nobilibus ab eodem Jo Baptista Primogenituræ Conditore descendentis vigore notissimi privilegij *Anthent. Res quæ C. comm. de legat.*, operantis, ut successoribus in dicta Primogenitura nulla amplius ad d.prædium competat actio *ad Text. in l. mulier* § *Cum proponeretur ff. ad Trebell.*, *& dixit Rot. coram Emerix dec.* 1274. *nu.* 2., *& seqq. ubi Concordantes*.

15 Haud obstante, quod pro dote alienari non possent bona Primogenituræ subiecta,
16 nisi in subsidium, quia cum agatur de Dote jam constituta, casus subsidij præsumitur quousque in contrarium concludentissima afferatur probatio super existentia bonorum liberorum, quæ in casu præsenti deficiebat, dum bona Cantalupi jam longè antea pignori tradita fuerant memoratę Ar-
17 temisiæ pro complemento ejus Dotis, & consequenter ex eis tanquam distractis, vel saltem intricatis, & litigiosis dos constitui non poterat *ex deductis per Rot. dec.* 48. *n.* 12. *par.* 12., *& dec.* 179., *& dec.* 320. *n.* 7. *par.* 13., *& cor. Emer. dec.* 1097. *num.* 10. *cum seq.*

18 Quo vero ad alterum Prædium denominat. *Petrarca*, cum tam D. Vitellescus, quam Sorores de Vecchiarellis rei conventi illud possidere negarent, prudenter rescriptum fuit, ut ab Octavio actore citaretur Possessor.

Et ita partibus in Contradictorio auditis, *& omnibus DD. suffragium ferentibus resolutum fuit*.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE FELICINIS.

Lunæ 19. *Januarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio, est in parte confirmatoria alterius emanatę sub die 3. Julii 1719.

Dotis privilegia tam pro sorte, quam pro fructibus ad fideicommissaria, seu primogenialia bona se extendit; Quoad fructus tamen limitatur regula, quando dotis Creditoris culpa stetit, quo minus hæres gravatus fructus a se debitos persolvisset, sicuti quando petuntur una cum portione bonorum ab eodem gravato recuperatorum ad dotatam devoluta, quo casu a die recuperationis debentur. Identitas bonorum fideicommissariorum ex inventario fideicommittentis, ac subsequentibus inter gravatos initis divisionibus, & continuatis possessionibus probatur.

SUMMARIUM.

1 *Dos virtute authenticæ res quę de ascendentali fideicommisso detrahitur*, & num. 2. & 13.

2 *Dos*

2 *Dos ad quam summam ascenderit, probatur ex lando antiquo, eam liquidante;* amplia ut in n. 14.

3 *Dos quando est taxata ad certam summam, & in ista debetur, casu quo aliqua bona recuperentur, non est qaerendum, an patrimonium sit adauctum ex avocatione illorum de manibus tertii, sive ex quo sit aperta nova successio ad aliqua alia bona.*

4 *Dos virtute Authenticæ res quæ habet locum in bonis fideicommissi ascendentalis obventis Patri mulieris dotatæ, non vero in bonis alteri fideicommissario quæsitis, secus vero quando una fideicommissi, pars cum reliquo axse consolidata fuit.*

5 *Bona quod ad fideicommittentem pertinuerint probatur ex descriptione de illis facta in ejus inventario hæreditario, & divisione facta inter filios*, & n. 6. & 7.

6 *Identitas bonorum fideicommissariorum ex instrumentis divisionum probatur.*

7 *Amplia, quando concurreret observantia continuata hæredum gravatorum, qui de uno in alium tali titulo bona possedissent*, sub amplia, ut in n. 8. & 12.

8 *Identitas bonorum fideicommissariorum probatur ex confessionibus hæredum gravatorum in divisionibus emissis.*

9 *Amplia in fideicommisso antiquo, quo casu identitas levioribus probationibus firmatur, imò indicia, & conjecturæ admittuntur.*

10 *Identitas bonorum fidicommissariorum ex actibus solemnibus desumpts non confunditur ex acquisitionibus posterioribus in eodem vocabulo factis.*

11 *Amplia, quando ædem aquisitiones essent modicæ, & tennis valoris.*

12 *Identitas bonorum arguitur ex retentione uti provenientium ex tali hæreditate, de qua esse originaria prætenderentur.*

15 *Fœminæ ubi petunt dotem ex fideicommisso ascendentali, & cum eis insimul masculi concurrunt, non possunt majorem consequi portionem, quam isti.*

16 *Dos à die contracti Matrimonii fit fructifera, &* n. 20.

17 *Amplia, etiam si constante Matrimonio nulla præcessisset interpellatio contra illius debitorem*, Limita ut in n. seqq.

18 *Fructus non debentur ex illa portione bonorum recuperatorum, & in dotem assignata, qui currere incipiunt à die d. recuperationis tantum, & possessionis adeptæ à dotis debitore.*

19 *Item non debentur ex bonis fideicommissariis, quando eorum non exactio conjugum culpa stetisset*, amplia, ut in n. 22.

20 *Privilegium authenticę res quæ habet locum non solum prò capitali dotis, sed etiam pro fructibus illius.*

21 *Fructus dotales à fideicommisso ascendentali in subsidium extrahendi, bonorum fideicommissariorum fructibus principaliter inhærent.*

22 *Peti nequeunt adversus fideicommissum, quando creditoris culpa stetisset, quo minus de bonis liberis gravati exacti non fuissent*, & quare.

DECISIO MCCLXXVIII.

ADversus resolutionem coram Me editam die 3. Julii anni 1719., in qua dictum fuit, Comitissæ Ursulæ de Feliciois, & March. Palmerio ejus Viro pro residuo capitalis dotis, & fructibus contra bona fideicommissaria Joannis de Felicinis, dandam esse, etiam ad effectum subhastandi, ac deliberandi petitam immissionem ad tria Prædia posita in communi *Barisellæ*, *Cerretuli*, & *S. Joannis in Thriario*, & fructus dotales deberi à die contracti Matrimonij, concessa nova Audientia Comiti Hyacinto tunc non informanti: Postquam in repropositione Causæ demandatum fuit, ut concordaretur Factum; eo hodiè jam concordato, iterum proposui dubium -- *An sit standum, vel recedendum à decisis* -- Et quia Domini quoad Prædium *Barisellæ* non fuerunt concordes, & contumacialem resolutionem in aliis partibus moderandam esse censuerunt; ideò responsum accepi -- *Quoad Prędium della Barisella iterum proponatur, in reliquis in decisis juxtà modum* inferius exprimendum.

Seposito siquidem dicto Prædio *della Barisella* super quo ob suffragiorum scissuram nulla capta fuit resolutio, quod tangit bina Prædia, alterum in communi *Cerretuli*, & alterum in Communi S. Joannis in Thriario,
1 dubitatum oon fuit, Comitissam Ursulam, & Marchionem Palmerium virum obnoxia, & obligata habere bona fideicommissi ascendentalis Joannis, & Philippi de Felicinis, tùm attenta censura vulgati *Text. in auth. res quæ Cod. com. de legat.*, tùm ex particulari dispositione, ac Testamento eorun-
2 dem ascendeotium, tùm denique ex Laudo clar. mem. Card. Spinulæ tunc temporis Bonooiæ Legati, qui dotem ab his fideicommissis detrahendam liquidavit in libris 23. mil.; Et proprerea expedita remanet actio per dd. Conjuges intentata super dictis Prędiis subjectis fideicommisso ascendentali Joannis, & per obitum Josephi de Felicinis acquisitis à Comite Hyacintho Reo convento, fratre prædictę Ursulæ *Cyriac. controv. 364. nu. 35. Cancer. var. resol. par. 1. cap. 9. n. 172., & seqq. Surd. dec. 62. n. 1., & seq.* & quidem etiam ad effectum subhastandi, ac deliberandi, ut benè probat *Rot. apud Postb. de Subhast. dec. 437. n. 1. & seq. in rec. dec. 40. n. 12. & seq. par. 12 cum aliis in Reatina servitutis super expensis 17. Februaris 1721. §. Pariformiter cor. R.P.D. Fuscaro & in Perusina* Census *4. Julij ejusdem anni coram Me.*

Non obicem præbere visum fuit, sivè quod Laudum præfati Cardinalis loquatur de bonis vindicandis à Tertiis Possessoribus, non autem de aliis obventis per successionem, sivè quod controversa Prædia provenient

niant à diverso Columnello Josephi de tempore contracti Matrimonij pro hac dote non obligati.

Inspectis enim tum circumstantijs ex quibus d. clar. mem. Card. Spinula Legatus ad taxationem dotium devenit favore sororum de Felicinis, tum littera, & contextu ipsius Laudi, satis aperte apparuit, quod alia ratio tunc habita non fuit, quam decernendi, ut in casu quo augeretur Patrimonium Hyacinti per successivas acquisitiones bonorum fideicommissi ascendentalis, dd. Sorores de dote congrue taxata proportionabiliter provisæ remanerent; ideoque sive Patrimonium auctum fuerit ex successione in bonis ascendentalibus, sive ex eorum avocatione a tertijs possessoribus, cum finis cogitatus utroque modo effectum consequi possit, absque dubio ex successione aperta per obitum Josephi purificata remanet actio favore dd. Sororum, nec Com. Hiacynthus ex hoc prætextu super his bonis eam valet effugere, ad tradita per *Andreol. controv. 216. n. 1. Mans. consul. 235. n.9. & 10. Petra de fideic. qu.8. n.409., Caren. resol. 130. n.1. & seqq. Card. de Luca de dote disc. 38. n.11. & dec. 34. n.13., de Comit. Dec. Florent. 52. n.6. cum plur. seq.*.

4 Provenlentia autem dd. Prædiorum a Columnello Josephi de tempore contracti Matrimonij pro hac dote principaliter non obligati, minus tollere visum fuit, quin dd. Coniuges jura sua super illis valeant exercere, quia cum consolidatio eorundem Prædiorum facta fuerit in Comite Hyacintho vigore ejusdemmet fideicommissi ascendentalis Joannis, quod prius in plures portiones divisum fuerat, penès ipsum Comitem Hyacinthum unica dicitur effecta portio, ac Patrimonium fideicommittentis, itaut ipse declinare non possit exercitium actionis *Auth. res quæ* indistincte super omnibus bonis vigore ejusdem fideicommissi acquisitis, ut optime docet *Rot. in recent. dec.312. n,13. cum pluribus seqq.par.6., coram Merlino dec.657. n.4. & seqq. coram Priolo dec.359. n.24., & in d. Perusina 4. Julij 1721. §. Minusque, & seq. cor. Me*.

5 Ejusdemque irrelevantiæ reputatum fuit, quod dicta Prædia, super quibus actionem dirigit dicta Comitissa Ursula, dici nequeant obnoxia antiquo fideicommisso Joannis de Felicinis, quia denuo recognitum fuit in facto; quod sequuto de anno 1478. obitu dicti Joannis, Ludovicus, & Bartholomæus ejus filij sequenti anno 1479. ad distinguendam, & separandam tertiam partem Herculi Nepoti, & cohæredi tangentem super bonis ejusdem Joannis ob illius Pupillarem ætatem, unacum Dorothea de Manzolis Matre, implorata etiam Judicis auctoritate, devenerunt ad confectionem Inventarij Tutelaris, descriptis bonis dicti Joannis ab eis pro indiviso possessis, & inter hæc bona expressè adnotata fuerunt Prædia in communi *Cerretuli, & S. Joannis in Tbriario*, quæ successive in solemni Instrumento divisionis de eodem anno inter eosdem hæredes stipulato, leguntur assignata in portionem d. Herculis Pupilli; ideoque ex hac gemina descriptione in actibus adeo solemnibus facta per filios, & hæredes dicti Joannis, cessat quælibet difficultas circa provenientiam dictorum Prædiorum a fideicommisso ascendentali Joannis, & identitatis probatio satis remanet justificata, ut de Inventario tutelari tradit *Spad. cons. 335. n.8. & 10. lib. 2., Roland. à valle de invent. qu. 194. n. 12., Rota coram Peutinger. dec. 186. n. 4. & 5.*

6 *cor. Beniucasa dec. 388. n. 2.* Et in specie de Instrumento recensitæ divisionis ad similem effectum probandi identitatem alterius Prædii eidem fideicommisso Joannis obnoxij, firmavit *Rota in Bononien. fideicommissi 15. Aprilis 1701. §. Quin revocari coram bo.me. Card. de la Tremoille confirmat. 27. Martij 1702. cor. eodem*.

7 Eoque magis, quia cum hisce actibus gestis a primis hæredibus dicti Joannis fideicommittentis, concordant alij Successivi actus; ex documentis enim per dd. Coniuges exhibitis constitit eadem Prædia post obitum præfati Herculis pluries fuisse descripta in Inventariis, & divisionibus factis per ulteriores hæredes gravatos, & pacifice per eos retenta usque ad obitum Comitis Josephi sequtum de anno 1715., de quo tempore Com. Hyacinthus de eisdem Prædiis fideicommissariis possessionem adeptus est; ideoque ex possessione Prædiorum de quibus agitur in dicto communi *Cerretuli, & S. Joannis in Tbriario* penes hæredes, & successores fideicommittentis de uno in alium usque ad hæc tempora pacifice continuata, absque dubio legalis oritur præsumptio, quod eadem controversa Prædia a fideicommittentis Patrimonio proveniant, donec de contrario concludenter non doceatur, juxta notum *Cons. Fulgos. 145. nu. 2. vers. Porrò si aliunde*, quod passim admisit nostrum Tribunal, & signanter in *Verulana Salviani 6. Junii 1708. §. Quæ omnia coram clar. mem. Card. Priolo, & in Camerinen. Immissionis 28. Aprilis 1713. §. Fortius vero, & §. Siquidem coram bo. me. Ansaldo, in Bononien. fideicommissi de Marsiliis 17. Februarij 1716. §. Quoad bona coram eodem, & in eadem super Immissione 23. Junii 1719. §. Hac autem coram Me*.

8 Maxime quia ex dd. actibus ita continuatæ gestis resultant iteratæ confessiones hæredum gravatorum super provenientia bonorum a fideicommisso Joannis, quæ omnem removent difficultatem, & certiorem identitatis probationem constituunt, ut tradunt *Balduec. ad Ramon obser. 46. n.8. Rota coram Priolo dec. 182. num. 6., & 8. coram Emerix iun. decis 794. nu. 5. in Bononien. fideicommissi de Griffonibus 21. Iunii 1706. §. Et denique coram bon.mem. Omanna, & in Maceraten. fideicommissi super*

reservatis 22. *Iunii* 1712 §. *Quo vero co-*
9 *ram Reverendissimo Crispo*: Præsertim dum
agitur de re, ac fideicommisso valde anti-
quo, quo in casu identitas bonorum levio-
ribus probationibus admittitur, imo etiam
ex solis indiciis, & conjecturis justificatur,
ad firmata per *Marescott. var. resol. lib.* 1.
cap. 12. *n.* 39., & 46. *Rota coram Emerix*
Iun. dec. 117. *num.* 11. *in Reatina Salviani*
10. *Iunii* 1705. §. *Demum coram bon. mem.*
Omanna in Romana Immissionis 5. *Aprilis*
1715. §. *Steterunt coram Eminentissimo*
Scotto, & *in Perusina fideicommissi* 22. *Ia-*
nuarii 1717. §. *Ex necessariis cor. R. P. D.*
meo Foscaro.

10 Absque eo quod indentitatis probatio sal-
tem destrui potuerit quoad dictum Præ-
dium in communi *Cerretuli*, ex eo quod in
eodem communi aliæ factæ fuerint acquisi-
tiones per Dorotheam Tutricem dicti Her-
culis Sen. de annis 1482, & 1484., tùm quia
istæ tanquam posteriores confundere non
potuerunt veritatem adnotationis resultan-
tem ex actibus solemnibus, & signantèr In-
ventarii Tutelaris, ac primæ divisionis, ut
in specie responsum fuit in dicta *Bononien.*
fideicommissi 27. *Martij* 1702. §. *Nec po-*
test coram bon. mem. Card. *della Tremoille*.

11 Tum quia dd. acquisitiones non solùm com-
pertæ sunt modicæ quantitatis, ac valoris,
sed etiam ex combinatione visæ fuerunt pe-
nitus distinctæ à Prędio ad quod petitur
Immissio, ideoque minus aptæ ad destruen-
dam identitatem, ac provenientiam ex dd.
demonstrationibus comprobatam, ut benè
firmat *Rota cor. Celso dec.* 124. *nu.* 12. *cor.*
Priolo dec. 358. *nu.* 16. *cum duobus seqq.*,
12 præcipuè dum illis non obstantibus, hæ-
redes gravati bonorum possessionem reti-
nuerunt uti provenientium ab hæreditate
dicti Joannis antiquioris fideicommittentis,
ut notat *Peregrin. de fideic. artic.* 44. *n.* 15.,
& *seqq. Rota coram Merlin. dec.* 294. *n.* 12.,
& *seqq.*, & *coram Priol. dicta decis.* 358.
num. 21.

13 Ex his autem, licet firmum videatur, quod
pro consecutione residui Dotis dictæ Comi-
tissæ Ursulæ libera competat actio super di-
ctis binis Prędiis in communi *Cerretuli*, &
S. Joannis in Thriario, tanquàm subjectis
fideicommisso Joannis de Felicinis, adhuc
14 cum in laudo clar. mem. Cardinalis Spi-
nulæ, pro residuo taxatę dotis à Blanca, &
Ursula de Felicinis consequendo, eisdem
sororibus fuerit limitata facultas agendi su-
per medietate bonorum recuperandorum
fideicommissi ascendentalis, præservata al-
tera medietate favore Hyacinthi fratris;
Ideo ad formam hujusmodi Laudi, sicuti
quarta tantum pars pro credito dotali Co-
mitissę Ursulæ dici debet obnoxia, ita re-
formando contumacialem Decisionem, non-
nisi pro quarta parte Domini petitam Im-
missionem concedendam esse decreverunt;
Et hæc restrictio ad formam Laudi juri con-
sona visa fuit, quia ultra Blancam, compu-
tata Comitissa Olimpia altera sorore dicti
Hyacinthi de Felicinis, bona semper essent
15 pro quarta parte dividenda; nam ubi fœ-
minæ petunt dotem ex fideicommisso ascen-
dentali, & insimul cum eis concurrunt Ma-
sculi, ipsę fœminæ consequi nequeunt ma-
jorem portionem, quam si masculi essent,
consequerentur, ut optime advertit *Card.*
de Luca disc. 144. *n.* 48. & *dec.* 145. *sub n.* 34.
Rota cor. Royas dec. 375. *nu.* 3., & 6.

Descendendo denique ad fructus dotales,
quos à die contracti matrimonij debitos es-
se dictum fuit, ad effectum indistincte exe-
quendi super Prædiis, de quibus agitur,
simili modo injuncta extitit reformatio de-
cisionis contumacialis, animadversum nam-
16 que fuit, quod, & si admitti debeat, quod
dos ex dispositione Juris suapte natura sit
fructifera ab ipsa die contracti Matrimonij,
juxta *Text. in cap. Salubriter de usur. leg.*
Dotis fructus ff. de Jur. dot. L. Pro oneribus
Cod. eodem Rota coram Dunozzett. Jun.
dec. 796. *n.* 1. *in Aprutina Pecuniaria* 3.
Martii 1704. §. *Quo vero ad fructus coram*
Eminentiss. Scotto, etiamsi constante Ma-
17 trimonio nulla præcesserit interpellatio
contra ipsum dotis debitorem, ad firmata
per *Thomat. dec.* 73. *n.* 1. *Rota in rec. de-*
cis. 127. *n.* 2. *par.* 17. *dec.* 108. *num.* 7., &
seq. par. 19. *coram bon. mem. Ansaldo de-*
cis. 83. *num.* 1 cum aliis relatis in decisione,
quę revideatur §. *Atque ex his*.

18 Nihilominus cum in casu ad formam recen-
siti Laudi agatur de dote consequenda in
vim *Auth. res quæ*, & in specie super bonis,
quæ nonnisi de anno 1715. post obitum Jo-
sephi de Felicinis delata fuerunt Comiti
Hyacintho, contra ipsum alia actio pro fru-
ctibus, ac interusuriis dotalibus compe-
tere Dominis visa non fuit, quam pro fru-
ctibus decursis a die sequutæ recuperatio-
nis, vel consecutionis eorundem bonorum;
Idque ex duplici potissimum ratione, altera
quia indistincte admisso contra Com. Hya-
cinthum exercitio actionis pro omnibus fru-
ctibus decursis à die contracti Matrimonii,
idem Hyacinthus spoliatus remaneret por-
tione ipsi uti masculo de jure præservata in
concursu sororum, quod nequit admitti *ex*
19 *superius formatis*; Altera vero, quia d.
Com. Hyacinthus damnaretur ad fructus,
quos ipsi conjuges contra dictum Josephum
priorem Possessorem per spatium 20. & ul-
tra annorum voluntariè petere omiserunt,
in quibus terminis distractio bonorum fidei-
commissariorum pro interusurijs dotalibus
nunquam permittitur, ut bene firmavit *Ro-*
ta in Romana fideicommissi de Radiebettis
2. *Junii* 1713 §. *Quinimò coram R. P. D.*
meo Falconerio.

20 Non attento quod juxta magis receptam
sententiam beneficium *Auth. res quæ* lo-
cum sibi vindicet non solùm pro capitali
dotis, sed etiam pro illius fructibus, ad tra-
dita per *Rotam in Romana Immissionis* 13.
Novembris 1709. §. *finali coram Reveren-*
dissimo

dissimo Aldrovando, sicuti enim pro inter-
21 usuriis dotalibus in subsidium extrahendis à fideicommisso ascendentali onus solutionis principaliter resider in fructibus bonorum, qui à fideicommissario percipiuntur, *Rota coram Ottbobon. dec. 43. num. 6. coram Priolo decis. 385. num. 15. coram Cer-*
22 *ro dec. 703. num. 5.*, ità neglecta per Creditorem Dotis contra gravatum, ac bonorum Possessorem petitione eorundem interusuriorum, id Creditor non potest amplius pro illis bona fideicommissaria molestare, ne alias propriam culpam, & negligentiam in præjudicium ulterioris vocati, & omnimodam fideicommissi eversionem convertat, ut communiter tenent *Redenasch.consf. 72. num. 47. Balducc. ad Ramon. conf. t. n. 82. Fusar. de substit. quæst. 531. num. 43. Card. de Luc. de dot. disc. 51. num. 2. disc. 145. sub numer. 42. vers. prout attenta, Urceol.decis. Florent. 30. num.41., & seq. Rota in dicta Romana fideicommissi de Radichettis 2. Junii 1713. §. Quinimo coram R. P. D. Falconerio, & admittit d. Romana immissionis 13. Novembris 1709. §. final. coram Reverendiss. Aldrovando*, Et ità utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Veneris 23. Januarii 1722.

ARGUMENTUM.

Debitum commune solvens de bonis communibus, nullam actionem contra coobligatum adipiscitur, & referens sine relato nil concludit.

SUMMARIUM.

1 *Hæres ultimus gravatus sine hærede decedens portionem suam ad Creditores transmittit.*
2 *Retentio bonorum hæreditariorum non datur illi, qui non sit hæres, neque creditor defuncti.*
3 *Actio non oritur uni ex hæredibus fideicommissariis super communi domo alienata, quando talis alienatio cessit in extinctione debiti communis.*
4 *Peritia relativa ad laudum, isto non subsistente, nil concludit, neque operatur.*
5 *Assignatio pro credito dotali super domo non regit, eo ipso, quod probatur istam ab anterioribus creditoribus fuisse erectam*, & vide casum.
6 *Creditum dotis maternæ super bonis viri præfertur credito livellorum communi filiæ, à Patre assignatorum.*
7 *Dimissio domus facta ab illo, qui eam non possideret, referenda est ad dimissionem Iurium tantum, quæ super ea prætendere valeret, non verò ad dimissionem possessionis corporalis.*

Tom. VI.

DECISIO MCCLXXIX.

PRopter lapsum decennii concessa de stylo nostri Tribunalis Equiti Joanni Antonio à S. Petro facultate deducendi jura sua adversus decisionem editam *usque à die 24. Aprilis 1711. coram Reverendissimo Crispo*, revocatum fuit ad examen, utrum Fratribus de Piscitellis ex persona Barbaræ Marionæ eorum Matris prædefunctæ, & Creditricis Francisci Mariæ Daccii, danda esset Immissio super quinta sexiæ partis Canonis, seù domus obnoxiæ particulari fideicommisso quondam Victoriæ de Leis; & DD. approbantes fundamenta d. decisionis, responderunt -- *In decisis* --

Siquidem hodiè haud amplius à Joanne Antonio impugnabatur, vel existentia fideicommissi, vel ejus purificatio favore dicti Francisci Mariæ virtute vulgaris Anomalæ in dicto fideicommisso contentæ, & de qua latè actum fuit *in dicta decisione §.*
1 *Quin audiendus cum seqq.* Prout neque amplius controvertebatur, quod portio fideicommissi in d. Franciscum Mariam Debitorem obventæ, eo sine hærede defuncto, transmitti potuerit in Barbaram illius indubitatamCreditricem ex causa cujusdam Census ab eodem impositi usque ab anno 1662. de qua transmissione pariter actum fuit *in d. decisione § Quandoquidem jura, cor. Rmo Ravennaten.*
2 Tota itaque causæ defensio pro parte Joannis Antonii hodie constituebatur in exceptione retentionis, quam sibi competere contendebat ex persona Hieronymi Daccii ejus Auctoris, & Cessionarii Duciliæ Strozziæ prætensæ Creditricis anterioris memorati Francisci Mariæ; verùm ultra quod Eques Joannes Antonius non videbatur uti posse Juribus d Hieronymi, cum neque sit eius Hæres, neque eius Creditor, ut novissime firmatum fuit *in Romana Salviani 23. Junii 1719. coram R. P. D. meo Herrera*, DD insuper animadvertebant nullo modo subsistere dictum creditum Hieronymi Daccii adversus Franciscum Mariam ejus Fra-
3 trem; nàm quatenus illud deducebatur ex quo idem Hieronymus extinxerit cambium ab ipsomet Hieronymo, & Francisco Maria fratre insimul contractum cum Ducilla Strozzia, difficultas cessabat ex facto, quia talis extinctio facta fuit mediante datione in solutum cujusdam appartamenti hæreditarii Hypoliti Patris, in quo jus æquale, tanquam cohæredes habebant tàm ipse Hieronymus, quàm Franciscus Maria frater, ut proindè ex hoc titulo nulla potuerit quæri actio Hieronymo contra Franciscum Mariam, dum debitum commune per distractionem rei pariter communis, & ab hæreditate Patris provenientis dissolutum fuit ad *Text. in l. nulla Cod. de solut.* ut benè respondet *decisio Causæ §. fin.* ubi concordantes.

 Nec

Nec subsistere visum fuit, quod Domus, cujus appartamentum datum fuit in solutum Ducillæ Strozziæ pro ejus Cambio non esset communis, sed propria Hieronymi, ex quo prius assignata fuerat pro restitutione Dotis Felici Sabellescha vid. rel dicti quondam Hypoliti Daceli, & ista hæredem reliquit solum Hieronymum. Maturè namque perpensis omnibus facti circumstantiis, recognitum fuit, quod memoratus Hypolitus duas in regione S. Eustachii possidebat conterminas domos, unam majorem, & alteram minorem. Ex his autem major assignata fuit pro restitutione dotis Felici Sabellesche, sed hęc paulo post ab eadē muliere vendita fuit anno 1676. favore Goggii, unde cedere non potuit in extinctionem Crediti Ducissæ Strozzię: Bene quidem in causam hujus extinctionis cessit appartamentum alterius domus minoris; verùm hæc nunquam fuit adjudicata pro dote d. Felicis Sabellescha sed semper remansit in hæreditate Hypoliti, dum ad illam tamquam ejusdem Hypoliti hæreditariam concessa fuit immissio, & successive manutentio Sor. Hypolitæ Felici Monіali Professæ in Monasterio Sancti Bernardini ex causa livellorum sibi à Patre promissorum, & Monasterium usque ad præsens pro quadam rata in ejus possessione permansit, una cum ipsis fratribus de Piscitellis, ut latius constitit ex deductis in *Summar. Actoris n. 2. & seqq.*

His autem positis parum curandum DD.
4 censuerunt de quadam Peritia, in qua dictum fuit, quod memorata Felix Sabellesca utramque domum habuerat pro restitutione ejus dotis; error enim d. enunciativæ statim deprehendebatur, nedum quia Peritus relative in hac parte se habuit ad quoddam Laudum Advocati Ricci, in quo tale quid non habetur, sed imo conceditur Felici Sabelleschæ manutentio super d. Domo maiori dumtaxàt, ad quam ipsa præcedenter immissionem obtinuerat ab A. C. Bulgarino, unde intrat regula, da qua *Bart. in l. edita §. Expedita num. 28. & 29. ff. de eden. Rot. coram Mantic. decis. 336. numer. 3. & coram Emerix Jun. decis. 47. nu-*
5 *mer. 4. & 5. & sæpe alibi*: Verum etiam quia si d. domus exposita remansit exequutioni factæ à Creditoribus Hypoliti Patris, qui ejus possessionem adepti fuerunt, jam evidens, & apertum redditur, quod assignata prius non fuerat pro dicto Credito
6 dotis, dum Creditum livellorum, quod habebat Soror Hipolita contra hæreditatem Patris, sine dubio excludere nequivisset creditum, quod contra eamdem hæreditatem habebat mater pro restitutione suæ dotis, *Rota in Romana concursus, seu consignationis pretii domus 14. Iunij 1720. §. Competit cor: Me.*
7 Similiter nec momenti erat transactio celebrata inter eamdem Felicem Sabellescam, & Margaritam ejus filiam, in qua conventum fuit, quod eadem Margarita dimittere deberet hanc domum minorem favore Felicis; siquidem & ista promissio à Margarita emissa reperiebatur inanis, dum hanc domum nunquam ipsa, sed benè quidem Monasterium S. Bernardini ab anno 1662. usque in præsens possedit. Quamobrem hujusmodi dimissio, & relaxatio solum intelligi potest, & verificari de remissione jurium, quæ d. Margarita super eadem domo prætendere posset, ex deductis per *Scapucc de Salvian. lib. 2. quæst. 7. num. 4. Rot. divers. par. 1. dec. 472 nu. 2. & 3. Thomat. dec. 109. n. 10.* & in similibus dixit *Rot. dec. 893. n. 1. cor. Emerix. Iun.*

Et ita utraque &c.

EADEM CORAM EODEM SUPER FRUCTIBUS.

Veneris 23. Ianuarii 1722.

Nec Argumento indiget, nec Summario.

DECISIO MCCLXXX.

Reassumens hodie Piscitellius una cum negotio principali respiciente immissionem ad ratam Domus suppositæ particulari fideicomisso Victorię de Leis etiam alteram controversiam super restitutione fructuum ab Equite Joanne Antonio perceptorum à die purificati fideicommissi, curavit per Me proponi in hac Rota aliud dubium -- *An*, scilicet, *sit standum*, *vel recedendum à decisis sub die 4. Decembris 1711. coram Reverendissimo Crispo* -- Et DD. responderunt -*In decisis*- ex iisdem rationibus ex quibus super hoc eodem articulo quoad Bonellum responsum fuit -. *constare de re Indicata* -- in contemporanea decisione coram Me edita, ad quam DD in omnibus remissive se habuerunt.

Et ita utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS SUPER FRUCTIBUS.

Veneris 23. Januarii 1722.

ARGUMENTUM.

Tutor in mala fide positus ad damna, quæ ex propria culpa pupillo intulit, sive emendo rem non liberam pro libera quam liberam non esse sciviset, sive alio quovis modo obligatur, cum præsertim ejus factum pupillum liget, excepto tamen casu, quod ad manus pupilli nil devenisset.

SUMMARIUM.

1 *Duo conformes, trium vim habent.*
2 *Possessor malæ fidei semper, & indistinctè ad*

ad fructuum restitutionem tenetur de re non sua perceptorum.

3 *Tutor ex quibus dicendus sit scivisse, quod domus pro pupillo empta non fuisset libera* & numero 6.

4 *Mala fides incurritur à Tutore ementi nomine pupilli pro libera rem non liberam, quando certo scivit talem non esse.*

5 *Amplia, quando scivisset rem ad alium pertinuisse.*

6 *Tutor dicitur consocius de re non libera, pro libera pupilli nomine empta, eo ipso, quod Apostolicam derogationem referre curasset, & num. 7.*

8 *Factum Tutoris, pupilli dicitur & illum ligat*, & num. 11.

9 *Scientia Tutoris, scientia pupilli reputatur*, & num. 12.

10 *Limita, quando ex facto Tutoris ad pupilli manus nil devenisset.*

12 *Factum Tutoris à fortiori pupillum ligare debet, si ille major factus illud ratum habuisset, & ex quibus id probetur.*

13 *Versio pecuniarum in dimissione Creditorum fideicommittentis non est a pupillo allegabilis sub velomine bonæ fidei quando scivisset eosdem Creditores aliis pecuniis fuisse dimissos.*

DECISIO MCCLXXXI.

Quamvis Jura nostra adeò præsumant de Justitia Sententiarum, ut nemini licere
1 voluerint in una, eademque Causa tertio provocare, *l. unica Cod. ne liceat in uno eademque Causa &c.* Nihilominus quia post sex conformes Sententias in nostro tribunali Iaras Joannes à S. Petro adhuc extorserat à Signatura Justitiæ novam appellationis commissionem in suspensivo, opportuit, ut Bonellus adita Signatura Gratiæ, seù Congregatione particulari loco illius à Sanctissimo deputata obtineret ab ea reformationem commissionis cum clausula *sine præjudicio*, ad cujus formam exhibito per Me hodiè congruo dubio *An constet de re iudicata, seu potiùs de Causis restitutionis in integrum* DD. responderunt *constare de re iudicata*.

Istì enim ad effectum suadendi Injustitiam præcedentium Sententiarũ Defensores Joannis Antonij dividerent examen præsentis Causæ in tres inspectiones, primamque constituerent in ea quæstione generali, an scilicet fructus bonorum fideicommissi particularis restitui debeant à Possessore à die purificati Fideicommissi, etiamsi bona fide consumpti fuerint: Secundum verò reponerent in quæstione speciali, an hujusmodi bona fides concurreret in Persona d. Ioannis Antonij, & denique tertiam reducerent ad examen an aliqua saltem mala fides considerari posset in persona eius Tutoris, & hæc ipsi Joanni Antonio præjudicaret.

Domini tamen quoad primam remissivè se habentes ad iam deducta in tribus postremis Decisionibus Causæ 15. *Martii 1717. coram R.P.D. meo de Gamaches*, & 6. *Februarii, ac. 5 Iunii 1719. coram R.P.D. meo Falconerio*, illud unum in præsenti sufficere censue-
2 runt, quod possessor malæ fidei semper, & indistinctè tenetur ad restitutionem fructuum ex re aliena perceptorum, ut in terminis Legati, cui fideicommissum particulare in omnibus exequatur est tex. apertus in *l. quæsitum 40. ff. de acquirendo rerum dominio*, cujus verba ad litteram transcripsit penultima decisio causæ 6. *Februarii* 1719. §. *Animadverterunt coram R.P.D. meo Falconerio*.

Hinc autem descendendo ad examen secundæ, & tertiæ inspectionis, & una simul applicando supra expositam certissimam conclusionem Casui, de quo agitur, visum fuit minimè dubitari posse de mala fide Jo. Antonii, ponderatis ad hunc effectum tùm facto ejus Tutoris de tempore, quo domum fideicommissariam acquisivit, tum successivè gestis ab eodem Joanne Antonio postquam è minoribus excessit.

3 Factum sanè Tutoris ita clare præseferebat scientiam qualitatis fideicommissariæ, ut nullo colore, nulloquoque etiam possibili & emendicato prætextu velari posse videretur, ipsi enim nedum ignotum non erat, quod Marcus Cittadinus venditor hanc domum præcedenter emerat ab hærede gravata, quodque Breve Apostolicum pro fideicommissi derogatione ab eodem venditore expeditum nullum effectum, nullamque executionem habuerat, sed imo expressè cum eo convenit de novo Brevi à Pontifice impetrando sumptibus, & expensis communibus, prout de facto successivè impetravit, & de illius executione procuranda sumptibus pariter, & expensis communibus, quod tamen postea numquam factum fuit, quia revera fieri nequibat sine subrogatione aliorum Bonorum pro indemnitate vocatorum, quibus Princeps præjudicare non consuevit, ut latiùs & ad litteram constat ex Instrumento d. emptionis. Si igitur Tutor scivit domum
4 esse fideicommissariam, si scivit necessariam esse Principis derogationem; si eam de facto impetravit, sed posteà debitæ executioni committi neglexit, nullo utique pacto salvari, aut excusari potest à mala fide, quæ statim inducitur, ac quis scienter emit rem alienari prohibitam, *ut per Text. in cap. qui contra de regulis Iur. in 6. & in l. quemadmodum in fine Cod. de Agriculis, & censit. lib. 11. benè firmat d. penultima Decisio causa §. Animadverterunt coram R. P. D. meo*
5 *Falconerio*. Et multo magis, quando quis emit rem, quam scit ad alium, quàm Venditorem pertinere, *l. si quis fundum emerit 43. ff. de acquir. possess. cum aliis in d. decisione loco cit.*

6 Nec quidquã in contrarium facere visum fuit, quod de tempore emptionis adhuc viveret Fœlix Sabellesca hæres gravata, ità quod Tutor credere potuerit alienationem ab illa factam sustineri posse vel titulo detractio-

tractionum, vel saltem durante vita alienantis. Si enim Tutor his non obstantibus necessariam credidit derogationem fideicommissi, jam ex hoc ipso patet, quod scivit fideicommissum per obitum d. Fœlicis purificatum iri favore ulteriorum vocatorum, quodque nullæ suppetebant detractiones, quarum virtute posset memorata Domus eximi à vinculo particularis fideicommissi, dum alias si non præcogitasset casum, quod fideicommissum purificari debebat proùt posteà contigit favore ulteriorum vocatorum, aut si aliquo errore ductus credidisset, quod hæredi gravatæ competere possent detractiones, inutilis, & omninò incongrua fuisset conventio de impetrando Brevi derogatorio, & improvidè fuisset impensa ab eo successive facta in ejusdem Brevis actuali expeditione, ut patet ad sensum.

7 Ex his itaque plenè conliabilita in Tutore scientia fideicommissi, & mala fide ex ea resultante, DD. non dubitarunt, quod illa in

8 Pupillo nocere nedùm Tutela durante, sed etiam post eam finitam, & in eum transfundi potuerit, dum Pupillus quodcumque ex facto Tutoris acquirit, debet cum sua Causa acquirere, & scientia Tutoris, Pupilli scientia in jure reputatur *l. 1. & 3. ff. quando ex facto Tutorum l. sequitur 4 §. Si Pupillo ff. de usu-*

9 *cap. l. Ait Pretor ff quæ in fraud. Credit.* cum aliis adductis in *dec. Causæ 15. Martii 1717. §. Siquidem cor. R. P. D. meo de Gamacbei, & 6. Februarii 1719. § Minùs etiam urgente, & 5. Iunii 1719. §. Sublata cor. R. P. D. meo Falconerio*, quidquid alitèr dixerit *Rovit. dec. 90. n. 25. & seq.* cum ejus opinio fortassè

10 procedere possit in casu de quo ipse agit, in quo ex facto Tutoris nihil ad manus Pupilli pervenerat, non verò in præsenti, in

11 quo Domus empta à Tutore tutela finita in liberam Pupilli possessionem transivit, in quibus terminis loquuntur præcitati Textus, & præsertim *in l. Ait Prætor §. Ait Prætor ff. quæ in fraud. credit* in illis verbis ibi = *quatenus quid ad eos pervenerit*.

12 Certiùs autem, quia ultra malam fidem à principio in Pupillo impressam per medium Tutoris concurrere insuper comperta fuit in eo etiam propria postquam adultus factus fuerat dum occasione, qua emptionem hujus Domus impugnavit coram Perito in Judicio contra Tutorem promoto super redditione rationis, indicavit specialiter Instrumentum d. emptionis cum specificatione Notarii, diei, mensis, & anni, undè tutè credi potest, quod ipse jam adultus, & major idem Instrumentum recognoverit, & ex eo confirmatus fuerit in scientia fideicommissi a principio, & dum Pupillus erat in ipsum transfusa Ministerio legis per medium Tutoris, quod ad effectum præsentem restitutionis fructuum exhuberat ad tradita *per Rot. dec. 3. num. 28. par. 7. & in Fanen. Pecuniaria 26. Junii 1709. §. Utraque coram Reverendissima Aldrovando, & in dec. hujus causæ 15. Martii 1717. §. Non salum verò coram R. P. D. meo de Gamachei.*

Agnoscens Joannes Antonius pondus, & efficaciam rationum actenus deductarum non amplius insistebat super inconvenienti, de quo acriter conquerebatur in anteactis propositionibus, quod nempè Tutor non obstante ejus mala fide absolutus fuerit à nostro Tribunali in Judicio redditionis rationis, benè edoctus ex responsionibus datis in tribus postremis Decisionibus, quod nullum inconveniens circa hoc versabatur. In præsenti itaque tamquam ad extremum re-

13 fugium recurrebat ad versionem ratæ partis prætii Domus fideicommissariæ in extinctionem Debitorum pro quibus erat obligatum fideicommissum. Sed hoc quoque frustra, quia in sequelam decisionis editæ sub die 24. Aprilis 1711. & sententiæ successivè latæ super negocio principali coram Revererendissimo Crispo, jam Bonellus persolverat quintam partem censuum, & fructuum a fideicommisso debitorum ut constiiit ex publico Instrumento per Notarium Causæ stipulato, ut proinde hodie valde alienum à bona fide visum fuerit eamdem solutionem denuò repetere contra notam regulam *in Capitulo bona fidei de regul. Jur. in 6.*

Et ita utraque parte informante, & *omnibus DD. suffragium ferentibus* resolutum fuit.

ROMANA LOCORUM MOMTIUM.

Lunæ 26. Januarii 1721.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria quoad sortem, & revocatoria *juxta modum* quoad fructus alterius decisionis emanatæ sub die 10. Februarii 1721.

Augumentum, & decrementum locorum montium commodo, & incommodo possessoris pro tempore cedit; adeout si ille alteri ea restituere cogatur, in eo debentur valore, qui de tempore adeptionis decurrebat.

Fructus in spolio judiciali, & non violento, neque attentato in vera quantitate à spoliante percepta debentur, non qui etiam percipi potuissent. Condemnatio etiam in his terminis ad fructus generica, de eis tantum, qui de jure sunt debiti, intelligitur.

SUMMARIUM.

1 *Reintegratio danda est spoliato de locis montium ad ratam valoris de tempore sequuti spolii*; declara, ut in nu. 4. & 5.

2 *Augumentum, sive decrementum locorum montium damna, & utili earum Proprietarii cedit*, & n. 5.

3 *Lucrum ex spolio à spoliante referri non potest.*

4 Fru-

4 *Fructus verè percepti tantum, & non qui percipi potuissent in spolio judiciali, non violento, neque attentato reficiendi sunt.*

5 *Condemnatio ad fructus in vim rei indicatæ genericè debitos iuxta subiectam materiam, & iudicii naturam intelligitur, & de fructibus verè perceptis, ad terminos spolii iudicialis, non attentati, nec violenti*, & n.6, ac declara ut in n.9.

8 *Sententiæ, & res indicatæ passivam interpretationem à iure recipiunt.*

10 *Sententiæ Rotales à decisionibus præventivis in re dubia declarantur.*

11 *Fructus ut repetantur ab illo, qui non eos percepit, omnino probandum est, quod dolo possidere desierit.*

12 *Litteræ Patentes locorum montium eorum provenientiam probant ad instar publici Instrumenti.*

13 *Separatio bonorum facienda est inter Concreditores duplicis patrimonii in unum collecti ad effectum bene consignationes regulandi.*

14 *Dolus, & culpa excluduntur in possessore locorum montium, quando ex litteris patentibus nullus deprehenderetur error, quo ille credere posset ad se non pertinere eadem loca.*

15 *Culpa non tenetur, qui à Judice postulavit quod iustum erat, & nihilominus ab isto obtinere non valuit.*

DECISIO MCCLXXXII.

POstquam Æconomus à Congregatione Baronum deputatus patrimonii clar. mem. Principis Julii Sabelli de mandato ejusdem Congregationis possessionem ceperat locorum 47, Montis Communitatis attergatorum pro duobus censibus impositis anno 1687., & 1688. favore PP. Carmelitarum Excalceatorum Terræ Mathelicæ, & Montis Virginii: advertens Monasterium SS. Dominici, & Sixti, quod in Litteris Patentibus dicebatur, quod eadem loca montium proveniebant ab hæreditate clar. mem. Cardinalis Peretti, illa è manibus ejusdem Æconomi judicialiter vindicavit sub die 16. Junii 1698., & in eorum integra possessione permansit usque ad annum 1703, quo ad instantiam DD. de Cinciis tamquam creditorum anteriorum Domus Perettæ de mandato d. Congregationis distracta ex illis fuerunt loca 31. cum dimidio.

Interim verò, cum ex notitiis subministratis ab occulto Revelatore detectus fuisset error, qui in Litteris Patentibus irrepserat circa expressionem provenientiæ à Cardinali Peretto, memoratus Æconomus anno 1704. reintegrationem obtinuit ad loca quindecim cum dimidio, quæ adhuc retinebantur à Monasterio SS. Dominici, & Sixti. Pro reliquis verò locis 31 $\frac{1}{2}$, jam distractis ad instantiam DD. de Cinciis nil ultra recuperare potuit, quàm tunc currens eorum pretium in summa sc. 3410. 39.

His ab Æconomo peractis, excitati PP. Carmelitæ, qui ut supra dictum fuit primo loco expoliati fuerant ab Æconomo de iisdem locis montium eorum favore attergatis, obtinuerunt à dicta Congregatione Baronum de voto nostri Tribunalis favorabilem sententiam, cujus vigore reintegrati fuerunt ad possessionem eorum locorum, qui ad numerum 15. cum dimidio actu reperiebantur penès Æconomum: quo verò ad alia loca 31 $\frac{1}{2}$, & restitutionem fructuum, cum Sacra Rota fuisset in voto, quod relaxandum esset mandatum pro reintegratione capitalis, & restitutione fructuum perceptorum à die Commissi Spolii contra Æconomum, qui solvere deberet de Bonis Creditorum sub concursu positis, petierunt idcirco in Congregatione Baronum, ut ipsis consignarentur scuta 1848. ex pretio Palatii Sabelli. Verum obtenta pro tunc ad Computum eorum crediti consignatione scut. 1884. fuit in reliquis iterum remissa causa ad hoc sacrum Tribunal pro novo voto circa geminas controversias exortas super liquidatione capitalis, & fructuum; eaque per Me proposita sub die 10. Februarii superioris anni, responsum fuit, quod Capitale dd. locorum 31 $\frac{1}{2}$ liquidandum esset ad rationem scut. 106. pro quolibet loco, & quoad fructus, quod restitui deberent ab Æconomo etiam illi, qui ab eo percepti non fuerunt post commissum Spolium, ut latius constat ex decisione desuper edita.

Non acquiescentibus Partibus, concessa utrimque fuit nova Audientia, & hodie reproposita causa, factoque melius dilucidato, rescriptum fuit -- *Quoad Capitale in Decisis, & quoad fructus recedendum esse juxta modum.*

Ac sermonem ordiendo à Capitali, respectu cujus nihil aliud erat in controversia, nisi tenuis admodum summa scut. 55. 64. con-
1 stans erat in facto, quod Patres Carmelitæ, qui fuerunt Spoliati locis 31. montium cum dimidio petendo reintegrationem, nil ultra hoc nomine prætendere poterant, nisi quod ipsis restituerentur totidem loca montium, quot erant illa super quibus Spolium passi fuerunt; quamobrem dum illis restituta fuit tanta pecuniæ quantitas, quanta tunc necessaria erat pro emendis dd. locis 31. cum dimidio, evidens, & apertum reddebatur, quod jam fuerunt plenè reintegrati de toto eo, quod per Spolium passi fuerant, ut benè advertit præcedens Decisio §. *Distinctio verò.*

2 Nec obstare visum fuit, quod Creditores Domus Sabellæ eadem loca montium recuperaverint è manibus Creditorum Domus Perettæ ad rationem scut. 110. pro quolibet loco, ac proinde ad eamdem rationem scut. 110. restituere illa debeant iidem Creditores etiam PP. Carmelitis, ut augumentum istud, quod pignori accessit cedat favore eorumdem PP., pro quorum censibus controversa loca montium specialiter hypothe-

cam

cata erant, juxta *Text. in l. Si convenerit* 18.
3 §. *Si nuda ff. de pignor. action.* ; & ne aliàs Spoliatores lucrum ex Spolio consequantur, *juxta deducta per Adden. ad Gregor. decis.* 503. *n.*6., *& per Rot. dec.*491. *n.*8. *p.*14. *rec.*
4 Placuit enim etiam hodie responsio data in præcedenti decisione; quod loca montium sunt obnoxia augumento, & decremento extrinseco juxta minorem vel majorem affluentiam emptorum; ideoque sicuti ubi loca montium semper stetissent penès PP. Carmelitas, illa de tempore restitutionis, nempe de anno 1717. non pluris valuissent, quàm ad rationem scut. 106., nec ullum PP. Commodum sensissent ex valore, qui currebat de anno 1709., quo dicta loca restituta fuerunt à Creditoribus Domus Perettæ ad rationem scut. 110., dum isto casu d. valor, & augumentum extrinsecum currens anno 1709. ad rationem scut. 110. decrevisset in eorum manibus ad scut. 106. Ita etiam dum iidem PP. jam exegerunt à Creditoribus valorem currentem tempore restitutionis ipsis factæ anno 1717. ad rationem scut. 106., consequuti videntur integrum pignoris pretium cum eodem augumento, & decremento, quod evenisset in eorum manibus, si Spolium commissum non fuisset, ut pluribus allegatis firmat Decisio quæ revidetur §. *Non obstat*......
5 Et hinc est, quod nec durum, nec incongruum videri debeat, quod Spoliatores hoc tenue lucrum scut. 55. ex eorum Spolio reportent, quia commodum hoc, & lucrum est merè accidentale, & æque bene poterat se habere ad incommodum, cum dari poterat casus, quod de tempore restitutionis faciendæ Patribus, eadem loca montium ne dum in valore non decrevissent, sed aucta ex opposito essent ad scut. 112, vel 115., quo casu dubium non est, quod PP. recipere renuissent eorum pretium ad rationem scut. 110., & allegassent sibi deberi tantam pecuniæ quantitatem, cum qua tunc temporis emere possent totidem loca montium, quibus spoliati fuerant, ut benè prosequitur d. antecedens decisio §. *Atque ex his*.
6 Hactenus de Capitali. Pro eo verò, quod respicit restitutionem fructuum, Domini permanentes in sensu præcedentis resolutionis circa fructus verè perceptos ab Æconomo, seu Creditoribus, Domus Sabellæ; pro eo quod attinet ad alios, qui à d. Æconomo, & creditoribus percepti non fuerunt, recesserunt à Decisis, dum posito in facto quod in præsenti agatur de spolio judiciali, non autem violento, aut attentato, de plano consequebatur injure, ut illi tantum fructus à spoliatoribus restituendi essent, qui verè ab ipsis percepti fuerunt, ex deductis per *Rot. cor. Ubald. ddec.* 32. *n.* 13., *& decis.* 834. *n.*8., *& cor. Bichio dec.*45. *n.*2., & sæpe alibi.
7 Haud relevante, quod Creditores Domus Sabellæ jam condemnati fuerint indefinite ad restitutionem omnium fructuum à die commissi Spolii per rem judicatam nostri Tribunalis coram Eminentissimo Scotto, quæ hodie indirectè infrigeretur si fieret diminutio fructuum pro rata temporis quo ipsi Creditores loca montium non possiderunt.

Plana enim, & facilis occurrebat responsio, quod licèt res judicata Rotalis præseferat indefinitam condemnationem ad restitutionem fructuum à die commissi Spolii, ea tamen intelligi debet juxta subjectam materiam, & naturam judicii, de illis scilicet fructibus, qui fuerunt à Spoliatore percepti,
8 cum explorati juris sit, quod sententia, & res judicata passivam interpretationem recipiat à jure, *Rot. cor. Bichio dec.*468. *n.*11., *& cor. Ottbobon. dec.* 215. *nu.*18., *& coram Peutinger. dec.*319. *n.*22.
9 Quodque reverà non alia tunc fuerit mens Sacræ Rotæ, benè deducebatur ex Decisionibus, quæ votum Rotale de more præcesserunt. Siquidem *in earum prima* 4. *Junii* 1714. §. *Animadvertentibus* eatenùs condemnatus fuit Æconomus ad restitutionem fructuum à die commissi spolii faciendam de bonis sub concursu positis, quatenus suppositum fuit, quod prædicti fructus cessissent in commodum universi cætus eorumdem creditorum. In secunda verò die 15. Novembris 1715. §. *Conveniebat*, restitutio eorumdem fructuum expresse modificata fuit ad fructus verè, & effective perceptos per illa verba *pro toto tempore perceptio-*
10 *nis*; undè his stantibus, quatenus in sententia, & voto Rotali aliqua super hoc in esset dubietas, utique ea ad formam dd. Decisionum declarari, & definiri deberet, juxta stylum nostri Tribunalis, de quo coram *Buratt. dec.*327 *n.*1.
11 Prout etiam minus obstat, quod Creditores Domus Sabellæ, licèt pro aliquo tempore controversa loca montium non possederint, censeri nihilominus debeant ad effectum restitutionis fructuum pro continuis Possessoribus, ex quo propter eorum culpam possidere desierunt, & passi sunt ab ipsis avocari hæc eadem loca montium per Creditores Domus Perettæ, nulla facta oppositione, aut diligentia pro eruenda facti veritate, & utrum loca montium revera pertinerent ad hæreditatem cla. me. Card. Peretti, prout in litteris patentibus per errorem expressum fuerat.

Pro remotione namque hujus objecti, cum quo potissimum pertransiit præcedens Decisio, DD. ex noviter in facto deductis ponderabant, quod ad effectum, ut possessor obligari possit ad restituendos fructus, quos ipse non percepit, omnino probari debet, quod dolo possidere desierit, *l. Sin autem* §. *Possidere ff. de rei vindic. l. Si Creditor*, *& l. si nulla culpa C. de pignor. action.*
12 De hujusmodi autem dolo nullatenus in casu nostro redargui posse videbantur Creditores Domus Sabellæ, dum eatenus ipsi spoliati fuerunt à Creditoribus Domus Perettæ, quia in litteris patentibus, quæ in hac materia

materia locorum montium publico Instrumento æquipollent, litteraliter expressum erat, quod illa proveniebant ab hæredita-
13 te Cardinalis Peretti, quo stante, ambigi non poterat, quominus Creditores ejusdem Domus Perettæ essent super illis præferendi Creditoribus Principis Sabelli ex beneficio separationis bonorum, de quo est *Text. in l. 1. §. Reiiciendum, & l. Quoties ff. de separat., cum aliis in Romana Cantbelæ Angeli 15. Junii 1705. §. Quandoquidem cor. bon. mem. Omanna.*

Et quamvis ex post ejusmodi enunciativa litterarum patentium reperta fuerit erronea, non inde tamen argui poterat dolus aliquis, aut præcedens culpa in Creditoribus Domus Sabellæ, dum ad effectum detegen-
14 di errorem, non solum necessaria fuerunt documenta ab occulto Revelatore subministrata, sed opus quoque fuit, ut Peritus à Congregatione Baronum specialiter deputatus multum operis, & laboris impenderit in perquirendis antiquis libris Secretariæ Montium, quę sola facti circumstantia exuberat ad effectum excludendi à Creditoribus prædictis quemcumque dolum, & culpam, *l. Lata culpa ff. de verbor signif.*
15 Citra quod hujusmodi culpa desumi valeat ex eo, quod memorati Creditores Domus Sabellæ non coegerint DD. de Cinciis, & alios Creditores Domus Perettę ad restitutionem horum fructuum, quia illi revera insteterunt etiam pro istis fructibus, sed Congregatio Baronum eos condemnare noluit; undè neque hoc culpæ eorum tribui potest, *l. Non videtur §. Qui jussu ff. de reg. iur.*

Et juxta hunc modum *Dominis unà mecum suffragium ferentibus* responsum fuit.

ROMANA LOCORUM MONTIUM SUPER PRÆLATIONE.

Lunæ 26. Januarii 1722.

ARGUMENTUM.

Argumentum habetur in Summario, & hæc est revocatoria alterius emanatæ sub die 10. Februarii 1721.

SUMMARIUM.

1 *Prælatio non datur illi, inter Concreditores, qui nec creditum habet, nec hypothecam.*
2 *Creditor tempore anterior, potior in iure censetur.*

DECISIO DCCLXXXIII.

CUm supposito, quod Patribus Carmelitis restitui deberent à Creditoribus Domus Sabellæ nedum fructus, qui ab iis percepti fuerunt ex locis montium favore eorumdem Patrum attergatis, & deindè per dictos

Creditores judicialiter avocatis, sed etiam alii fructus, quos iidem Creditores reverà non perceperunt, Rota censuit coram Me sub die 10. Februarii 1721. præferendos esse D. Principi Burghesio super pretio Palatii Sabelli eosdem PP. Carmelitas etiam pro rata dictorum fructuum à Creditoribus Domus Sabellæ non perceptorum, ut latiùs constat ex decisione sub dicta die per Me edita; sed cum hodie reproposita causa dubitaverim, an sit standum, vel recedendum à Decisis, Domini ex facto meliùs elucidato comperientes prædictum suppositum non subsistere, responderunt *pro recessu à decisis.*

Jam enim ex resolutis in hac eadem Audientia super altero contemporaneo dubio inter eosdem Patres Carmelitas, & universum cætum Creditorum Domus Sabellæ in Romana locorum montium coram Me pro constanti habendum erat, quod eisdem Patribus nullatenus restituendi veniant fructus illi, qui à dictis Creditoribus Domus Sabellæ percepti non fuerunt ex rationibus latè
1 deductis in Decisione desuper edita. Hoc autem posito, de plano consequebatur, quod pro rata dictorum fructuum non perceptorum memorati Patres Carmelitæ nullam obtinere poterant prælationem super pretio Palatii Sabelli, cum in hac parte deficiat creditum, sine quo explorati juris est prælationem concedi non posse, *Salgad in Labyrint. Creditor p. 2. cap. 28. n. 11., & seqq., Rot. cor. Emer. dec. 668. n. 3. & seqq.*
2 Ecclusis verò Patribus, nulla alia supererat difficultas, quin præferendus esset D. Princeps Burghesius, dum ipse est sine dubio anterior cæteris aliis Creditoribus Domus Sabellæ, & ideo etiam in jure potior censeri debet *vulgata leg Generaliter, & l. Potior ff. qui potior. in pign. hab. cum aliis in Romana concursus, seu pretii Domus 14. Junii 1720. §. Competit coram Me.*

Et ita utraque Parte informante, & Dominis una mecum suffragium ferentibus responsum fuit.

ANCONITANA SOCIETATIS.

Ven. 30. Januarii 1722.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria pręsens decisio alterius emanatæ sub die 17. Martii 1721.

Per mortem unius ex consociis, societas ipso jure remanet dissoluta, neque dici potest in hærede continuata, ex quo capitale ad defunctum spectans non fuisset restitutum, quando socius superstes dissolutionem correspondalibus notificasset, proprioque tantum signo usus esset, & quoad defunctum societas appareret continuata tantum *per modo di stralcio* ad effectum exigendi nominum debitorum, quod aptum non est in hærede ad novam societatem inducendam.

SUMMARIUM.

1 *Societas per mortem unius ex consociis expirata dicitur de jure.*

2 *Societas dissoluta per mortem unius ex consociis, si prætendatur continuata etiam post obitum, probandum est, ob juris resistentiam.*

3 *Societas censetur dissoluta, si sequuto obitu unius ex consociis, superstes socius Corresponsalibus notificasset, ut imposterum negocium suo tantum nomine fuisset protracturum.*

4 *Amplia, si hæres defuncti has easdem litteras in suo libro particulari* di copia lettere *transcripsisset.*

5 *Subamplia, si sequuto obitu consocii, superstes diversis libris usus esset, diversaque methodo negocium regulare cæpisset,* & vide quomodo.

6 *Item, si fuissent designatę summæ pro solutione negociorum jam dissolutæ societatis, & novæ pecuniæ sub nomine novę rationis essent inscriptæ & corresponsalibus totum id fuisset notificatum.*

7 *Item, si hæredes defuncti socii creditum quoddam ad dissolutam societatem pertinens, non sub sociali nomine, sed eorum particulari à debitore independenter à superstite consocio exegissent.*

8 *Item, si prædictis faveret testatoris præceptum de absolvenda societate post sui obitum, & subinde ejus portione investienda sub fideicommisso cum prohibitione eam alienandi*, & n. seqq

9 *Hæres contra præceptum defuncti non potest in societate continuare*; amplia, ut num. sequenti.

11 *Correctio instantanea in testatore non est præsumibilis.*

12 *Societas dissoluta per obitum consocii non præsumitur continuata ob non factum bilancium, & ob retentum capitale ad hæreditatem illius pertinens*, & quare, vide in num. seqq., & 14.

13 *Consensus novus ex actibus nagativis non inducitur.*

15 *Prælatio competit creditoribus rationis cessatæ adversus Creditores novæ rationis continuatæ.*

16 *Societas per mortem socii dissoluta non dicitur continuata, ex quo socius superstes cum istius hæredibus eodem signo, & nomine usus esset, quando talis usus restrictive tantum se habuisset ad absolvenda negocia veteris societatis* per modo di stralcio.

17 *Amplia quando quoad negocia incepta post illius obitum, socius superstes suo tantum nomine, & particulari signo usus esset.*

18 *Testes pro se Juris assistentiam habentes, cęteris eam non habentibus præferuntur.*

DECISIO MCCLXXXIV.

Repropositâ hodie causa super resolutis coram Me sub die 17. Martii Superioris anni, DD. permanentes *in decisis*, iterum responderunt non constare de societate, dum
1 illa inita per apocam privatam anno 1689. inter Franciscum, & Diodonum Fratres de Bosdariis per obitum Francisci sequutum anno 1700 jamdiu expiraverat, tum ex Juris dispositione, de qua in §. *Solvitur instit. de Societ. & in l. Societatem* 4. §. *dissociamur, & l. action.* 66. §. *More ff. pro socio*, tum quoque ex speciali voluntate ejusdem Francisci, qui in ejus Testamento expresse voluit, ac demandavit, ut societas contracta cum Fratre dissoluta remaneret, ut ponderat decisio causæ sub d. die coram Me edita in § *Fundamentum*.

2 Et quamvis his non obstantibus contingere potuerit, quod inter memoratum Diodonum, ac hæredes Francisci prædefuncti continuata, vel renovata fuisset eadem societas; hoc tamen ab iisdem hæredibus pręciare, & concludenter probandum erat propter resistentiam non minus legis, quam voluntatis paternæ, ut adverti in *Mantic. de tacit. lib.* 6. *tit.* 24. *n.* 1. *& seq.*, *Rota in Baren. Societatis* 4. *Maii* 1701 §. *Ratio coram bo. mem. Kaunitz*, & 2. *Martii* 1714. §. *restitutio coram Emo Scotto*.

3 Ejusmodi autem probatio non solum in præsenti deficiebat, quin immo potius ex pluribus urgentissimis conjecturis evincebatur ab hæredibus Diodoni dictę antiquæ societatis dissolutio; in primis enim, statim ac Franciscus ab humanis ereptus fuit, Diodonus consocius eius corresponsales, cum quibus negocium proprio nomine continuare intendebat, certiores fecit, quod per obitum Francisci præcedens societas dissoluta remanebat, quod ue impoſterum negocium suo tantum nomine inscriptum fuisset, ut constat ex pluribus epistolis notificatoriis, quibus dubium non est, quin inducta fuerit explicita disdicta antecedentis Societatis *l. Papil.* 11. §. *de quo palam ff. de instit. act on. Rot. in rec. dec.* 151. *nn.* 12. *&*
4 *seqq par.* 10, dum præsertim alter ex hæredibus Francisci hasce easdem litteras transcripsit in particulari libro, vulgo nuncupato *Copia lettere*, ut bene advertit præcedens decisio §. *Quantum vero attinet*.

5 Præterea quousque duravit antiqua societas, nempè usque ad obitum Francisci libri negociationis fuerunt in legali forma, & juxtà ordinem scripturæ dupplicis more mercantili retenti ad numerum quatuor, nimirum ut vulgo dicitur *Squarcia foglio Giornaletto, Giornale, e libro Mastro*; sequuto vero obitu Francisci, Diodonus alter socius adinvento quodam libercULO, in quo Franciscus ipse adhuc vivens nomina debitorum, ac creditorum per modum restrictus in primis paginis compilaverat, in hoc

hoc libercule pro sua tantum memoria negocia propria exaravit, eoque terminato, consimilem novum librum, & sic tertium, ac deinceps usque ad obitum adhibuit, & scripturam suæ negociationis retiouit, quæ sanè diversa methodus, sicuti ad aliam causam referri nequit, nisi ad institutionem novæ rationis, in qua cessante aliorum interesse, & participatione minus erant necessarii libri legaliter, & mercantili more conscripti, ità pariter supponit, ac præsefert abolitionem præcedentis societatis, ut post *Bartol. in l. si Patruus un. 5. Cod. commun. utriusque judic. advertit coram Ottbobono dec. 40. n. 5. & in rec. dec. 68. n. 7. par. 8. & dec. 56. n. 1. par. 14.*

6 Certius vero, quia cum æpistolæ pertinentes ad negocium sociale transcriptæ de more fuissent in quodam libro vulgo *Copia lettere*, & inter istas adesset præcæteris una scripta sub die 11. Septembris 1700. Jacobo Montiono, in qua illi enunciabatur transmissio sc. 1548., quia tamen ex dicta summa rata sc. 10245. inservire debebat pro solidatione negociorum jam dissolutæ societatis, & reliqua sc. 5253. adnotanda erant ad dispositionem, & creditum novæ rationis ipsius Diodoni; non solum in dicta epistola fuit facta discretio, & expressa separatio dictæ utriusque ratæ, sed etiam pro d. rata sc. 5253. ad novam rationem pertinente, fuit à Diodono sub proprio ejus nomine eadem die conscripta alia epistola, eaque adnotata in alio libro pariter *Copia lettere*, in quo, ut plurimum, transcriptæ fuerunt æpistolæ ad proprium, & particulare ipsius Diodoni negocium pertinentes, ut proinde, his stantibus, vix in dubium venire possit præcedentis societatis terminatio; ad ea, quę tradunt *Mantic. de tacit. lib. 9. tit. 23. num. 29., Felic. de sciet. cap. 35. num. 2. Rot. dec. 228. n. 2. coram Priol. & dec. 233. n. 6. par 15. rec.*

7 His accedit factum positiuum hæredum Francisci, qui anno 1702. creditum quoddam ad dissolutam societatem pertinens, non jam sociali nomine, aut per medium Diodoni Patrui, sed ipsimet proprio, ac particulari nomine à Debitore exegerunt, eumque solemni llipulatione per publicum instrumentum quietarunt, quod sine facere nequivissent, si precedens societas post Patris obitum, vel renovata, vel continuata remansisset, ut benè in simili notavit *Dec. cons. 21. num. 6., Rot. coram Priol. dec. 228. num. 17.*

8 Et hæc omnia fortius stringunt maturè, ut par est, animadvertendo, quod stante precepto Francisci de terminanda societate, & subindè investiendo ejus portionem in tot stabilibus cum stricta prohibitione alienandi, ac successivo fideicommisso favore Filiorum ejus hæredum, liberum non erat, neque Diodono Fratri executori Testamentario, neque ejusdem Francisci hæredibus, 9 inter quos prę cæteris erat unus tunc temporis ętate minor precedentem societatem continuare, aut de novo confirmare, ut bene notavit *Rot. in decis. quæ revidetur §. Sicut autem.*

10 Nec io contrarium facit, quod Franciscus in ejus Testamento amplissimam dedrit Diodono Fratri facultatem administrandi effectus sociales, eosque subinde investiendi eo modo, & forma, quo ipsi magis proficuum fuisset futurum fore hæredibus ejusdem Francisci, quia non ideo dicta facultas extendi poterat etiam ad effectum continuandi in eadem societate, super qua idem Franciscus particulariter, & expresse præceperat, ut sequuto ejus obitu statim termina-

11 retur, nè alias inducatur instantanes correctio ejus enixæ voluntatis, *l. non ad ea ff. de condit., & demonstrat. Rot. coram Cer. dec. 136. n. 16., & dec. 793. n. 6., & in rec. dec. 113. n. 10. par. 11.*

Pront etiam neque subsistit, quod memoratus Diodonus ejusdem Fratris præcepto reverà non obtemperaverat, dum neque capitale socialis negocii liquidavit, confecto, ut moris est, necessario Bilancio, nec illud nepotibus restituit, sed immo sub incerta negociationis alea expositum retinuit, neque omnibus correspondentibus dissolutionem societatis notificavit, immò cum pluribus ex istis antiquo sociali signo, & antiqua subscriptione in litteris missivis usus fuit.

Siquidem hęc, & hujus generis alia argumenta, quę pro parte hæredum Francisci cumulabantur, comperta fuerunt, vel minus relevantia in jure, vel ęquivoca in fa-

12 cto, & quidem irrelevans visum fuit argumentum deductum ob non factum bilancium & differentiae capitalis, ejusdem enim omis-

13 sio, tamquam actus simpliciter negatiuus, apta non erat inducere nouum consensum omninò necessarium post dissolutam societatem pro illius revocatione, ut per *Text. in l. socium ff. pro socia apposite firmant. Menoch. cons. 1at. n. 83. Felic. de societ. cap. ultimo n. 13. Gab. consult. 33. num. 18.*

14 dum præsertim retentio ista capitalis optimè referri poterat ad titulum executoris Testamentarii in Diodono residentem, & de cętero Diodonus ipse tot bona stabilia jam tunc possidebat, & tot alia subindè acquisivit, ut nullum adesset periculum, cui subjaceret portio capitalis nepotibus restitu-

15 enda, itaut quatenus etiam nova ratio ab eo inita in præceps ivisset, adhuc nihilominus heredes Francisci tuti fuissent pro consequtione eorum crediti super cæteris bonis stabilibus a Patruo posseßis, super quibus sine dubio fuissent præferendi cæteris omnibus creditoribus novę rationis, ex deductis per *Rot. in Romana assenti statur 6. Martii 1719. §. Transeundo coram R. P. D. mea Cerro.*

Æquivocum verò in facto videbatur aliud argumentum desumptum ex non facta notificatione dissolutę societatis omnibus correspondentibus, & continuatione usus antiqui signi,

signi, & subscriptionis societatis, quod enim attinet ad notificationem, constabat in facto illam sequutam fuisse respectu illorum correspondentium, cum quibus Diodonus negocium proprio nomine continuare intende-
16 bat, cum aliis verò neque opus, neque utile erat, ut terminatæ societatis admonerentur; quia cum istis aliud peragi non debebat, nec peragere voluit Diodonus, quam negocia jam cœpta, & ad antiquam societatem pertinentia terminare, ut dicitur *per Hralcio*, quemadmodum Franciscus prædefunctus præceperat, & consequenter cum illis utendum quoque erat eodem signo, & subscriptione sociali, & de facto tàm epistolæ, quam alia documenta ad hunc effectum exhibita pro parte heredum Francisci omnia percutiebant negocia jam cœpta, durante societate, & non excedebant annos 1700., & 1701. quod erat tempus restringendis, seù ut vulgò dicitur *Hralciandis* effectibus
17 socialibus destinatum, abinde verò citrà, & ubicumque actum non fuit de terminandis negociis jam cœptis, sed aliis de novo instruendis, non amplius Diodonus sociali signo, aut subscriptione, sed particulari, ac proprio sub nomine ipsius tantum usus fuit, itaut ex hoc discretivo agendi modo, validum potiùs consurgat argumentum pro exclusione continuatæ, aut renovatæ societatis, ad tradita per *Rot. dec.* 469. *num.* 10. *par.* 9., *& dec.* 25. *num.*7. *par.*12., *& dec.*601. *n.*32. *par.* 19 *recen.*

18 Super testibus pro continuatione societatis adductis ab heredibus Francisci, nihil DD. immorandum censuerunt, tùm quia conciliari possunt, ut nimirùm intelligantur durante tempore Hralci, tum quia pugnant cum aliis adductis pro parte heredum Diodoni, qui tanquam habentes assistentiam Juris, ac etiam præcepti Francisci prædefuncti super dissolutione, ac terminatione societatis, sunt proculdubio præferendi, *Rot. coram Bich. dec.* 48. *nu.* 13., *& dec.* 621 *nu.* 29., *& coram Emerix jun. dec.* 741. *nu.*5. *in fine*, *& sæpe alibi.*

Et ita omnibus DD. una mecum suffragantibus responsum fuit utraque Parte informante.

bona sui favore habuisset hypothecata, neque tenetur de existentia bonorum liberorum eo tunc edocere.

SUMMARIUM

1 *Factum proprii Auctoris nemo potest contendere.*
2 *Hæres non potest revocare rem alienatam à suo fideicommissario auctore, quando consequutus est de illius hæreditate portionem æquivalentem*; Limita ut in num. 8., talisque receptio quomodo probetur, vide in num. 7.
3 *Inventarium hæredem præservat à damno, quatenus vires hæreditariæ non sufficiant, non autem illum liberat, ubi adsunt bona hæreditaria.*
4 *Hæres beneficiatus, quousque suppetunt vires hæreditariæ ad ipsum pervenientes, factum, & obligationem sui auctoris servare tenetur.*
5 *Heres non potest revocare bona fideicommissaria à gravato distracta, quoties de illis rationem non reddat*, & quare?
6 *Hæres dicens* se nihil habuisse de bonis hereditariis, *intelligitur se loquutum fuisse de bonis fideicommissariis, & non de liberis, quando præsertim bona fideicommissaria ad hæredes fideicommissarios devenisse allegaret.*
9 *Relevatio non competit emptori pro evictione passa super re empta, qui habuit scientiam de non libertate istius.*
10 *Alienatio bonorum fideicommissariorum facta pro debitis fideicommittentis substinetur*, & num. 11.
11 *Retentio bonorum fideicommissariorum competit allegantis cessionem jurium relatam à creditoribus ipsius fideicommittentis.*
12 *Agens pro vindicatione rei fideicommissariæ de manibus tertii retinentis uti creditoris ipsius fideicommittentis, tenetur ipse probare tunc temporis extitisse bona libera, de quibus satisfieri potuisset, non vero allegans retentionem.*
13 *Amplia, quando agitur contra tertios possessores indistinctè actionem habentes super omnibus bonis ipsius fideicommittentis.*

NEPESINA DONATIONIS.

Ven. 30. *Januarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Est revocatoria alterius contumacialis decisionis sub die 14. Martii 1721. emanatæ.

Heres fideicommissarius ad vindicandam rem de fideicommisso distractam, istius jura allegare prohibetur, quando alias in istius locum æquivalentem recepit à gravato compensationem, sicuti adversus retinentem ex juribus Creditorum ipsius fideicommittentis, qui quando indistincte omnia illius

DECISIO MCCLXXXV.

Obtenta per Fratres de Brunettis nova Audientia adversus resolutionem, ipsis non informantibus coram Me editam *sub die* 14. *Martii elapsi anni*, in quâ PP. Carmelitis Civitatis Interannæ, aliisque litis Consortibus concessa fuerat Immissio vigore fideicommissi Flaminii Cathalani, ad quamdam vineam per dd. de Brunettis possessam, propositum hodiè fuit consuetum dubium -- *An sit standum, vel recedendum à decisis* -- Cumque examinatis Juribus hinc indè deductis, fundamenta contumacialis decisionis comperta fuerint insubsisten.

stentia, Domini pro *recessu à decisis* responderunt.

Licèt enim in hodierna Causę disceptatione non fuerit dubitatum de existentia fideicommissi particularitèr constituti super vinea, de qua agitur in donatione per Flaminium Cathalanum de anno 1580 facta Sylvię ejus filię, nec non filiis ab ea nascituris, intuitu Matrimonii, per illam contracti cum Honorio de Rubeis, proin etiam de purificatione ejusdem fideicommissi favore Claudiæ de Rubeis, filiæ ejusdem Sylvię, à qua causam habent dicti PP. Carmelitæ, aliique Litis Consortes, ut canonizatum fuerat in nostro Tribunali, occasione similis Immissionis petitę super Tenuta *Ripoli*, eidem fideicommisso, ac donationi subiecta, *juxtà decisiones editas in Nepesina Donationis 4. Maii 1711., & 11. Mart. 1713. coram Me, & 22. Junii 1714. coram Rmo Crispo*.

Cum tamen actio promota fierit ad vineā, quæ ab anno 1618. per ipsam Sylviam de Rubeis donatariam perpetuo, ac libere venditio fuit Auctoribus dd. Fratrum de Brunettis, & PP. Carmelitæ, alii que agant ex persona, & Juribus Claudię filiæ, & hæredis d. Sylviæ alienantis, ipsi Actores omni Jure statim remanent destituti pro vindicanda

1 vinea alienata, quia sicuti eadem Sylvia non posset in vim donationis venditionem, ut supra factam, titulo donationis, ac fideicommissi retractare, ita non possunt, impugnando factum defunctæ Auctricis, sub eodem fideicommissi titulo venditionem infringere, ac revocare dicta Claudia hæres, sive ab ea causam habentes, ad tradita per *Honded. cons. 3. num 51., Menoch. cons. 89. num. 60., & seq. Rota in Foroliovien. Vallis Oppii 12. Junii 1712. §. Quibus coram Me*, quia à petita Immissione repelluntur exceptione *Text. in l. cum à Matre Cod. de rei vindicat., & l. vindicantem ff. de evict., Surd. cons. 73. num. 34. Rot. cor. Cavaler. dec. 430. num. 5. & in Romana prætensæ Immissionis 19. Aprilis 1717. §. Imo verò coram R.P.D. Rovavult. de Gamaches*.

Absque eo quod qualitas hæreditaria Claudiæ erga Sylviam evitari potuerit ex eo, quod illa usque de anno 1652., prius cor. A.C., & postea in nostro Auditorio fuerit admissa ad beneficium restitutionis in integrum adversùs aditam absque legitimo Inventario hæreditatem, *juxta decis. 386. & 485. coram Cerro*, in hac enim exceptione, in qua totum Causæ momentum

2 constituebatur, Fratribus de Brunettis bonum Jus undequaque assistere visum fuit, quia Claudia, quæ per d. restitutionem in integrum habilitata remansit ad confectionem legitimi Inventarii, liberata dici non quit à redditione rationis bonorum hęreditariorum Sylvię Matris, quæ ante, vel post ipsi obvenerunt, ideoque cum ipsa Claudia ex hęreditate, ac Patrimonio Materno consequta fuerit portionem æquivalentem alienationi, ac venditioni factæ per ejus Auctricem, absque dubio eximi non potest ab exceptione evictionis præstandæ, eique, vel ejus Successoribus liberum amplius non est vineam alienatam à tertiis Possessoribus vindicare, ut optimè probant *Gratian. discept. 511. num. 31. & seq. & discept. 766. nu. 33. Peregrin. de fideic. art. 33. n. 13. Adden. ad Gregor. dec. 418. sub num. 15. Rot. cor. Ottob. dec. 105. num. 16. & seq.*

3 Et quidem optima ratione; cum enim Inventarium hęredem tantùm præservet à damno, quatenus vires hęreditariæ non sufficiant, non autem illum liberet, ubi adsunt bona hęreditaria, ex firmatis per *Rot. cor. Cerr. dec. 586. num. 3. cor. Otthob. d. dec.*

4 *105. n. 17. & seq.*, Hinc hæres beneficiatus, quousque suppetunt vires hæreditariæ ad ipsum pervenitæ, factum, & obligationem

5 sui Auctoris tenetur observare, nec bona fideicommissaria à defuncto alienata ullo pacto vindicare valet, sed ab illorum consequutione indistinctè repellitur exceptione *d. L. vindicantem, Gabriel. cons. 125. sub num. 11. & seq. lib. 1. Gratian. discept. 511. num. 27. & seq. Fusar. de substit. quest. 557. n. 13 Card. de Luc. de credit. disc. 37. num. 7. & seq. Rota cor. Cavaler. dec. 430. nu. 6. cor. Cerr. dec. 586 num. 2.*, ex quo donec fuerit reddita ratio, bona per ipsum hęredem retenta, semper præsumuntur æquivalentia, ut benè notant *Cravett. cons. 125. num. 12. vers. sed hoc probatum non fuit. Natt. cons. 214. n 4. Gratian. discept. 766. num. 23. Andreol. contr. 120. nu. 20. Rot. cor. Dunozzett. Jun. dec. 998. n. 4. & 9. cor. Bich. dec. 37. n. 10. & 11.*

6 Et hinc frustra inpugnatum fuit, d. Claudiam de Bonis hæreditariis Sylviæ Matris, consequtam fuisse portionem correspondentem valori vineæ alienatæ pro sc. 1040., ex eo, quod in dicto antiquo Judicio per ipsam Claudiam intentato, occasione concessæ restitutionis in integrum *coram Cerro in d. dec. 586.*, dictum fuerit, præfatam Mulierem nihil habuisse de bonis hæreditariis, sed illa occupata fuisse à Georgio, & aliis de Rosciis, ultra quod enim talis enunciativa, intelligi potuit de bonis fideicommissariis, ad quę Roscii erant vocati, non autem de bonis hæreditariis Sylvæ, consisten. in credito dotali pro quo, ut innuit posterior *decis. 485. num. 15. cor. eodem Cerro*, nonnulla bona viri, per ipsam Sylviam retinebantur, in parte etiam successive alienata per Claudiam filiam: Super hoc puncto cessare visa fuit quælibet controversia, quia ultra defectum redditionis rationis ex documentis datis in *Sum. Fratrum de Brunet-*

7 *tis* constitit, Claudiam pro credito dotali Matris, tamquam illius hæredem obtinuisse fideicommissi ascendentalis condemnationem in sc. 2000. ut ex *dec. 33. par. 10. rec.*, & successivè in sequelam mandari, sivè exequatur Rotalis, consumatā fuisse exequutionem

nem super Palatio fideicommissario, sito in Civitate Interamnæ, quod postea eadem Claudia de anno 1648. vendit bon. mem. R.P.D. de Ferentillis, pro pretio sc. 2000., & propterea ex hoc facto sublata remanet deficientia æquivalentis portionis in insulbus ejusdem Claudiæ, & ita ejusdem Successores, sub hoc motivo, evictionis præstandæ exceptionem certè nequeunt evitare, ut præter allegatos optimè firmavit *Rot. coram Emerix Jun. dec. 216. & 277. utrobique n. 3. & 4. & in Bononien. Immissionis 14. Martii 1721. §. Primo, & 5. Decembris ejusdem anni §. Primo & §. Sic vero, cor. R.P.D. meo Foscaro.*

Nec relevat, quod in alio Judicio, Intentato pro vindicatione Tenutæ *Ripoli* eidem donationi, ac fideicommisso Flaminii Cathalani ob noxiæ, non obstante qualitate hæreditariæ Claudiæ erga Sylviam Matrem, quæ simili modo d. Tenutam alienaverat, concessa fuerit in nostro Tribunali usque ad rem judicatam Immissio ejusdem Actoribus, uti Causam habentibus ab eadem Claudia, *ut ex recensitis decisionibus, editis diebus 4. Maii 1711. & 11. Martii 1713. coram Me & 12. Junii 1714. coram Reverendiss. Crispo.*

Ultra quod enim Brunetti, adversus dd. decisiones, ac Judicata, *ex integro* Causam delegari obtinuerint à Signatura Justitiæ.
8 Dispar sanè ratio militare visa fuit, inter contractum venditionis *dictæ Tenutæ*, & illum alienationis *Vineæ*, de qua agitur, tùm quia Tenuta *Ripoli* alienata per Sylviam gravatam restituere, erat valoris sc. 8480. pro quibus d. Claudia consequuta non fuerat tantumdem in bonis hæreditariis Matris, undè ob deficientiam æquivalentis portionis, impediri non poterat, quin Jura sua pro illius recuperatione experiretur, *ut*
9 *probant auctoritates superius allegatæ*, tum quia venditio Tenutæ non fuerat facta perpetuò, & irrevocabiliter, sed cum expressione, quod ad ipsam pertinebat, durante sua vita tantum; undè in his terminis dubitari non potuit, quod contractus alienationis ejusdem Tenutæ, sequuto jam obitu Sylviæ, remanserit resolutus, quodque in præjudicium fideicommissi, & Claudiæ ad illud vocatæ, nullo pacto potuerit allegari, pro obtinenda relevatione, ad *Text. in l. si fundum sciens Cod. de evict., Mangill. de evict. quæst. 151. num. 15. & seqq. Rot. in recent. decis. 377. num. 15. par. 13. decis. 214. num. 32. part. 17., in Romana Locorum Montium 30. Januarii 1702. §. Et semper coram Me, & in Bononien. Associationis 14. Ianuarii 1716. §. Non officiente, coram R.P.D. Falconerio Almæ Urbis Gubernatore*, & ponderatum fuit in dicta *decisione 4. Maii 1711. §. Secundo quia cor. Me.*

10 Pari modo neque applicabantur alia fundamenta deducta *in dd. decisionibus*, contra Possessores *d. Tenutæ*, undè licet firma eo magis undique maneat exceptio præstandæ evictionis, nihilominus Successores Claudiæ insuper reijciendos esse Domini censuerunt ab Immissione petita super controversa Vinea, quia compertum extitit in facto, quod pretium ejusdem Vineæ alienatæ pro rata sc. 200. erogatum fuit per Sylviam in extinctionem Census per d. Flaminium Cathalanum ad rationem sc. 8. pro quolibet centenario procedenter impositi favore Auctorum eorumdem de Brunettis: ideoque, sicuti pro tali debito fideicommittentis, dubitandum non est de valida Vineæ distractione facta per Sylviam heredem gravatam, juxtà *Text. in l. Filius familias 118. §. Divi, il 2. ff. de legat. 1., l. Peto 71. §. Prædium ff. de legat. 2., Card. de Luc. de alienat. disc. 75. num. 3. cum duobus seqq., Rota coram Emerix Iun. decis. 1274. num. 5.*, ità super
11 eadem Vinea, ob hanc peculiarem causam alienatam, Brunetti possessores nequeunt molestari, ipsisque pro d. rata competit retentio, *Rota coram Buratt. decis. 920. num. 3., & 5., in Narnien., seu Sabinen. Bonorum 12. Ianuarii 1718. §. Sive enim, coram bon. mem. Ansaldo, & in Ferrarien. Fidicommissi de Giliolis 7. Martii 1718, §. Ratio autem, & 27. Martii 1719. §. Porrò, cor. Me.*

12 Non refragante, quod cum Vinea fuerit in dicta Donatione subjecta Fideicommisso particulari, approbari nequeat ejus alienatio, non docto, quod defecerint alia bona Fideicommittentis. Cum enim agatur de alienatione jam facta pro debito ipsius Fideicommittentis Actoribus, incumbit onus probandi, extitisse alia bona libera, *Card. de Luc. de fideicomm. disc. 166. num. 10. & 11. Rot. coram Buratt. d'ita decis. 920. sub*
13 *num. 6.*, imò cum agatur contra tertios Possessores Causam habentes à Creditore, qui actionem indistinctè habebat pro sui Crediti satisfactione, super omnibus bonis fideicommittentis, talis exceptio non est allegabilis, ad tradita per *Rot. in d. Ferrarien. fideicommissi de Giliolis 7. Martii 1718. §. Prout etiam cor. Me.*

Et ita utraque &c.

BALNEOREGIEN. REDDITIONIS RATIONIS.

Mercurii 4. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

De rigida rationis redditione suum quærere Tutorem pupillo non licet, sed de bono, & æquo, non per hoc enim, quod ille Tutelarem librum non detinuerit, per æquipolens ad rationem reddendam non est admittendus, eo præsertim casu, quo pupilli creditor sit repertus.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Redditio rationis non rigide, sed de bono, & aequo adversus Tutorem debet peti à pupillo, cessante dolo, & fraude in illo*, & in num. 6.

2 *Tutor levioribus probationibus ad redditionem rationis admittitur.*

3 *Tutor repertus creditor in administratione gesta de bonis pupilli, bonam gessisse administrationem dicendus est.*

4 *Tutor quandoque secundum circumstantias admittendas est ad redditionem rationis absque etiam exhibitione libri tutelaris, quando juravit se illum non habere, neque dolo habere desiisse*, & num. seq. amplia ut in num. 6.

5 *Redditio rationis quandoque etiam sine librorum exhibitione facta admittitur.*

7 *Decisiones allegandae non sunt in ea causa, in qua ab illis per posteriores resolutiones fuit recessum.*

8 *Divisio approbata per plures serios actus amplius ab approbante controverti non potest.*

9 *Fructus ex animalibus percepti liquidantur juxta regulas Tribunalis Agriculturae, rejectis testibus pendente lite expiscatis.*

10 *Tutor non potest constitui debitor fructuũ de re administrata, quae pro fructifera numquam fuisset recognita.*

11 *Probationes, quae forsan Tutori non admitterentur adversus pupillum contraria actione tutelae ad effectum repetendi impensum pro illo, illi admittendae sunt, ne pupillus actione directa tutorem valeat pulsare pro redditione rationis, in quo Iudicis intrare debet arbitrium*, & num. 12. & 13.

12 *Tutor, qui omnia sua bona ante susceptionem tutelae pupillo suo consanguineo donavit, ejus bona fideliter administrasse praesumitur.*

13 *Amplia, quando, tum beneficiis Ecclesiasticis, cum patrimonialibus bonis congrue esset provisus.*

14 *Subamplia, quando unus ex nepotibus à lite contra tutorem super redditione rationis recessisset ex capite integritatis ejusdem tutoris.*

15 *Tutor, quod fideliter se gesserit, probatur ex confessione emissa ab uno ex pupillis de minoritate excesso in concordia cum eo inita.*

16 *Amplia, etiam si concordia ob non servatas solemnitates respectu alterius adhuc minoris effectum non habuisset, cum in linea confessionis desumpta, bene probaret.*

DECISIO MCCLXXXVI.

POST editam decisionem coram bon. mem. Ansaldo sub die 21. Aprilis 1719., in qua rescriptum fuerat constare de sufficienti redditione rationis, non esse locum juramento in litem, & relaxandum esse mandatum favore Nicolai pro summa scut. 2126. Causa bis per Me repropositâ, tamquam d. bo. me. Ansaldo suffectum nulla capta fuit resolutio, sed prima vice fuit injunctum, quod revideretur Peritia, & in secunda rescriptum *Pro concordia* - Verum quia tractatus desuper assumptus ex magna Partium dissentione optatum finem sortiri non valuit, tertia vice hodie causam reproposui, ac tandem responsum fuit -- *In decisis quoad redditionem rationis, & quoad mandatum iterum proponatur.*

1 Quod enim attinet ad redditionem rationis praemisso in facto, quod ea per Dominicum in praesenti petebatur à Nicolao Patruo ad unicum & solum effectum reguiandi concordiam super ea necessario ineundam ex praecepto Bonaventurae alterius Patrui, qui sub hac expressa lege memoratum Dominicum haeredem instituit, ut habetur ex judiciali protestatione, cujus meminit Peritus in prima relatione sub §. 7 Hoc inquam praemisso, DD. ponderabant non esse à Nicolao exigendam redditionem rationis, juxta rigorem à Jure praescriptum contra Tutores, sed procedendum esse ex bono, &

2 aequo, itaut cessante fraude, vel dolo leviores etiam probationes circa dati, & accepti partitas admitti debeant juxta bonum Text. in l. *si servus vetitus ff. de legat.* 1., & tradita per *Munoz. de ration. cap. 5. num. 5. Urceol. de transact. qu. 56. num. 67. ubi concordan.*

3 Procedendo autem cum hac methodo cum Peritus judicialiter electus dispunctis hinc inde rationibus, dati, & accepti nedum non invenerit Nicolaum in aliquo Nepotum Debitorem ex causa d. Tutelae, sed ex opposito illum in prima relatione creditorem constituerit in summa sc. 2141. & in secunda ejus creditum adauxerit ad summam usque sc. 10. mil, facilè DD. convenerunt in sensu, quod esset benè reddita ratio, dum potius laudari, quam redargui digna erat administratio, in qua Tutor de proprio in rem Pupilli impendisse comperiebatur, ex deductis per *Rot. dec. 5. num. 10. coram Ottobon. & dec. 128. nu. 4. par. 10. & dec. 591. num. 1. par. 19. recen., & in Romana redditionis rationis 4. Decembris 1708. §. Neque coram bo. me. Ansaldo.*

4 Nec jure in hac parte conquerebatur Dominicus, quod non exhibitis à Nicolao Patruo, neque Inventario, neque codicibus Tutelaribus, Peritus nihilominus illum admiserit ad redditionem rationis, & inherendo Instrumẽto cujusdem divisionis, quod simulatè, & fictitie celebratum fuisse contendebat anno 1664. inter tres fratres de Arcangelis Patrimonium tutelare in minori quantitate constituerit, & insuper fructus annuos bonorum, & precipuè gregium, & armentorum, non juxta depositiones Testium quos ipse induxerat, sed in longè minori summa calculaverit.

Quem-

Quamvis enim ex hujsuodi circumltan-
riis, & præsertim ex defectu iibrorum,
& Inventaril tutelaris, quidam ex DD. re-
tracti ituerint à reiaxando contra Domi-
nicum mandato pro restitutinne summæ, in
qua iiquidatum fuerat à Perito creditum Ni-
eolai, & exindè evenerit, ut respectu dicti
mandati prodierit de more rescriptum --
Iterum proponatur -- Pro eo tamen quod at-
tinet ad liberandum eumdem Nicnlaum ab
ulteriori redditione rationis, cum ipse me-
dio juramento affirmaverit, se Inventarium,
& libros ruteiares nnn habere nec dolo ha-
bere desiisse, DD. sine ulla difficultate eorum
loco admitti posse censuerunt d. divisionem
5 anni 1664, cum novum in foro non sit, quod
etiã sine iibris ratio quandoque reddi possit,
ut aliasdixit *Rot. in dec. 534. n. 9. par. 12. & in
d. Romana redditionis rationis §. Agnoscre-
bat coram bo me. Ansaldo*: quando præser-
9 tim hujusmodi Judicium, non juxta rigorem
Juris, sed mitius, & ut supra præmissum fuit
ex bono, & æquo est agendum, ad ea, quæ in
proposito tradit *Munoz de Ratiocin. cap. 25.
numero 6. Rota in Faventina redditio-
nis rationis super reservatis 22. Junii 1705.
§. Non enim cor. Em̃o Scotto*.
7 Certiis autem, quia, & si dicta divisio per
duas vices in nostro Tribunali deciarata fue-
rit fictitia, & simulata in *Balneoregien. Pe-
cuniaria 15 Aprilis 1712. cor. Rm̃o Crispo,
& 13. Januarii 1713. coram Rm̃o Aldro-
vando*, in progressu tamen causæ. cum Rota
de hac veritate dubitasset, sub die 9. Junii
ejusdem anni coram R. P. D. meo Cerro re-
scripsit -- *Pro concordia* -- & in hujus stipu-
latione nedùm Dominicus amplius non im-
pugnavit memoratum divisionis Instrumen-
rum, sed imo ex opposito ad illius formam
obtinuit, tum portionem deventam Francis-
eo Patri, tum proprietatem alterius spectan-
tis ad Bonaventuram Patruum, coegitque
Nicolaum refundere certam quantitatem ad
æquandas portiones in d. divisione stabili-
tam, ac denique sibi cautum esse voluit cir-
ca debita, quæ imposterum detegi possent
ante dictam divisionem contracta, ut proin-
de in his circumstanriis nedùm amplius alle-
gari nequeant dictæ resolutiones coram Re-
verendissimis Crispo, & Aldrovando, dum
posteriori rescripto suspensæ fuerunt, *Rota
dec. 367. num. 29. & seq. par. 17. rec.* sed ne-
que ultra controverti valet subsistentia, &
8 realitas d. divisionis, postquam eam ipsemet
Dominicus occasione d. concordiæ ratam in
rot actibus habuit *Rot. dec. 294. num. 2. &
13. coram Pamphil. & dec. 66. nu. 7. par. 18.
rec.*
9 Pari modo neque ullus error objici pote-
rat circa liquidationem fructuum ab anima-
libus perceptorum, dum peritus non attentis
Testibus deponentibus de possibili majori
fructu, tamquam pendente lite & post edi-
ram primam relationem inductis, potius
circa eam deferendum esse censuit regulæ
traditæ à Consulibus Agriculturæ Civitatis
Viterbii, quæ est caput Provinciæ, sub qua
Balneoregium positum est, ut de Officia-
libus publicis alias dixit *Rot. dec. 525. nu. 5.
par. 2. & dec. 359. num. 1. par. 3. & decis. 297.
num. 12. par. 19. rec.* Quando immo si adhæ-
10 rere voluisset confessioni ipsius Dominici,
qui exhibendo coram A. C. de anno 1710.
notulam juratam omnium fructuum ab anno
1700. perceptorum ex eisdem bonis priùs
per Nicolaum administratis, nullum omninò
fructum in ea adnotavit ex dd. animalibus
retractum, benè potuisset nihil omninò pro
eis calculare ad debitum Nicolai *L. 1. & to-
to tit. ff. quod quisque Juris & l. cum à Ma-
tre C. de probat*.
His itaque stantibus, cum partitæ exitus à
11 Perito admissæ essent omnes, vel conclu-
denter probatæ, vel saltem valde verisimiles
& circa partitas introitus, licet in quibusdam
deficeret rigorosa probatio propter defe-
ctum dd. librorum, & Inventarii, quia ni-
hilominus ea suppleri aliundè poterat ex
dicta divisione, & aliis documentis quan-
titatem Patrimonii, & annui redditus com-
probantibus, meritò DD interponentes in
hac parte arbitrium illud, quod Judici à le-
ge in materia probationum tribuitur, conve-
nerunt in sensu, quod ejusmodi probationes
à Nicolao adductæ, si non ad effectum con-
demnandi Dominicum contraria actione
Tutelæ, saltèm ad effectum liberandi ipsum
Nicolaum in actione directa, benè admitti
possent, ita ut per consequens nullus esset lo-
cus juramento in litem.
12 Duplici præsertim in id suffragante cir-
cumstantia, altera nimirum, quod idem Ni-
colaus, antequam Tutelæ se immisceret,
universalem, atque amplissimam donatio-
nem omnium suorum bonorum tam præsen-
tium, tam futurorum favore eorumdem
Nepotum exaravit; undè nimia in universi-
mile reddebatur, quod qui per actum d. do-
nationis Patrimonium Nepotum ex propriis
bonis auctum esse voluerat, eodem tempore
eorum substantiam sibi usurpaverit, dum cæ-
13 teroquin pluribus redditibus, tùm Patrimo-
nialibus, tùm Ecclesiasticis abundè provisus,
nulla necessitate cogebatur alienis rebus im-
probè abuti, ut in debilioribus terminis
alias notavit *Rot in Anagnina redditionis
rationis 10. Iunii 1712 §. final. coram bo. m.
Ansaldo*.
14 Altera verò, quod hanc veritatem benè
agnovisse videbantur ipsimet Nepotes, dum
Lazzarus alter ex eis jam diu destiterat ab
hisce molestiis Patruo Amantissimo inferen-
dis; Dominicus verò licet adhuc in lite per-
15 maneret, inficiari tamen nequibat, quin
occasione cujusdam concordiæ anno 1700.
super istamet redditione rationis inter par-
tes inita, expressè confessus fuerit, quod vi-
sis computis administrationis à Patruo exhi-
bitis, iste, nec in obulo quidem debitor re-
manebat; quamobrem, & si dicta concordia
16 ob non servatas solemnitates respectu Laz-
zari tunc minoris adhibendas nulla postmo-
dum

modum declarata fuerit, adhuc tamen respectu Dominici tunc majoris salva, & illesa remanebat efficacia d. confessionis circa factum revisionis computorum, ad tradita per *Rot. in Placentina Immissionis* 26. *Martii* 1716. *sub* §. *Frustra autem coram Reverendissima Crispo*, *& in praecedenti decisione Causae* §. *Neque obstat coram bon. me. Ansaldo*.

Et ita Domini *una mecum suffragatibus* utraque Parte informante resolutum fuit.

PERUSINA LEGATI.

Mercurii 4. *Februarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Hæres adeundo hæreditatem quasi ex contractu favore legatariorum obligatur; sibique etiam in rebus propriis præjudicat, de quibus testator dispofuisset, etiam si beneficio legis, & inventarii gauderet, quando ex testatoris hæreditate æquivalentia bona esset consequutus.

Fideicommissum ex simplici privata apoca post passam rem judicatam deducta, & post jus alteri collitiganti quæsitum ad effectum retardandi legatum non attenditur.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata intrat, quando succumbens intra annum commissionem incapsare neglexit.*

2 *Restitutio in integrum non datur adversus sententiam, quæ non sit læsiva, neque injusta.*

3 *Legatarius, sequuto legantis obitu, ad rem legatam jus statim adipiscitur.*

4 *Immissio sicuti datur hæredi ad bona hæreditaria, ita & legatario ad rem legatam.*

5 *Testator rem propriam hæredis, vel quam communiter cum hærede possidet alteri liberè legare potest, præsertim si hæres hæreditatem adeat.*

6 *Hæres testamentum acceptans tenetur etiam in bonis propriis ad solutionem legati a testatore relicti*, & n.8.

7 *Amplia, etiam si ipse hæres cum beneficia leges, & inventarii hæreditatem adiverit.*

8 *Hæres quasi contrahere dicitur cum legatario etiam in propriis bonis, eo ipso, quod acceptat testamentum cum onere legati intuitu æquivalentis emolumenti sibi ab eodem testatore relicti*, & n 9.

10 *Retentio vigore fideicommissi non datur hæredi ad effugiendam solutionem legati, quando de eo concludenter non docet.*

11 *Fideicommissum ex simplici privata apoca aliunde non verificata non probatur, neque ex hac capite potest ab hærede retardari legatum.*

12 *Amplia, quando talis apoca post passam rem judicatam ab hærede deduceretur, quo casu etiam suspecta esset reputanda.*

13 *Subamplia, etiam si eadem apoca fuisset recognita per testes, quando recognitio facta esset absque partis citatione, & testes illius confectioni præsentes non fuissent*, & n.14.

14 *Archiviatio Scripturæ procurata post latam Sententiam, & rem judicatam, nec non post quæsitum jus collitiganti, ex defectu talis legalitatis nullius remanet efficaciæ.*

15 *Legatum non retardatur ab hærede, qui testamentum acceptavit per exceptionem redditionis rationis faciendæ post passam rem judicatam.*

16 *Immissio super bonis legatis non denegatur legatario per exceptionem retentionis virtute fideicommissi ab hærede propositam, quando illud vel non est clarum, vel altiorem requirit indaginem.*

DECISIO MCCLXXXVII.

PRo consecutione legati prædiorum in vocabulo *colle di mario*, *& il Rio*, quod ultra usumfructum cujusdam domunculæ, & apothecæ Hyacintus de Taffis in ejus ultimo Testamento Claræ Sorori reliquit, eadem Clara coram A. C. sententiam Immissionis obtinuit contra Franciscum alterum Fratrem d. Hyacinti universalem hæredem, adepta etiam in illius sequelam bonorum possessione, adversus quod judicatum, quamvis dictus Franciscus anno 1705, obtenta circumscriptione d. possessionis, uti nulliter captæ suspensivam appellationem à Signatura Justitiæ reportaverit, nihilominus lapsus est primus fatalis absque legitima causæ prosecutione; hinc ad tramites commissionis executurialis per Me, uti subrogatum bo. me. Ansaldo, propositum hodie fuit consuetum dubium — *An constet de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum. & pro canonizatione rei judicatæ* DD. suffragium protulerunt.

1 Siquidem de re judicata legitimè constare visum fuit ob lapsum primi fatalis, cum Franciscus hæres scriptus in testamento Hyacinti post passam immissionem appellationis commissionem intra annum incapsare neglexerit ad *Text. in aut. ei qui appellat tod. de tempor. & repar. appell. cap. cum sit Romanus, & cap. constitutus de appellat., Rot. in Asculana dotis* 14. *Junii* 1709 *sub* § 1. *coram bon. memor.*

2 *Card. Priolo*, subsidiarium autem remedium restitutionis in integrum, quod juxta notas regulas non conceditur, nisi perspicuè constet de læsione resultante, vel ex nullitate, vel injustitia judicati, locum sibi vindicare non potuit in præsenti, dum super validitate nulla erat inter partes dissensio, & justitia satis emergere visa fuit, tam ex littera testamenti omnibus solemnitatibus muniti, quam ex possessione bonorum legatorum per defunctum usque ad ejus obitum pacificè, & pro indiviso possessorum cum d. Francisco fratre,

fratre, ac hærede instituto, quibus concur-
3 rentibus, sicuti controverti non potest, quod Claræ ius statim acquisitum fuerit super rebus legatis, ad *Text in l. si sibi §. Cum servus ff. de legat. primo, Peregrin. de fideicom. artic. 49. n. 113., Rot. in rec. dec. 651. nu. 5. p. 18.*, ita
4 eidem Actrici legatariæ bene decreta videtur immissio cadens super re judicata, juxta *Text. in leg. 1. cod. com. de legat., Rot. in rec. dec. 356 n. 2. p. 4, tom. 2., coram. Priol. dec. 202. n. 1., & in Romana legati 2. Martii 1703. §. Etenim legata cor. bon mem. Pio.*
5 Absque eo quod de legati validitate dubitari potuerit, ex quo bona legata integrè non fuerint de patrimonio Hyacinti testatoris, cum enim ille legando bona prædicta expressè oneraverit Franciscum fratrem, ac heredem ad traditionem rei legatæ etiam in ejus propria portione, & d. Franciscus hereditatem d. Hyacinti adiverit, atque acceptaverit, certè in his circumstantiis nulla exoriri potuit dubietas circa relicti validitatem, ac subsistentiam; quippe juxta juris nostri sanctiones Testator rem propriam heredis, vel quam communiter cum hærede possidet, alteri legare liberè potest, ad *Text. in leg. unum ex familia §. Si rem ff. de legat. 2. §. Si res legata instit. de legat., Rot. cor. Durand., dec. 10. n. 1., cor. Cerro dec. 397. n. 9. & seq.*, &
6 dum hæres acceptat, prout in casu Testatoris dispositionem adeundo illius hereditatem, absque dubio tenetur ad integram legati prestationem, non minùs in re ipsius Testatoris, quàm in re, ac portione ad ipsum jure proprio spectante, *Alex. consl. 173. sub n. 4 vol. 2., Andreol controv. 200. n. 4. cum duobus seq., & controv. 434. n. 5. & 6., Rota cor. Durand. dec. 10. n. 4., & dec. 93. n. 15., &*
7 *dec. 46. nu. 3. cor. bon. mem. Ansaldo*; etiamsi ipse hæres adiverit hereditatem cum beneficio legis, & inventarii, ut benè probat *Andreol. d. contr. 200. n 7, Rot. cor. Buratt. decis. 495. n. 3 & 4, cor. Duran. dec. 10. n. 8., coram Cerro dec. 397. n. 14., & seq., & in rec. dec. 27. nu 14. & 15. p 18.*

Quod eo facilius procedere visum fuit, quia idem Hyacintus non solum loco portionis ad ipsum Franciscum fratrem spectantis tantumdem relinquere professus est ibi -- *in luogo di quella gli lascio tutto il podere di Brusa, e la metà della possessione posta al casero di monte luce, parte mia assai migliore della sudetta* -- sed etiam in casu recusationis addiderit contra ipsum Franciscũ explicitam pænam ammissionis ipsius prædii *della*
8 *Brusa*; & proinde dum Franciscus intuitu æquivalentis emolumenti sibi relicti, adeundo hereditatem, acceptavit dispositionem, qua ipse ad legatorum satisfactionem expressè obstringebatur etiam in portione propria, absque difficultate quasi contraxisse dicitur cum ipso Testatore pro illius impiemento, ut benè notat *Andrěl. contr. 200 n. 4. & seq., & controv. 434. nu. 5. & 6.*, cum aliis per *Rot. in Engubina census, seu Cauthela Angeli 3. Julii 1705. §. Quemad-*
9 *modum, & seq. cor R. P. D. Cerro*, & sic nec ipse, nec ejus hæredes integram rei legatæ prælationem ullo modo valent effugere, ad firmata per *Rot. in Avenionen. fideicommissi 25. Junii 1700 §. Ast enim cum duobus seq. cor. bon. mem. Ansaldo, in Romana donationis de Corsinis 3. Julii 1711. §. Præsertim cor. Rmo Aldrovando, & in Forosempronien. legatorum super Fideicommisso Tiberii 7. Martii 1713. §. Eoque certius coram eodem.*
10 Nec alicujus momenti reputata fuit exceptio, quod Hyacintus Testator. ante quam legaret Sorori d. bona, jam illa supposuisset fideicommisso conventionali inito cum dicto Francisco fratre, quodque propterea filiæ ejusdem Francisci modernę contradictricea per speciem Cauthelæ Angeli, valeant hodie jure d. fideicommissi controversa bona retinere.

Cum enim pro justificatione ass. fideicommissi exhibita non fuerit, nisi simplex apoca privata absque ulla Testium subscriptione exarata, ex ista desumi non potest legitimum documentum, ex quo Reæ conventæ consoveri possent in ejusmodi bonorum retentione, dum ad istum effectum, nisi concurrat titulus undequaque justificatus, ac perspicuus, immissio, vel satisfactio nequit retardari in bonis, quæ non controvertitur reperta fuisse in patrimonio debitoris, ex firmatis per *C nstant. ad Statut. Urb. tom. 2. disf. unico de Cauthela Angeli n. 82. cum duobus seq, Rot. in Eugubina fideicommissi super Cauthela Angeli 5. Aprilis 1715. §. finali coram Me, in Ferrarien. Fideicommissi super Cauthela Angeli 28 Martii 1718. §. Ete-*
11 *nim coram Me*, & in specie, quod titulus non dicatur sufficienter justificatus, nec aptus ad retentionem, ubi, prout hic desumitur ex simplici privata apoca aliundè non verificata, optimè dixit *Rota in Imolen. donationis super Cauthela Angeli 13 Junii 1704. §. Minus servanda cor. bon. mem. Cardinali Caprara, & 14. Martii 1707. §. His constabilitis cor. bon mem Cassarello, & in Reatina reintegrationis super Cauthela Angeli 3. Junii 1712. § Turbidum cor. Me.*
12 Quin imo, cum apoca hujusmodi in lucem prodierit post rem judicatam jam exortam favore d. Claræ pro consecutione legati ejus favore ordinati, in his terminis eo magis reputari debet suspecta, ac inefficax ad effectum retardandi illius executionem hodie petitam per Barbaram Gaudentii filiam, & hæredem ejusdem Claræ, ut benè firmavit *Rot. cor. Priol. dec. 464. n. 1., & apud Card. de Luc. in mantiss lib. 9. dec 4. n. 2.*
13 Non attento, quod eadem apoca subscripta à dictis fratribus de Tassis, fuerit à duobus Testibus recognita, prout etiam reposita in Archivio Apostolico Perusii, quia objectum penitùs cessat, ex quo recognitio caracteris, ac subscriptionis dd. fratruum, tanquam facta absque Partis citatione, & à Testibus, qui non fuerunt præsentes illius confectioni,

fectioni, non suffragatur, ad tradita per *Postb.observ.98.nu.7., Constant.ad Statut. Urb.annot.13.art.1. nu 83., cum plurib.seq.,*
13 *Rot.cor.Penia dec.1047.nu.final.* Et archiviatio procùrata apparet anno 1707. post laram sententiam, ac rem judicatam favore Claræ legatarię, & sic tamquam obtenta post lapsum debitum tempus, & post quæsitum jus parti litiganti, nullius remanet efficaciæ, *Gratian.discept.104.n.2, Postb. resol.civil.72.n.16., Rot.in d. Imolen. donationis super Cantbela Angeli* 13. *Iunii* 1704. §. *alterius, & §.Quamvis cor.bon.mem. Card. Cabrara.*

Hisque positis pro irrelevantia ass. fideicommissi conventionalis ex d apoca desump-
14 ti, frustra Reę conventę sese promptas exhibuerunt ad reddendam rationem de bonis hęreditariis, tum quia exceptio redditionis rationis non attenditur, ubi, prout in præsenti, allegatur post rem judicatam, ut docet *Rot.apud Card.de Luc.in mantiss.lib.9. dicta*
15 *dec.4.nu.2.& 7.*tum quia, cum, secluso dicto fideicommisso, tamquam requirente non minus altiorem indaginem, quàm exactiorem probationem, penitus deficiat fundamentum petitæ retentionis, exceptio redditionis rationis in nihilo valet prodesse ad effectum retardandi immissionem, ac satisfactionem super ipsis bonis hęreditariis decretam, ut benè firmatum fuit per *Rot. in Romana immissionis super Cautbela Angeli* 8. *Martii* 1717. §. *Cætera cor.Me, in Perusina Pecuniaria* 4. *Aprilis* 1718. §. *Quin potius cor.R.P.D.Falconerio, & in Ferrarien. Cautbelę Angeli, seu redditionis rationis* 30. *Ianuarii* 1719. § *Minusque cor.Me.*

Et ita utraque &c.

ANAGNINA JURIS PASCENDI.

Veneris 6. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria *juxta modum* alterius decisionis emanatę sub die 16. Junii 1719.

Jus pascendi cum quacumque animalium specie Apostolicis Privilegiis concessum sub motivo adauctæ agrorum culturæ post eorum concessionem, non infringitur; debet tamen ejus indefinita facultas ad tramites juris dispositionis coerceri; hoc est, quod animalia privilegiatarum personarum in tanto non debeant esse numero, ut iste bonorum quantitati ab eis possessorum esset impar.

SUMMARIUM.

1 *Ius pascendi cum quacumque animalium specie ex Apostolicis Privilegiis approbatum sub quovis pretextu damni nequit infringi*, & declara ut in n. seqq.

2 *Privilegia Apostolica vim legis habent*, & num. 3.

3 *Res judicata facit rem claram, & manifestã.*

4 *Ius pascendi per Apostolica Privilegia concessum absque ulla animalium expressione, sed sic* – animalia, & greges quæcumque fuerint – *nullam patitur restrictionem, & etiam animalia suina comprehendit*; amplia, ut n. 5. & 6.

5 *Dictio* quæcumque animalia, *omnes animalium species comprehendit.*

7 *Observantia dat intelligentiam parti dubiæ in Apostolicis Privilegiis.*

8 *Statutum Laicale Ecclesiasticos non ligat.*

9 *Ius pascendi cum omni specie animalium Monasterio concessum per litteras Apostolicas non leditur ex consensu præstita ab aliis Ecclesiasticis edicto prohibitivo à Locali Communitate edicto.*

10 *Amplia; etiam si talia privilegia præjudicium inferrent particularium arvis ob adauctam territorii culturam, declara*, ut in num. seqq.

11 *Privilegia Apostolica ex novo emergenti, & sequta rerum mutatione effecta iniqua, ad æquitatis, & justitiæ terminos sunt redigenda.*

12 *Ius pascendi cum qualibet specie animalium per Apostolicum Privilegium concessum non irritatur, ex quo tractu temporis in territorio fuisset adaucta nova cultura, cui animalia privilegiatorum damnum inferrent, quia cum cultura sit volantaria, civium anteriori privilegio nequit præjudicare*, & num. 13., ac amplia, ut in n. 14.

14 *Ius pascendi indefinite per Apostolicum privilegium concessum non est moderandum sub motivo evitandę damnificationis, quando hæc potest aliunde reparari; amplia*, ut in n. 15.

16 *Exceptio in casu gravissimi præjudicii firmat regulam in contrarium in casibus levioris damni, & præjudicii.*

17 *Privilegia Apostolica, non concurrente damno irriparabili à Papa preservato in cessione, ex capite levis præjudicii tertio illati non retardantur.*

18 *Retentio animalium in pascuis promiscuis competit ad tramites bonorum, quę illorum dominus possideat in eo Territorio.*

19 *Amplia, at talis regula servanda sit etiam respectu personarum privilegiatarum.*

20 *Sub amplia, etiam si tale jus retinendi, & pascendi indistincte appareat concessum, quando ex privilegio prejudicium notabile superveniret, quod gratiam inficere debet.*

21 *Provisio capta in casu particulari, ad alium diversum non extenditur.*

DECISIO MCCLXXXVIII.

IN Audientia diei 16. Junii 1719. definitum fuit, licere PP. Carthusianis antiquissimi Monasterii S. Bartholomei de Trisulto retinere

rinere Animalia cujuscumque generis, eaque immittere ad Pascua Territorii Anagnini, non obstante novo Consiliari Edicto per Communitatem Anagniç promulgato de anno 1715. super omnimoda Suium ejectione à Territorio, cum ea tamen declaratione, quod numerus Animalium secundum Artis agrariæ usum correspondere debeat quantitati Bonorum, ac Prędiorum per dictos PP. possessorum in Territorio, *ut ex decisione dicta die edita cor. Me*.

Huic resolutioni, cui aditum facilè præbuerunt Privilegia Apostolica per dictos PP. Carthusianos exhibita super libera facultate retinendi quodcumque genus Animalium in toto Territorio Maritimæ, & Campaniæ, haud acquieverunt Cives Anagnini, sed adhùc satagentes dictos PP. alligare legi, ac ordinationi dicti Consiliaris decreti, obtento opportuno rescripto Signaturæ Iustitiæ loco Signaturæ Gratiæ, in ejus sequelam adversus dictas Apostolicas Concessiones proponi curarunt Dubium -- *An sit locus arbitrio pro aperitione Oris* -- & affirmativum prodiit responsum; cumque in Congregatione Rotali habita de mense Augusti anni præteriti concessa fuerit nova audientia, tàm circa punctum aperitionis Oris, quàm circa alium principalis disputationis, demandata contemporanea utriusque dubii discussione; ideò posita hodiè novo examini resolutione circa indultam Oris aperitionem, contemporaneè proposui etiam consuetum dubium, *An sit standum, vel recedendum à decisis* super negotio principali, ac resolutis die 16. Junii 1719., & responsum accepi pro persistentia *in decisis juxtà modum* inferius exprimendum.

1 Siquidem quoad facultatem in genere retinendi, ac immittendi ad Pascua Territorii Anagnini Animalia de quibus agitur, iterum recognitum fuit PP. Carthusianis assistere claram litteram Privilegiorum à pluribus Summis Pontificibus ipsis concessorum, & signanter Innocentio III., Martino V., & Nicolao V. in quorum sequelam à pluribus Sæculis dd. PP. reperiuntur in possessione retinendi Animalia cujuscumque generis, pluribus reportatis pro exequutione, ac observantia eorundem Privilegiorum Sententiis, ac rebus judicatis contra Communitates tentantes Pascuorum usum alterare, ut videre est *in Alatrina Iurispascendi 7. Maii* 1674. *coram bon. mem. Taya, in Ferentina Iurispascendi* 30. *Aprilis* 1703. *&* 9. *Iunii* 1704. *coram bon. mem. Molines, &* 9. *Maii* 1707. *coram Eminentissimo Scotto*. Eademque Carthusianorum facultas in specie canonizata reperitur coram A.C. Justo contra ipsam Communitatem Anagninam, quæ cum simili Staturo tentasset, divisis quarteriis, pascuorum usum restringere in prçjudicium Carthusianorum, in Judicio succubuit, præservata juxta eorum possessionem facultate dictis PP. depascendi Animalia in toto Territorio, & Judicatum confirmationem promeruit *cor. bon. me. Seraph., ut ex ejus dec.* 971.

2 Hinc proinde in his circumstantiis Domini non dubitarunt interùm approbare Ius Carthusianorum super libera facultate retinendi, ac depascendi in dicto Territorio Animalia de quibus est controversia, non solùm ad formam dictorum Privilegiorum, quæ ut certum est, vim legis obtinent *ad Text. in cap. cum Capitulo, ibique gloss. verbo exequatur de concess. præbend. in* 6. *Rota in recent. decis.* 79. *num.* 9. *part.* 10. *coram Priol. de Iss.* 322. *num.* 8. *& coram bon. memor. Ansaldo decis.* 3. *num.* 6.; sed
3 etiam attentis dictis Sententiis, ac rebus judicatis, quæ cum præsentem disputationem involuant, rem claram, & manifestam constituunt, *l. Res judicata ff. de Reg. Iur. Rot. in Avenionen. Iuris scribendi* 28. *Ianuarii* 1715. §. *Pro subsistentia coram Reverendissimo Crispo, & in Ferrarien. Fideicommissi de Giliolis* 7. *Maii* 1718. §. *Tollitur que coram Me*.

4 Frustraque per Cives Anagninos impugnata extitit dicti Juris efficacia *quoad Animalia Suina*, ex quo ista non compræhendantur in littera eorundem Privilegiorum. Constitit enim in facto Pontificias concessiones per dictos PP. exhibita fuisse conceptas absque ulla Animalium distinctione, & quidem per verba generalia, ac indefinita ibi -- *Animalia, & greges quæcumque fuerint* -- & propterea in his terminis Privilegia nullam pati possunt restrictionem quoad sues, sed juxtà eorum litteram generaliter potius debent intelligi, ac operari, ex firmatis per *Rotam in Hispalen. Decimarum* 11. *Februarii* 1715. §. *Non obstante*
5 *coram Eminentiss. Scotto*; attenta præsertim non solum dictione illa *quæcumque*; quę tanquam universalis, omnes Animalium species suaptè natura complectitur *Sacc. respons.* 15. *n.* 10. *&* 16. *Molin. resol.* 1. *n.* 33. *Gratian. discept.* 82. *num.* 31. *Rota coram*
6 *Dunozett. Jun. dec.* 640. *num.* 7. Sed etiam longæva quasi possessione, in qua PP Carthusiani reperiuntur retinendi, ac depascendi
7 di Animalia Suina in Territorio, ex qua sanè observantia quælibet tollitur difficultas circà litteram eorundem Privilegiorum, & certius remanet comprobatum, quod in illis etiam Sues fuerint compræhensi, ut tradit *Rota in Illerden. Vigesimæ, seù solarii* 10. *Martii* 1704. §. *Hujusmodi coram Eminentissimo Scotto, & in Viterbien. Pascuorum* 4. *Februarii* 1705. § *Secunda circumstantia cor. bon. mem. Molinet*.

Ejusdemque irrelevantiæ visa fuit petita Privilegiorum restrictio *quoad sues* in vim recensiti decreti Conciliaris Communitatis Ananiæ, quæ ratione publici boni in futurum illorum retentionem inhibuit, ut enim animadversum fuit in decisione, quę revi-
8 detur, Cives Anagnini eorum Statutis, ac Ordinationibus Laicalibus PP. Carthusianos, alias-

aliasque personas Ecclesiasticas nequeunt
obstringere, juxtà apertam dispositionem
*Text. in Cap. Ecclesia S. Mariæ num. 15.
de Constit. Rota coram Ottobon. decis. 149.
num. 4. cum aliis per Rotam in Romana,
seù Viterbien. Immissionis 10. Junii 1718.
§. Constabilita, & seq. coram Reverendiss.*
9 *Crispo*, etiamsi alii Ecclesiastici dictę novæ Ordinationi Communitatis consensum
præstiterint, ac similes etiam Ordinationes
pro ejectione Suvium à Territorio intuitu
publicæ utilitatis fecerint alię Communitates, ac Loca, ultrà quod enim Ecclesiastici
Anagnini non aliter consensum præstiterunt,
quàm cum reservatione proprii Juris, depascendi scilicèt quocumque anni tempore
belluas suinas pro quantitate glandium, quæ
ab eorum Prædiis produci solent, satisfacit
responsio, quod tàm factum voluntarium
Ecclesiasticorum, quam cujuslibet Statuti
nuper conditi exemplum cogere nequeunt
Carthusianos, qui ultrà tutamen Ecclesiasticæ Immunitatis, Privilegiis tam diu in
Territorio Anagnino observatis renuunt cedere, ac renunciare per *Text. in cap. cum
omnes de Constit. cap. quod omnes de Reg.
Jur. in 6. Gratian. discept. 390. num. 18.
Cobell. ad Bull. bon. Regim. cap. 28. n. 117.
Card. de Luc. in Miscell. Eccles. disc. 4.
num. 22. Sperell. dec. 37. num. 6. Rot. apud
Ciarlin. contr. Iur. capit. 103. num. 35. &
probat Decisio quæ revidetur §. Sicuti autem.*
10 Nec eidem Communitati quidquam suffragari visum fuit, quod cum hodie ob auctam
Territorii culturam, secutamque Pascuorum mutationem, retentio Animalium suinorum permitti nequeat absque ejus præju-
11 dicio, gravique damno, Privilegia tamquam conversa ad iniquum, in vim aperitionis Oris contemporaneè concessæ ad Justitiam redigi, ac etiam in totum revocari debeant, *juxtà Text. in cap. suggestum de
Decim.*
Licèt enim Privilegia, quę ex novo emergenti, ac ob sequutam rerum mutationem
irrationabilia, ac iniqua effecta sunt, nova
Principis auctoritate ad terminos æquitatis,
& Justitiæ redigi valeant, vel in totum etiam
revocari, *ut ex Text. in dicto Cap. suggestum* tradunt *Bardellon. cons. 22. num. 10.
Lancellot. Gall. cons. 25. num. 64. Valenzuel. cons. 93. num. 31. Sacc. respons. 15.
num. 5. & 6. Rota divers. dec. 83. num. 9.*
12 *cum seqq. par. 2.*, nihilominùs ad effectum hujusmodi undequaque irrelevans detecta fuit, tum allegata Territorii mutatio
in excolendis agris, tùm ratio asserti damni
ex retentione suvium resultantis; cum enim
culturæ auctio in Territorio, quatenus supponenda sit, non processerit ob sequutam
temporum vicissitudinem, ac rerum mutationem ab antiquo Statu, sed ex simplici
voluntate, ac arbitrio Civium, qui intuitu
majoris lucri Territorii partem prius incultam ad culturam redegerunt, utique in his
terminis locum non habet dispositio prefati
Textus, nec pro concessionum revocatione
intrant recensitę auctoritates, ut bene advertunt *Sacc. dicta respons. 15. num. 34. Baraellon. cons. 22. sub n. 36. Roland. à Vall.
cons. 13. num. 66. vol. 3. Cephal. cons. 48.*
13 *num. 61.*. Sed dicta mutatio ex voluntario
facto, ac electione ipsius Communitatis proveniens, quoad PP. Cartusianos jus pascendi habentes ex privilegio, nullum ipsis irrogare debet præjudicium, *ex firmatis per
Surd. cons. 27. num. 10. cons. 65. num. 13.
Otter. de Pasc. cap. 16. num. 2. Avendan.
de exeq. mandat. par. 1. cap. 4. n. 22. cum
aliis per Rocc. disp. Iur. cap. 168. n. 7.*
Damnum autem, & prejudicium per Cives Anagninos desumptum, ex quo Animalia
suina non sine Pastorum rixis, aliisque scandalis in preteritum devastaverint Terrena
prativa, ac sativa, damnificando segetes,
ac frumenta simili modo inefficax dici debet; ultra quod enim ex documentis per
dictos PP. exhibitis satis apparebat, quod
ipsi moderatè dictis Privilegiis usi fuerint,
congruis temporibus post recollectas segetes immittendo Sues ad pascua; ad effectum
sanè de quo agitur cessare visa fuit quælibet
ratio exageratę læsionis, dum in qualibet
contingibili damnificatione possessores bonorum liberam habent damni illati actio-
14 nem, & propterea cum allegatum prejudicium, quatenùs contingat, aliundè valeat
reparari, absque dubio sub motivo evitandæ damnificationis recurrendum non est ad
Privilegiorum moderationem, quæ damnum exigit irreparabile, *ut communiter
tradunt DD. in d. cap. suggestum de Decim. Rot. divers. dec. 87. per tot. par. 2. cum
aliis superius recensitis.*
15 Potissimè quia ex littera dictorum Indultorum, & signanter fel. mem. Martini V.
præservatus tantùm habetur casus maximi
præjudicii, ac evidentis lęsionis ibi -- *absque*
16 *tamen gravissimo, & evidenti præjudicio*,
quæ exceptio firmat regulam in contrarium
in aliis casibus levioris damni, ac prejudicii,
*ad Text. in leg. quęsitum §. Denique ff. de
fund. instruct. Alex. con. 7. num. 4. lib. 2.
Rot. in rec. decis. 674. num. 11. par. 19. &
in Bononien. Datii Carnis 24. Novembris
1713. §. Clarius coram Eminentissimo Scot-*
17 *to*, itaut non concurrente casu maximi,
& irreparabilis damni expresfè prefervato,
aliud tertii prejudicium minùs grave, tanquam consideratum in Pontificiis concessionibus nullo modo sit allegabile ad retardandam earum executionem, ac observantiam, ut benè docet *Rota coram Carill. decis. 97. num. 13. coram Coccin. decis. 2168.
num. 4. in Recent. decis. 358. nu. 6. par. 11.
& in Calagurritana Decimarum de Linqueitio 28. Februarii 1716. §. Et de facto
cor. bon. mem. Ansaldo.*
18 Hisque positis descendendo ad numerum
Animalium, Domini iterum procedendum
censuerunt *juxta modum traditum in dicta
deci-*

decisione, *quæ revidetur*, quod scilicèt PP. Carthusianis in Territorio Anagnino licita tantum sit Animalium retentio secundum artis agrariæ usum correspondens quantitati bonorum, ac Prædiorum, quæ ipsi PP. possident in Territorio, regulando in hac parte facultatem ipsis PP. impartitam ad tramites Juris, quod in habentibus Pascua promiscua non alitèr eorum usum decernit, ad *Text. in l. Imperatores ff. de servit. rust. præd. ubi Alberic. num. 2. Costa de rat. quæst.* 158. *num.* 1. *& seq. Cancer. var. resol. lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 65. *& seqq. Pauimoll. dec.* 25. *annot.* 2.

19 quæ ratio habenda est etiam in personis privilegiatis, nè sit in libera eorum facultate absorbere Pascua singulorum Civium indigentiis destinata, ut in puncto contra eosdem PP. resolvit *Rota in Ferentia Iurispascendi super numero Animalium, & Socciis* 22. *Iunii* 1707. §. *final. & per tot. coram Eminentissimo Scotto*, quam resolutionem refert, ac sequitur *Campel. ad Const. Stat. Vrbin. decr.* 52. *sub n.* 295. *& seq.*

20 Non relevante, quod indulta Apostolica PP. Carthusianis concessa, illimitatam pascendi facultatem tribuant cum quolibet Animalium numero ibi -- *Animalia, & Greges quæcumque fuerint, & ad quemcumque numerum ascendentia* -- quia cum in illis immediatè fuerit præservatum ingens præjudicium ipsorum Incolarum ibi -- *absque tamen gravissimo, & evidenti præjudicio dilectorum filiorum Provincialium, habitatorum, & Incolarum*, omnis æquitas postulat, ut Privilegia etiam in vim aperitionis Oris contemporaneè indulta secundum quantitatem bonorum per dictos PP. possessorum in Territorio (quæ juxtà eorum confessionem non modica sunt) intelligantur, & restringantur, ut optimè probatum fuit *in dicta Ferentina Iurispascendi super numero Animalium, & Socciis* 22. *Iunii* 1707 §. *Neque obstare coram Eminentiss. Scotto.*

Verùm quia Carthusiani in vim eorundem Privilegiorum Iuspascendi habent in aliis locis *Maritimæ, & Campaniæ*, in quibus nulla possident bona; hinc Domini addendam censuerunt declarationem, quod ex præsenti resolutione Jurispascendi libertatem dd. PP. restringente favore Communitatis Anagniæ pro numero Animalium correspondente quantitati Prædiorum per

21 ipsos possessorum in ejus Territorio, nullum eisdem PP. irrogatum censeatur præjudicium quoad alia Loca, & Territoria, in quibus dicti PP. nulla possident bona, reservando in casibus particularibus juxta Tribunalis praxim singulorum indemnitati providere, ne alias Privilegia quoad dicta loca indirectè reddantur inutilia, ac pœnitus de vento, contra Regulam *Text. in cap. quod si nulla de Præben. in sexto, Cyriac. controv.* 622. *num.* 17. *Rota in Recent. decis.* 297. *num.* 2. *par.* 4. *tom.* 2. *& coram Ceccin. dec.* 2148. *n.* 3.

Et juxtà hunc modum conclusum fuit utraque &c.

ANAGNINA JURISPASCENDI SUPER APERITIONE ORIS.

Veneris 6. *Februarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria alterius sub die 7. Martii 1721. emanatæ.

Nullitatis, & læsionis fumus sat est, ut Oris aperitio adversus Apostolicum privilegium concedatur, cum eæ urgentes non requirantur probationes, quæ ad istius revocationem reportandam, de cætero forent necessariæ.

SUMMARIUM.

1 *Aperitio Oris adversus Breve, ex læsionis, & injustitiæ fumo conceditur, nec tales de eis requiruntur probationes, quæ ad gratiam destruendam aptæ forent*, & n. 5. & 6.

2 *Amplia, quando Apostolica Privilegia talia sunt effecta, ut irreparabile inferant præjudicium, adeo ut opus sit ea ad Iuris tramites redigere*, & quare? vide in n. 3. & 4.

6 *Aperitio Oris à fortiori conceditur adversus Privilegium Apostolicum gravamen inferens, quando præjudicium fuisset à Papa præservatum, & tali casu idem privilegium correctum.*

DECISIO MCCLXXXIX.

Intrare arbitrium pro aperitione Oris DD. responderunt in Audientia diei 7. Martii 1721. favore Communitatis Anagninæ adversus Pontificias concessiones, ac Indulta concessa PP. Sancti Bartholomæi de Trisulto Ordinis Carthusiani super facultate retinendi, atque immittendi ad pascua Territorii Anagnini cujuscumque generis animalia, ut ex decisione coram Me edita *sub dicta die* Cum autem dd. PP. capræ resolutioni non acquiescentes admissi fuerint ad novam Audientiam, proposui hodiè congruum dubium *An sit standum, vel recedendum à decisis*, & responsum habui *in decisis*.

1 Ut enim dictum fuit in præcedenti decisione Oris aperitio per Cives Anagninos petita non tendit ad infringendam substantiam Indultorum, ex quibus Carthusiani liberum pascuorum usum habere contendunt, sed tantum directa est ad temperandum rigorem Clausulæ *sublata, ac decreti irritantis*, quæ in illis apposita reperiuntur ad effectum, ut audiri, ac discuti valeant probationes, quas adducere posse prætendunt super læsione, ac urgenti causa, quæ justam exigant reductionem eorumdem privilegio-

gio-

giorum, ac propterea illa, tanquam remedium aperiens aditum ad removenda prejudicia, atque obtinendam Justitiam facilè concedi debet, quotiès concurrat aliqualis fumus ejusdem causæ, ac læsionis, ut tradunt *Spada conf.* 278. *num.* 2. *lib.* 2. *Card. de Luc. de pens. disc.* 50. *num.* 4. *Rota cor. Cels. dec* 270. *num.* 4. *& 5. coram Emerix. dec.* 523. *num.* 1. *cum duob. seqq. & in Nepesina donationis* 18. *Junii* 1710. §. *Maximè*, & §. *Cum igitur cor. Me*.

Quod autem in casu sufficiens hujusmodi fumus concurreret, benè eruebatur tum ex deductis in decisione; quę revidetur, tùm ex eo, quod PP. Carthusiani innixi memoratis privilegiis, nedum contendunt se adigi non posse ad observantiam novæ legis per Communitatē editę super ejectione Suvium è Territorio, sed etiam viriliter sustinent sibi competere illimitatam facultatem retinendi, atque immittendi ad pascua animalia, ad quemcumque numerum ascendentia.

2 Cum autèm vel utraque ex dd. prætensionibus, vel saltem earum altera involvere possit prę judicium ingens, hoc sanè exuberat, da effectum concedendę aperitionis oris, quatenùs oporteat privilegia ad juris tramites in aliqua saltem parte reducere, juxta firmata per *Rotam in recen. dec.* 651. *nu.* 5. *par.* 1. *& dec.* 297. *n.* 4. *par.* 4. *tom.* 2., *& cor. Ubaldo dec.* 818. *n.* 6.

3 Aliàs enim illud sequeretur inconveniens, quod Communitas impedita remaneret Jura sua deducere, atque exactiores facere probationes super allegata rerum mutatione, & asserto ingenti prejudicio, quod sibi absque ulla reparatione resultare contendit ex retentione Suvium in Territorio, & multò magis ex facultate retinendi, atque immittendi ad pascua Animalia ad quemcum-

4 que numerum ascendentia, sicuti autem quatenus adeo grande præjudicium revera subsisteret, dubitari non posset, quin Privilegia essent reformanda, & juxtà præsentem rerum statum ad æquitatem reducenda, per *Text. in cap. suggestum de decimis*, *Ottor. de Pascuis cap.* 24. *num.* 11. *ibique adden. Rot. in Guesnen. Decimarum* 10. *Ianuarii* 17.6 §. *Præcipuè coram Eminensis Al-*

5 *thann*. Ità rejecto rigore, omnis æqui boni que ratio exigit, ne dictæ Communitati precludatur via, ex qua ipsa opportunis probationibus, si quas habet, ejus indemnitati valeat consulere ad tradita per *Rotam in Castellana aperitionis Oris* 19. *Novembris* 1703. §. *Enim ultro cor. bo. me. Molinet*.

Non obstat, quod Indulta Pontificia PP. Carthusianis concessa explicitam contineant præservationem maximi prejudicii, quod ex libero pascuorum usu locorum habitatoribus posset emergere ibi -- *Absque tamen gravissimo, & evidenti præjudicio dilectorum filiorum Provincialium, habitatorum, & Incolarum*, quodque propterea ad formam ipsorum privilegiorum de dicto magno prejudicio agi possit, absque eo quod opus sit ad eum effectum ulla precedenti oris aperitione. Objectū nāque hujusmodi potius re-

6 torquetur. Quandoquidem si in ipsis privilegiis expressè præservatū fuit gravissimum atque evidens præjudicium, eò certius adversus illa indulgenda venit Oris aperitio, ut quatenus dicta læsio, & præjudicium opportunis probationibus justificetur, liberum sit de defectu intentionis concedentium eadem privilegia redarguere, & ab eorum executione deflectere, *Rot. cor. Dunozett. dec.* 811. *num.* 11. *& coram Bichio decis.* 255. *num.* 2. *& dec.* 83. *n.* 6 *cor. bo. me. Ansaldo*.

Et ita utraque &c.

CAJETANA SUBROGATIONIS GRATIOSÆ.

Lunæ 22. *Februarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Gratiosa in locum defuncti collitigantis subrogatio, quando calumniosa lis est, non conceditur, juxta regulam 29. Cancellariæ.

Lis ex quibus dicatur calumniosa, & injusta pro infringenda donatione facta activi juris nominandi ad Beneficium à muliere favore Piæ causæ, & ad eandem subrogationem reportandam, sequens demonstrat.

SUMMARIUM.

1 *Subrogatio gratiosa in locum defuncti Collitigantis intrat, quando lis aliquo modo fuisset justa, & probabilis, ita ut omnis calumniæ suspicione caruisset*, juxta regulam 29. Cancellariæ.

2 *Præsentatus ad Beneficium, qui non descendat ex passivè vocatis à fundatore non habet jus impediendi institutionem illi, qui de genere vocatorum esset*.

3 *Jus præsentandi collatum piæ Causæ non infringitur ex præsentationibus factis ab hærede donantis, quæ non sustinentur*.

4 *Subrogatio gratiosa non sustinetur ex capite iustæ litis, cujus justitia fundatur super defectu quarundam solemnitatum deficientium in donatione juris præsentandi facta favore piæ Causa cum reservatione juris passivi favore nepotum donantis, cum talis donatio justa, & æqua præsumatur* & num. 14.

5 *Amplia, si talis donatio ab Ordinario Locali in actu visitationis fuisset confirmata*.

6 *Instrumentum debet esse subscriptum à Notario, Judice, & tribus probæ fidei testibus in regno*, juxta Constitutiones in lib. 1. rubr. 79. de fide instr *in materia probana* intellige, ut in num. 7. 8. & 9.

7 *Limita in contractu ad pias Causas*.

9 *Instrumentum rogatum favore Baronum à Notario subdito non probat, juxta Constitutiones regni*.

10 *Sub-*

10 *Statutum laicale non habet locum in contractu gesto à muliere cum personis Ecclesiasticis super re spirituali annexa.*
11 *Contractus Mulieris substinetur, quando, absentibus filiis, consanguinei in gradu proximiores intercedunt.*
12 *Instrumentum rogatum in regno, ut sit validum, quid requiratur?*
13 *Praxis regni Neapolis omnino servanda est in formalitate Instrumentorum.*
14 *Lis promota adversus donationem juris præsentandi, ex defectu solemnitatum, eo magis calumniosa præsumitur, quando donans contemporane ad alias similes donationes devenisset, quæ ab hærede pro validis fuissent habitæ.*

DECISIO MCCXC.

EX eisdem rationibus, ex quibus Rota respondit coram Reverendissimo Crispo sub die 22. Novembris 1720. intrare arbitrium pro ea retardanda executione literarũ gratiosæ subrogationis impetratę à Zaffarano in juribus Hieroymi Ciuffi prædefuncti collitigantis, censuit etiam hadiè coram Me in locum d. Reverendissimi Ravennaten. subrogato, *standum esse in decisis*.

1 Resistere enim denuò comperta fuit executioni d. gratiosę subrogationis regula ipsa 29. Cancellariæ, cujus vigore Zaffaranus litteras impetravit, dum in ea per modum limitationis dissertè cavetur, quod subrogatin in juribus defuncti collitigantis, tunc solum suffragari valeat, quando lis fuerit aliquo modo justa, & probabilis, itaut careat omni suspicione calumniæ, ut præcisè advertunt *Mandos. ad eandem Regulam quæst.* 11. *per tot. Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæst.* 10. *n.* 96., *Rot. coram Cels. decis.* 148. *num.* 1., *& seqq.*, *& in Colonien. Canonicatus S. Andreæ octava Junii* 1719. §. *Quatenus enim coràm R. P. D. meo Cerro.*

2 Ejusmodi autem generis non erat illa, quæ pendebat inter Zaffaranum subrogatum, & Hieronymum Ciuffum prædefunctum, dum ex publico, & solemni Instrumento donationis peractæ à Magdalena de Statio Indubitata Patrona controversorum beneficiorum, statim, & ad oculum apparebat Ius præsentandi ab eadem beneficia activè competere Capitulo Ecclesiæ S. Petri donatario, ac passivè Filiis, ac descendentibus Blasii Ciuffi ipsius donatricis ex filia nepotis, ut proinde Zaffaranus præsentatus ab Angelo Calcagna, & non descendens à Personis ad Juspatronatus passivè vocatis, nulla probabili ratione, nulloque justo colore impedire posset institutionem omninò debitam Hieronymo Ciuffo collitiganti prædefuncto de genere vocatorum, & à dicto Capitulo præsentato, prout de facto jam definitum fuerat per geminas sententias conformes, alteram in Partibus, & alteram in Curia latam ab R.P.D. tunc A.C. Ansideo, dum apertè, & minimè dubii juris erat, quod

3 per d. donationem jus præsentandi in Capitulum translatum fuerat, nullumque jus in eo rationabiliter prætendere poterat memoratus Angelus Calcagna donatricis hæres, juxta deducta *per Rotam coram Duran. dec.* 415. *n.* 5., *& cor. Bich. dec.* 277. *nu.* 8., *& in Recanaten. Beneficii* 9. *Maii* 1701. §. *cessat cor. Me.*

4 Quidquam non relevantibus repetitis iterum exceptionibus adversus validitatem dictæ donationis; nam, ut bene DD. animadvertebant, cum in facto constet, quod memoratum donationis instrumentum celebratum fuit coram Regio Judice ad contractus & coram quinque Testibus, ejusque substantia sit undequaque prudens & honesta, & commendabilis, tamquam continens donationem favore Cętus Ecclesiastici & in causam piam cum reservatione passivi Jurispatronatus, primò in gratiam ejus nepotum ex filio, & secundò in horum defectum in gratiam nepotum ex filia, utique in his circumstantiis mendicatus defectus quarumdam solemnitatum aptus non erat inducere in Zaffarano colorem aliquem justæ litis, & ab eo

5 calumnię suspicionem avertere; dum præsertim pręd. donatio confirmationem ab Ordinario Loci in actu visitationis obtinere meruerat, ut pluribus adductis aliàs respondit, *Rot. in Cremonen. Beneficii* 3. *Decemb.* 1703. §. *finali cor. Me.*, *& in Bituntina Jurispatronatus* 31. *Januarii* 1706. §. *in prædictorum cor. R. P. D. meo Foscaro*, *cum aliis in decisione causæ* §. *Quamvis coram Rmo Ravennaten.*

6 Certius quia percurrendo singillatim defectus solemnitatum contra dictum instrumentum oppositos, nullus ex eis substitere, aut relevare dignoscebatur; non quidem prout eiicitur ex eo, quod instrumentum non fuerit subscriptum à Notario, Judice ad contractus, & tribus testibus probatæ fidei, quemadmodum disponitur per Constitutiones Regni *in lib.* 1. *rubr.* 79. *de fide, & authorit. instrumentorum*; scire enim debebat Zaffaranus, quod hujusmodi pragmatica loquitur de contractibus pecuniariis, & aliis hujusmodi

7 in materia profana, & ideo applicari non poterat donationi jurispatronatus ex pietate favore Cętus Ecclesiastici, & in causam omnino piam, ut aliàs decisum fuerat, articulo formiter discusso per *Rot. dec.* 91. *n.* 8. *&* 9. *cor. Durn.*, subsequenter approbata *decis.* 377.

8 *nu.* 24. *&* 25. *p.* 11. *rec.* cum maximè d. constitutio in *rubric.* 79. simpliciter requirat dictas solemnitates, sed non adimat fidem instrumento, in quo illæ adhibitæ non fuerint, prout erat casus *dec.* 23. *cor. Bich.*, *& dec.* 198.

9 *n.* 5. *&* 6. *cor. Royas*, in quarum casu agebatur de instrumento rogato favore Baronis per Notarium ejus jurisdictionis subditum, cui constitutiones Regni omnem adimunt fidem, & facultatem, ut bene observat *Card. de Luc. de Judic. disc.* 27. *n.* 35. *&* 36.

10 Paris irrelevantiæ erat etiam alius defectus deductus à Statuto Cajetano præscribente

bente, quod in mulierum contractibus au-
ctoritatem suam, & consensum præstare de-
beant duo, vel tres proximiores; quando-
quidem latere non poterat memoratum Zaf-
faranum, quod d. Statutum, tamquam mere
laicale afficere non valebat contractum à
Muliere gestum cum personis Ecclesiasticis
super re spirituali annexa, ut sæpe respon-
dit *Rota*, & signanter *dec.707. n.3.p.1.* cum
aliis concordantibus apud *Constantin. ad*
11 *Stat. Urbis annot.44. n.696.*, & nihilomi-
nus, quatenus super hoc anceps, & subdubium
fuisset, facili negocio recognoscere potuis-
set ex lectura controversi instrumenti, quod
in ejus celebratione in absentia filiorum do-
natricis adhibiti fuerant, & consensum præ-
stiterant tres illius consanguinei in gradu
proximiores; unde exhuberanter satisfa-
ctum remanebat dispositioni d. Statuti, ut
benè firmat *Constant. ad Stat. Urbis annot.*
44 *n.98 & 99.*
12 Manifestam denique calumniam redole-
re videbatur alia nullitas deducta ex om-
missione Divini Nominis, indictionis, & Re-
gis, necnon, & clausulæ *actum*, dum abso-
lutam perfectionem contractus satis super-
que ostendebat ejus contextus, ac rogitus
Notarii, unà cum Testibus in fine descriptis,
& instrumenti legalitatem abundè testa-
tam reddebat illius insertio in prothocollo
Notarii, etiam absque formalitatibus, quæ
solum apponi solent, & extendi per Nota-
rium, quando extrahuntur publica sumpta,
seu exemplaria instrumentorum, juxta no-
13 toriam praxim in Regno Neapolis vigen-
tem, & præcipuè in Civitate Caietæ, de qua
luculentum perhibent testimonium plures
illius Notarii, & quæ sine dubio est servan-
da, ut in terminis firmat *Card. de Luc. de*
Judic. d disc.27. n 30. & 31.
14 His igitur stantibus, bene DD. conclude-
bant, litem à Zaffarano promotam sub ob-
tentu emendicato dd nullitatum, nullum ha-
buisse boni juris colorem, dum præsertim
contemporaneè ad controversum instru-
mentum donationis jurispatronatus eadem
mulier devenit ad celebrationem aliorum
duorum instrumentorum, in quibus pariter
ad piam causam aliquot stabilia donavit, &
quamvis ista rogata, & celebrata fuerint eo-
dem prorsus modo, quo facta, & rogata
fuit donatio jurispatronatus, nihilominus
numquam hactenus ab hærede impugnata
fuerunt; unde augebatur suspicio, quod non
ex alia ratione impugnata fuerit donatio
jurispatronatus, nisi quia per ejusmodi litem
injustam, & calumniosam interponi voluit
impedimentum, ne legitimus Patronus fa-
cultate, & jure præsentandi in successiva vo-
catione uti posset, ut aliàs animadvertit
Rot. in Romana Cappellaniæ 3. Iunii 1717.
§. Non relevante cor. Emo Scotto.
Et ita utraque Parte &c.

CIVITATIS PLEBIS DECIMARUM.

Lunæ 9. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Parochus pro exactione decimarum fundatam habet intentionem super cura animarum, quod jus exigendi in novam Parochialem erectam non pertransit, neque cum ista decimas tenetur ille dividere, nisi de hoc specialis mentio ab Ordinario fieret, imo licèt territorium dismembraretur, decimę prædiales ratione possessionis debentur; personales verò & sacramentales ratione incolatus, & permanentiæ in loco debentur,

SUMMARIUM.

1 *Res judicata oritur ex non facta intra biennium actorum transportatione.*

2 *Restitutio in integrum absque læsione, vel nullitate in sententiis non datur.*

3 *Decimæ debentur Ecclesiæ Matrici, ac Parochiali ex fructibus prædiorum intra limites antiquæ Parochiæ existentium.*

4 *Manutentio danda est Parocho super exactione decimarum, qui in quasi possessione illas exigendi reperitur*, & n.12.

5 *Jus exigendi decimas non imminuitur per erectionem novæ Parochialis, nec ad istam ipso jure pertransit, sed requiritur quod in erectione expressa mentio fiat*; amplia; ut in nn.7..8., & 9.

6 *Jus exigendi decimas non transit ad novam Parochialem erectam de jure, juxta resolutiones Sacræ Congregationis Concilii.*

8 *Decimæ non assignatæ novæ Parochiali erectæ, ex antiqua Matrici Ecclesia dismembratæ non censentur*, & n.10.

9 *Amplia, etiam si in erectione novæ Parochialis dismembratum fuisset territorium ab Ecclesia Matrice, & quare?* vide in num seq.

10 *Decimę ob generalem territorii dismembrationem, ultra portionem ab Episcopo specialiter assignatam, dismembratæ non censentur.*

11 *Decimæ quod non fuerint dismembratæ in erectione novę Parochialis, probatur ex observantia, quod Parochus Ecclesiæ Matricis eas exegerit etiam in locis dismembratis.*

12 *Manutentio in exactione decimarum in locis dismembratis eo fortius datur Parocho, qui in possessione talis exactionis esse probatur.*

13 *Jus decimandi universale competens Parocho Ecclesiæ Matricis non probatur destructum, ex quo adsit alter Parochus de novo superventus exigens decimas sibi particulariter assignatas, sed exceptis iis, reliquæ decimæ ad ipsum spectare dicuntur.*

14 *Possessio exigendi decimas probata respectu aliquorum, extenditur etiam ad alios non* solven-

solventes, & vide casum, nec non amplia ut in num. seq.

15 *Possessio exigendi decimas universales, ubi aliquorum concurrit solutio, etiam si post erectionem novæ Curæ universaliter non exactæ apparerent, semper dicitur præservata, non obstante quocumque temporis lapsu; & quare?*

16 *Possessio negativa non solvendi decimas, quæ ex actibus negativis constituitur, numquam suffragatur, nisi ultra scientiam Parochi, etiam prohibitio cum acquiescentia concurrant.*

17 *Decimæ de jure debitæ, ubi deficiat consuetudo, ac speciale Breve Apostolicum, quod omnes Laicos universaliter eximat à solutione, semper ab istis debentur, non obstante quocumque temporis lapsu in contrarium.*

18 *Decimæ Sacramentales, & personales non debentur ab illis, qui Sacramenta in diversa recipiunt* Parochia.

19 *Decimæ quod sint prædiales, & non Sacramentales probatur, ex quo solutæ appareant, nulla habita proportione ad numerum personarum; sed intuitu bonorum possessionis.*

20 *Sententia, & testes allegabiles non sunt ad probandam dismembrationem juris decimandi, quando hæc versata fuissent in altera lite, & in diversis terminis super solutione decimæ reduplicatæ.*

21 *Parochus habet actionem fundatam super cura animarum pro exigendis decimis, & ob id documenta ab ipso adducta in quolibet probationum conflictu semper præferuntur.*

DECISIO MCCXCI.

Renuentibus nonnullis Hominibus Villæ Cantagalline, & Paterni, aliisque iisls consortibus persolvere Decimas Joanni Baptistæ Quatrano Parocho Ecclesiæ S. Mariæ Castri Paciani sub obtentu dismembrationis, & respectivè erectionis novæ Parochiæ pro majori commoditate dd. Villarum ab Episcopo factæ de anno 1624. in Ecclesia S. Mariæ de Strada; idem Parochus judicium contra dd Homines instruxit coram Vicario Generali Civitatis Plebis, à quo, licèt contrariam Sententiam passus fuerit, in gradu tamen Appellationis, prævia infirmatione Judicati de Partibus, obtinuit ab A. C. de Gentilibus mandatum de manutenendo in quasi possessione exigendi petitas Decimas.

Hoc judicatum à nonnullis Contradictoribus acceptatum fuit cum positiva litis renunciatione, alii verò, quamvis recusaverint acquiescere, obtinendo causam delegari nostro Auditorio, mediante commissione directa Reverendissimo Crispo, nihilominus intra terminum fatalium acta non transportarunt; proindeque moderata inhibitione coram Me, uti subrogato in locum dicti Reverendissimi Ravennaten., cum de meritis causæ iterum assumpta fuerit disputatio exquisitis Dominorum suffragiis sub consueto dubio -- *An constet de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum* -- In exclusionem secundæ partis, responsum accepi -- *Constare de re judicata.*

1 Siquidem de illa dubitari non potuit tanquam legitimè inducta ob neglectam intra biennium actorum transportationem, ad *Text. in Aut. Hodie Cod. de appellat., Scacc. de appellat. q. 15. art. 8. n. 119. & seq., Rot. in Romana Pecuniaria 13. Januarii 1719. in*

2 *princip. cor. R. P. D. Foscaro.* Legale autem subsidium restitutionis in integrum cum non admittatur absque læsione resultante, vel ex nullitate, vel ex injustitia præcedentis Judicati, harum profectò neutra visa est in casu concurrere, dum validitas non fuit in-

3 ter Partes controversa, justitia verò satis resultabat ex eo, quod antiquitùs ante erectionem novæ Parochiæ dicta Ecclesia S. Mariæ Castri Paciani spiritualem jurisdictionem habebat in dd. Villis, unde intentio Quatrani ejusdem Ecclesiæ Rectoris fundata erat in jure primævo, juxta quod ipsi, ejusque Ecclesiæ Parochiali, ac Matrici debitæ sunt Decimæ super fructibus Prædiorum existentium intra limites antiquæ Parochiæ, ad *Text. in cap. cum contingat, cap. in tua, & cap. Nobis de Decimis, Barbos. de Paroch. lib. 3. cap. 26. §. 2. n. 8., Rebuff. de Decim. q. 6. n. 6.*

4 *cum seq.* Et cum de facto in præteritum hæ Decimæ pacificè fuerint exactæ usque ad moderna tempora, in sequelam quasi possessionis, in qua Parochus reperitur, bene eidem data dignoscitur manutentio, quæ sub re judicata continetur, ut per *Text. in leg. retinendæ instit. de interdict.* tradit *Rot. in Ferrarien. Decimarum super manutentione 15. Februarii 1717. § final. coram R. P. D. Falconerio, & in Leodien. Decimarum super manutentione 15. Januarii 1720. in princip. cor. R. P. D. de Herrera.*

5 Absque eo quod jus exigendi dictas Decimas Rectori Ecclesiæ Parochialis Castri Paciani sublatum dici valeat ex d. erectione novæ Parochiæ facta in Ecclesia S. Mariæ de Strada cum dismembratione dd. Villarum ab antiqua Cura. Cum enim juxta tenorem d. novæ erectionis, & respectivè dismembrationis jus universale decimandi ab initio pertinens ad d. Parochialem Ecclesiam Castri Paciani non fuerit imminutum, nisi pro salmis quinque frumenti, aliundè proviso novo Rectore ex aliis redditibus; eo ipso, quod Quatranus Parochus d Castri non impugnat solutionem faciendam d. novo Rectori pro dd. salmis quinque, sed solum petit reliquas Decimas illi non assignatas, frustra profectò dd. Homines objiciunt de dismembratione, dum in hac materia receptissimum est, quod per novam Parochialis erectionem, Decimæ non transeunt ipso jure ad Ecclesiam Parochialem noviter erectam, quinimo minimè censentur dismembratæ, nisi de illis expressa mentio facta fuerit, ad *Text.*

Text.in cap.ad audientiam de Decim., *Spad.*
cons.83.n.3., *& per tot. vol.3.*, *Lotter.de re*
benef.lib.1.q.28. n.50., *Et ita ex mente Sacri*
6 *Concil.Trident.sess.21.cap.4.de reform.* decla-
ravit Congregatio ejusdem Conciiii Inter-
pres, ut notat *Fagnan. in cap. cum contigat*
n.29.à n.42.cum seq. de Decim, *Barbos.de*
Iur.Eccles.lib.3. cap.26.§.2.sub nu.19.in fine.
& sequuta est *Rot.in rec.dec.497.n.1. & seq.*
p.4.tom.1., *dec.213.n.4.p.17.dec.7. n.18.p.18.*,
& in Spoletana, seu Nullius Decimarum
3.Februarii §.Precipua, & 30. Aprilis 1708.
§.Talis namque cor.bo.me. Card.Priolo.
7 Quinimo, dum Episcopus in d. erectione
novo Rectori non assignavit ex fructibus Ec-
clesiæ Castri Paciani, nisi salmas quinque,
eo magis intrat regula, quod in reliquis jus
antiqui Rectoris fuerit præservatum, quod-
8 que Decimæ non assignatæ, ab atiqua Ecclesia
non fuerint dismembratæ, ut benè notat
Spad.d.cons.83.n.3.vol.3., *Rot.in rec.dec.419.*
n.4.p.4.tom 1., *dec.213.sub nu.8.*, *& dec.551.*
9 *sub n12.p17.*, etiamsi in erectione novę Paro-
chialis Ecclesiæ dismembratum fuerit Terri-
torium dictarum Villarum ab Ecclesia Ma-
10 trice, dum in generali Territorii dismem-
bratione non compræhenduntur Decimæ ul-
tra portionem ab Episcopo specialiter assi-
gnatam, *Fagnan. in d.cap.cum contingat n.*
49. de Decim, *Rot.in rec.d.dec.497.nu.6.p.4*
tom.1., *dec.437.n.9.cum duob.seqq.*, *& in di.*
cta Spoletana seu Nullius Decimorum 3.Fe-
bruarii 1708.§.Quoniam, & 30.April.1708
§.Talis namque cor.bo.me.Card.Priolo.
11 Potissimè quia, tam ex formalibus Testium
depositionibus, quàm ex pluribus descrip-
tionibus iactis in libris Decimalibus Eccle-
siæ Castri Paciani, recognitum fuit, etiam
post sequutam novam erectionem, Rectorea
dictę antiquioris Ecclesiæ exegisse Decimas
trans flumen *Tresæ*, & sic in Territorio Ec-
clesię S.Marię de Strada de novo erectæ. Ex
qua sanè exactionis continuatione, ac obser-
vantia in locis dismembratis, sicuti certius
eruitur, quod Decimæ ultra portionem no-
vo Parocho assignatam, in d. dismembratio-
ne verè non fuerint compræhensę; ad tradi-
ta per *Berti.cons.20.n.3.& seq. vol.1.*, *Spada*
cons.83.n.6.vol 3., *Rot.in rec. dec.497. nu.5.*
p.4.tom.1., *dec.351.num.10. p.17.*, *& dec.436.*
12 *nu.34. p.18.* Ita cum approbata remaneat
apud Parochum antiquæ Ecclesiæ specialis
etiam possessio exigendi in locis dismembra-
tis, absque dubio firmior remanet decreta
manutentio, *Posth.de manut.obser.73.n.154.*,
Rot.in rec.dec.484.n.2.p.3. cor.Duran., *dec.*
46.nu.2., *& in Gnesnen. Decimarum 26. Iu-*
nii 1715. § Idque cor.Emo Altban.
13 Quin obstare visum fuerit, quod Rei con-
venti reperiantur in libertate non solvendi,
nisi Decimam ab antiqua Ecclesia dismem-
bratam, ac aliam ipsis superimpositam in no-
va erectione. Hujusmodi enim solutiones fa-
ctæ novo Parocho circa ratam Decimæ, vel
dismembratę, vel auctę, iuvare quidem po-
tuerunt, ac possunt ad comprobandum in

Territorio dismembrato ius exigendi parti-
cularis Decimatoris, quoad ratam ipsi assi-
gnatam, sed minimè valent restringere fa-
cultatem universalis Decimatoris super exa-
ctione reliquarum Decimarum, quæ in Ter-
ritorii separatione dismembratæ non fue-
runt, ex firmatis per *Romaguer. ad constit.*
gerund.lib 3.tit.12.cap.2.n.40. & seq., *Card.*
de Luc.de Decim.disc.21.n.9.disc.54. num.5.
cum aliis per *Rot.in Imolen.Decimarum 4.*
Maii 1720. §.final. cor.R.P.D. Corio. Imo
14 ejus possessio probata respectu aliquorum,
extenditur etiam quoad alios non solventes,
ut benè tradunt *Posth.de Manut. d. observ.*
73. sub nu.154.& seq., *Marescott. var. resol.*
lib.1.cap.2.n.25.& seq., *Rot.cor.Seraph.decis.*
561. n.1.& 2., *& in Ferrarien. Decimarum*
super manutentione 23.Martii 1716. §.Con-
stabilito, & 15. Februarii 1717. §. Majori,
cor.R.P.D. Falconerio.
15 Idque procedit, etiamsi per longissimum
tempus post d.novam erectionem dd Rei
conventi aliàs non fecerint solutiones Deci-
matori universali; tum quia in re universali
cum magis attendatur causa actus, quam
exercitium non obstante quocumque tem-
poris lapsu, ubi concurrit aliquorum solutio,
possessio Decimatoris universalis satis dici-
tur præservata, *Felin.in cap auditis nu.16.*
de præscript., *Monet. de Decim cap.8. qu.2.*
num.32., *Rot. in Ferrarien. Decimarum 23.*
Martii 1716. §.Et tot cor.R.P.D. Falcone-
16 *rio.* Tum quia possessio non solvendi, quæ
constituitur ex actibus negativis, nunquam
suffragatur, nisi ultra scientiam Creditoris
concurrat etiam prohibitio cum acquiescen-
tia, *Card.de Luc.de Decim disc.14.num.14.*,
Rot in rec.dec.319.sub n.9., *& seq.p.17.& in*
Hillerden.Decimarum 9.Iunii 1706. §.Quę
17 *tamen cor.Emo Scotto.* Tum, & demum,
quia ubi, prout in casu, deficit consuetudo,
quæ omnes universaliter eximat à solutione
Decimarum, Laici absque speciali privile-
gio Sedis Apostolicæ ex quavis longæva
non solvendi libertate Decimas de jure de-
bitas nullo modo valent præscribere, ut do-
cet *Fagnan.in cap.aliquibus nu.10.& seq. de*
Decim., *Panimoll.dec.53.annot.1.n.15.& seq.*
& distinguendo casum à casu, optimè res-
pondit *Rot.in d. Ferrarien. Decimarum 23.*
Martii 1716. §.Attamen coram R.P.D.meo
Falconerio.

Firmata ex his justitia decretæ manuten-
tionis favore Parochi antiquioris Ecclesiæ
Castri Paciani, frustra oppositum fuit, quod
18 Decimæ, de quibus agitur, sint perso-
nales, ac Sacramentales, & propterea ad
illarum solutionem non teneantur illi, qui
hodie Sacramenta recipiunt in diversa Paro-
chia, ad *Tex.in cap.ad Apostol.*, *ubi Abb.*
n.4.de Decim., *Rot.cor.Bich.dec.48.num.19.*
cor.Priolo, dec.334. n.1.& 2.
19 Quod enim Decimæ, de quibus agitur
verè sint prędiales, satis resultare compertum
fuit ex modo solvendi in dd. Villis diu-
tissimè observato, dum in præteritum non

fuit solutum habita proportione ad majorem vel minorem numerum personarum recipientium Sacramenta, sed intuitu bonorum ab unoquoque possessorum, & ideo Cuppe sex frumenti fuerunt exactæ à non colentibus agros, nec retinentibus Boves, cuppæ octo à colentibus prædium medietatis mansi, & cuppæ duodecim à colentibus prædia magna, ut constitit, tum ex pluribus libris Decimalibus Ecclesiæ Castri Paciani, tum ex particula antiquæ Synodi, tum ex formalibus Testium depositionibus, ex quibus omnibus qualitas prædialis controversarum Decimarum abundè justificatur, ut in proposito firmavit *Rot.in.Camerinen.Decimarum 2.Iunii 1704. §. Sed Dominis, cum pluribus seq.cor.Emo Scotto.*

20 Quidquam in contrarium non obstantibus, vel antiqua Sententia contra Parochum d.Castri lata de anno 1635., vel Testibus tunc temporis contra eumdem Parochum productis; quia d. Sententia nil determinavit, aut decidit super puncto, an Decima esset prædialis, vel personalis intuitu Sacramentorum. Sed quæstio tunc agitata, unicè versata fuit circa solutionem Decimæ reduplicatæ, quàm Parochus à singulis exigere prætendebat secundum ipsam prædiorum multiplicationem; non autem in certa quota secundum diversam bonorum retentionem superius recensitam, & in his etiam terminis deposuerunt omnes Testes in dicto antiquo judicio adducti; undè nec dicta Sententia, nec Testes ullo modo allegari possunt ad destruendum jus, ac possessionem dicto Rectori Castri Paciani assistentem, ad *Text.in cap.in præsentia de probat. l.neque Natales C.eod.tit., Rot.in rec.dec.544. n.17. & seq.cor.Emer.jun.dec. 104.n.7.*

21 Et in omnem casum, cum Parochus Castri Paciani, tam ex jure primævo, quàm ex successiva dismembratione limitata ad solas cuppas quinque fundatam habeat intentionem pro exactione Decimarum prædialium, documenta ab ejus parte adducta in quolibet probationum conflictu semper præferenda veniunt, præsertim dum Parochus Ecclesiæ S Mariæ de Strada non est in causa, & nonnulli ex Contradictoribus liti renunciarunt, ut benè firmavit *Rot.in d.Camerinen. Decimarum 2. Iunii 1704. §. final. cor. Emo Scotto.*

SEGOBIEN. BENEFICII.

Ven. 20. Februarii 1722.

A R G U M E N T U M.

Beneficia Prothonotariorum Apostolicorum sunt Sanctæ Sedi reservata, etiam si isti de numero participantium non essent; nec non litteræ sub tali gratia expeditæ censentur ad evitandas expensas expeditionum, quæ decætero requirerentur.

S V M M A R I V M.

1 *Litteræ Apostolicæ justificatæ à Proviso sunt omnino exequendæ, & ex quibus dicantur justifi atæ* vide in n. seqq.
2 *Vacatio Beneficii probatur ex provisione de eo facta ab Ordinario.*
3 *Idoneitas ad effectum impetrandi Beneficium probatur ex litteris Apostolicis in forma gratiosa expeditis, prævia exhibitione testimonialium Ordinarii.*
4 *Valor Beneficii dicitur justificatus, quando apparet expressa ea summa, quæ fuit expressa in aliis provisionibus factis à S. Sede.*
5 *Beneficia Prothonotariorum Apostolicorum, etiam si non sint de numero participantium, sunt affecta, & reservata S.Sedi, & quomodo Prothonotariatus probetur,* vide in n. seqq.
6 *Prothonotariatus Apostolicus probatur ex sumpto litterarum in forma Brevis in Secretaria Brevium expedito.*
7 *Prothonotariatus præsumitur acceptatus pro consecutione Beneficii ad reparandas expensas in istius expeditione necessarias* declara hic, & in n. 9.
8 *Beneficia Prothonotariorum ut dicantur reservata, non requiritur susceptio insigniam, & juramentum fidelitatis præstitum,*
10 *Prothonotarius ut dicatur acceptasse gratiam, sat est, quod in unico tantum actu se Prothonotarium denominaverit.*

D E C I S I O MCCXCII.

Vacante per obitum Gundisalvi Perez in Parochiali Ecclesia S.Petri Villæ de Sepulueda simplici Beneficio servitorio nuncupato, fuit de illo in partibus ordinaria authoritate provisus Joannes Alphonsus Nunez de la Calle, & subinde in Curia a Sede Apostolica Franciscus Emanuel Cano, qui expeditis litteris, eisque præsentatis Ordinario Segobien., cum earum executionem neque ab eo, neque successivè à Curia Metropolitana Toleti obtinere potuerit, interposita opportuna appellatione, & transportatis actis, subscribi per Me curavit dubium -- *An litteræ Apostolicæ essent exequendæ* -- eoque hodie proposito in contumaciam alterius Partis servatis de Jure servandis pluris monitæ, & adhuc comparere non curantis, responsum fuit *litteras Apostolicas esse exequendas.*

1 Et jure quidem merito, nam litteræ præfatæ compertæ fuerunt in omnibus justificatæ tum respectu vacationis per obitum dicti
2 Gundisalvi ultimi Possessoris, dum de ea constabat ex ipsa provisione Ordinarii a Joanne Alphonso reportata, quæ contra ipsum plene probat, ut per *Text. in cap. per tuas de probat.*, alias dixit *Rota in Colceaten.Canonicatus prima lulii 1718.§.Præter-*

3 *termisso cor. R. P. D. meo Gamache*, tum respectu Clericatus, & idoneitatis Francisci Emanuelis, dum de istis luculentum prehibebant testimonium ipsemet Litteræ Apostolicæ in forma gratiosa expeditæ, prævia exhibitione Testimonialium Ordinarii, ut alias dixit *Rot. decis.* 583. *num.* 10. *par.* 4.
4 *rec.* tum denique respectu valoris, dum iste expressus fuit a Francisco Emanuele eo modo, quo expressus reperitur in aliis Provisionibus hujusce Beneficii à S. Sede Apostolica factis, & plenum effectum sortitis *Rot. dec.* 456. *n.* 4. *cum seqq. par.* 13. *& dec.*697. *n.*5. *par.* 17. *rec.*

5 His autem positis, obstare minimè poterat provisio præventivè facta ab Ordinario favore Joannis Alphonsi: cum enim Gundisaluus, per cujus obitum Beneficium vacavit, esset Prothonotarius Apostolicus, dispositio Beneficii ad S. Sedem pertinebat, tanquam reservati *in Extravag. ad Regimen de Præbend & Dignitat.*, & subindè in regula prima Cancellariæ, de qua late *Lotter. de re benefic. lib.* 2 *quæst.* 28. *n.* 43. *& sequen. & quæst.* 29. *num.* 1. *& sequen. Rot. coram Coccino decis.* 349. *num.* 1. *& coram Dunoz. Iun. dec.* 632. *num.* 2. *par.*16. in quibus omnibus firmatur, quod Beneficia possessa à Prothonotariis sunt reservata Sedi Apostolicæ, etiamsi illi non fuerint de numero Participantium.

6 Neque verò in dubium venire poterat, quin memoratus Gundisaluus hujusmodi dignitate polleret, tum quia de ejus concessione, & respectivè acceptatione luculenter constabat ex Sumpto Litterarum in forma Brevis expeditarum, quod sicuti in Secretaria Brevium non datur; nisi litteris revera expeditis *Rot. dicta decis.* 14. *nu.* 3.
7 *par.* 16., ità etiam facit præsumere acceptationem propter considerabilem impensam, quæ in ipsa expeditione requiritur, ut tradunt *Lotter. dicta quæst.* 28. *à num.* 91. *Adden. ad Buratt. decis* 706. *num.* 12. *Rot. d. decis.* 14. *num.* 4. *& sequen. par.* 16., itaut
8 non sit necesse probare, quod litteræ per actualem juramenti præstationem, & susceptionem insignium executæ fuerint, ut prosequitur *Rot. d. dec.* 14. *num.* 9. *par.* 16. *& coram Coccin. dicta decis.* 349. *num.* 3. *&* 4. *& coram Dunozzet. Iun. dicta decis.* 632. *num.* 4.

9 Et nihilominus in præsenti cessabat super hoc etiam quæcumque difficultatis umbra, quia ultra præsumptionem acceptationis ab expeditione gratiæ resultantem, concurrebat etiam in facto, quod Gundisaluus reverà emiserat solitum Juramentum, & professionem Fidei, semperque usus fuerat Insignibus dictæ Dignitatis, & se in pluribus actibus Prothonotarium denominaverat, quemadmodum deponebant plures Testes à Francisco Emanuele inducti, unde in his terminis de dicta acceptatione nullo modo ambigi poterat, cum ad hunc effectum sufficiat, quod quis sese in unico tantum actu Prothonotarium denominaverit, *Rot. decis.* 68. *n.* 6. *cor. Emer Iun.*

Et ita per contradictas &c.

ROMANA TESTAMENTI.

Lunæ 13. *Februarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Testamentum inter liberos ex sola naturali probatione paternæ voluntatis perficitur, nec alias ad sui validitatem solemnitates requirit, *ad terminos textus in leg hac consultissima* §. *ex imperfecto C. de testam*; secus vero inter extraneos; sustinetur etiam, quando relicta legittima filiis, nullus appareret scriptus universalis hæres, ad terminos *alterius textus in auth. novissima*; extranei vero, si tali in testamento essent admixti, quoad istos illud ex solemnitatum defectu corrueret, & quoad liberos, de paterna constito voluntate, sustineretur.

Quarta Maritalis pauperi debetur uxori, vel si cum tenui dote nupserit, quam in ea connumerare tenetur virtute *authentica Preterea*; ne mendicare cogatur.

SUMMARIUM.

1 *Testamenta, & mortuorum iudicia in irritum revocare indignum est.*
2 *Testamentum repertum in capsa scriptum, & subscriptum à testatore, quando, & ex quibus dicatur validum.*
3 *Testamentum inter liberos ex sola naturali probatione paternæ voluntatis perficitur; quid quid sit in testamento favore extranei*; amplia ut in num. 12. 15. 16. 19. & 26.
4 *Testamentum inter liberos, quando pater non viva voce, sed scripto suam explicat voluntatem, ut sit validum, temporis expressio requiritur, quo testamentum sit scriptum, nomina filiorum sint propria testatoris manu notata, & unciæ in quibus illos instituit, non per numerum, sed per extensum expressæ sint.*
5 *Testamentum non potest dici nullum, ex quo non jure insti tutionis pater solas fructuum partes filiis deservisset, si nullus alias scriptus hæres appareret*, & quare ? vide in n. seqq.
6 *Hæres in re certa institutus, cui universalis cohæres non datus sit, vel datus deserit, dempta mentione rei certæ, perinde habetur, ac si fuisset in tota institutus hæreditate*, & n 9.
7 *Amplia, quando non agitur de extraneo, sed de filiis in re certa institutis*, & quare vide in num. 9. & 16.
8 *Relictum filiis titulo particularis institutionis succedit loco legittimæ, quæ est quota pars hæreditatis.*
10 *Testamentum non irritatur, ex quo unum in*

in quota hæreditatis tantum instituatur, & alterum in reliquo.
11 *Testamentum, in quo, nullo dato universali hærede, certam fructuum partem pater filiis relinquat, validum est.*
13 *Testator dicitur instituisse hæredem, quando usus est directo verbo* vadino -
14 *Amplia, si suos filios pluries nominasset hæredes.*
15 *Solemnitates, quæ inter extraneos requiruntur, à jure remittuntur in testamento inter liberos.*
16 *Voluntas disponentis sat est, quod constet in testamento inter extraneos, ut subscribatur, etiam si deficiant verba solemnia.*
17 *Quærela de inofficioso testamento intrat, quando filiis nil est à patre relictum, secus, si quantacumque pars hæreditatis, quæ legittimam æquet, etiam si sit dilata ad tempus, vel consistat, in usufructu, & etiam Nepotes in testamento essent admixti*; declara, ut in num. sequenti.
18 *Relictum filiis, si ad legittimam non perveniat, de jure replendum est, donec ad ejus integram perveniat quantitatem, & omne reijcit gravamen, nec dilationem, aut conditionem ullam admittit.*
20 *Dispositio favore uxoris in testamento facto inter liberos ad formam legis* hac consultissima §. ex imperfecto *habetur prò non scripta, ex quo respectu uxoris uti extraneæ solemnitates requiruntur*, & num. 27.
21 *Amplia, ut id procedat etiam respectu exequtoris extranei, qui pro non scripto in tali testamento reputandus est*, & dicto n. 27.
22 *Testamentum factum ad tramites legis* hac consultissima *etiam respectu nepotum subscribetur*, & quare? ac n. 24.
23 *Nepotes veniunt sub nomine liberorum.*
25 *Testamentum factum ad tramites legis* hac consultissima *pari passu, quo se habet inter liberos, se habet ad pias Causas.*
26 *Testamentum ad tramites legis* hac consultissima *habet locum, etiam si filii essent inæqualiter instituti.*
28 *Quarta Maritalis debetur viduæ, quæ sint dote nupsit invim* auth. præterea, & num. 29.
29 *Amplia, etiam si, cum dote nupserit, quando fuisset exigua, quo casu cum mulier quartam suam dotem computare tenetur.*

DECISIO MCCXCIII.

Solemnem, ac nimis scrupulosam verborum observationem antiquo Jure in ordinandis testamentis præscriptam, cum in ultimo Pauli Morelli elogio Thomas alter ex filiis superstitibus neglectam esse animadverteret, irritum illud, nullumque declarari petebat virtute specialis commissionis ex rescripto Sanctissimi in devolutivo mihi directæ adversus sententiam a Congregatione particulari super ejus validitate præcedenter latam *appellatione remota*. Sed Dominis indignum putantibus, ob inanes observationes, irritas fieri tabulas, & judicia mortuorum juxta aurea verba *text. in l. quoniam indignum* 15.*cod. de Testam.*, placuit præcedentem sententiam in omnibus confirmare, atque ideo congruo dubio per me hodiè proposito, responderunt, *constare de re judicata*.

Omissa enim validitatis inspectione, quæ perperam pro parte Thomæ confundebatur, cum justitia sententiæ ceteroquin præclarè appareret ex revolutione actorū; pro eo quod ad merita causæ attinet, non dubium erat, neque cōtroversum in facto, quod defuncto Paulo, duobus superstitibus filiis, Dominico, & Thoma, paucis ab ejus obitu
2 diebus inventum fuerit folium in aula quadam, sive, ut vulgo ajunt *Baullo* sub duplici sera, & clave diligenter custoditum, ab ipso Paulo scriptum atque subscriptum, non laceratum, aut lituris fædum, sed in partibus maximè substantialibus integrum, ac nitidum, & formam privilegiati inter liberos testamenti in omnibus exhibens: nedum enim ejus dorso idem Paulus proprio caracthere inscripserat *Testamento fatto da me Paolo Morelli quondam Domenico unico*, sed etiam intus, præmissa divini nominis invocatione, atque adnotatione diei ibi *In nomine Domini, oggi a dì* 10. *Agosto* 1713.; statim sub initium declaraverat se ultimum concedere Testamentum per illa verba *Io Paolo Morelli figlio del quondam Domenico &c. fò questo mio ultimo Testamento*, & infrà scripturam complevérat illis aliis verbis *e questa è la mia ultima volontà in fede &c. Io Paolo Morelli mano*
3 *propria*. Quamobrem, cum ageretur inter liberos, & exhiberetur folium perfectam, & undique completam Patris voluntatem continens, nulla alia exigenda erat extrinseca solemnitas, quæ Jure communi in testamentis inter extraneos ordinandis præscribitur, cum peculiare sit privilegium Testamenti inter liberos, ut sola naturali probatione paternæ voluntatis perficiatur, juxta *Text. express. in l. hac consolatissima* §. *ex imperfecto cod. de Testamentis, & sæpè dixit Rot., & præsertim dec.* 475. *n.* 1. *coram Burrat., & in Romana fideicommiss.* 1. *Julii* 1699. §. *nam de voluntate coram clar. mem. Card. della Tremoille, & in Firmana Testam.* 26. *Aprilis* 1692. §. 1. *coram bon. mem. Card. Caccia, & 6. Maii* 1707. §. *agebatur cor Emo Scotto*.
4 Frustra vero Thomas plus æquo insistens litteræ alterius *Text. in* §. *nos igitur auth. de Testam. imperfect.* plus quoque contendebat in Testamento inter liberos adhibendas esse solemnitates, quatenus, ut in casu Pater voluntatem suam, non viva voce, sed scripto explicaverit: primum nempè quod exprimi oporteat tempus, quo Testamentum

tum scriptum est, deinde quoque filiorum nomina propria manu, atque uncias, in quibus scripsit eos hæredes, non signis numerorum significandas, sed per totas litteras declarandas, sicuti etiam cavetur in auth. quod sine cod. de Testamentis.

Etenim ex hisce solemnitatibus in testamento scripto etiam inter liberos adhibendis, jam Thomas ipse fateri cogebatur, & notam certi temporis, & nomina liberorum non per signa, aut notas arithmeticas, sed per totas litterarum consequentias à Paulo patre propria manu exarata fuisse, imò etiam
5 propria subscriptione confirmata, quod autem sudebat non uncias, aut hæreditatis quotam, sed solas fructuum partes filiis relictas fuisse, & quidem ex incerto tempore, & eorum vita durante tantum, & non jure institutionis, non ideò irritam reddere poterat adeò expressam Paternæ voluntatis dispositionem: enim enim ex ipsis testamenti verbis, præclare constaret, eundem Paulum non omninò filios præteriisse, sed Thomæ quartam fructuum partem, Dominico verò natu majori residuum reliquisse, eosdemque hæredes compellasse tum in ea parte, in qua eorum arbitrio commisit electionem Ecclesiæ, in qua ejus cadaver sepelliri deberet, tum in alia in qua adiecit onus piorum quorumdam legatorum, & nullum alium de cætero scripsisse universalem cohæredem; jam in dubium venire non poterat, quin ipsi pro dictis quotis à Patre designatis non in solis fructibus, sed in universa hæreditate hæredes scripti dicendi essent,
6 cum certi, & explorati Juris sit, quod institutus in re certa, si ei cohæres universalis nemo datus fuerit, vel datus defecerit, dempta mentione rei certæ, perinde habeatur, ac si in tota hæreditate fuisset institutus *l. 1. §. si ex fundo, l. quotis §. si duo, l. si alteriut, & l. Titius ff. de hæred. instituend., cum aliis pluribus concordantibus relatis apud. Mantic. de coniect. lib. 4. tit. 8. num 15. Bellon. de Jure acrescendi cap. 7. quæst. 7. & 8. per tot.*, & maxime quando
7 prout in casu, non agitur de extraneo, sed filiis in re certa institutis, in quibus, sicuti
8 relictum titulo institutionis particularis, succedit loco legitimæ, quæ est quota pars
9 hæreditatis, ità facilius ad se trahit totam hæreditatem, ut ex communi Doctorum opinione firmat *Bellon. d. quæst. 8. nu. 1. & 2., & quæst. 9. n. 2. & seqq.*

10 Sicuti igitur si Paulus quartam hæreditatis partem Thomæ, & residuum Dominico reliquisset, dubium non foret, quin plæne satisfactum fuisset formæ in *d. §. Nos igitur, & auth. quod sine præscripta*, ità neque in controversiam revocari debet, quin ratum,
11 validumque habendum sit Testamentum, in quo, nullo dato cohærede universali, idem Paulus certam fructuum partem filiis relinquit, ut in similibus terminis, articulo discusso, firmavit *Rot. in Firmana Testam. 6. Maii 1717. coram Emo Scotto*, cum de cætero, quo ad titulum institutionis atti-
12 net, omissa quæstione illa, utrum in Testamento inter liberos hæc formalitas servanda sit, eum ea servari non oporete placuerit Glossæ, quam Alexander vocat singularem in *authentica novissima Cod. de*
13 *inoffic. Testam.* exhuberat in casu, quod Paulus usus fuerit verbo *Vadino*, quod est verbum directum *Grat. discept. cap. 542. num. 23. 35. de Substit. part. 4 cap. 4. n 9.*
14 & quod plus est, filios suos hæredes pluries nominaverit, ad effectum, ut in dicta fructuum parte, & sic saltem in re certa eos
15 instituisse censeatur, cum non dùm in ultimis dispositionibus inter liberos, in quibus omnis extrinseca solemnitas speciali jure
16 remissa est, sed etiam in cæteris testamentis inter extraneos, quo ad formam institutionis attinet, amota quacumque solemnium verborum necessitate, satis sit de intentione, & voluntate disponentis per quæcumque verba liquere, ut ad litteram cavetur in *d. l. Quoniam indignum cod. de testamentis.*

17 Nihil obstante, quod d. quota liberis relicta fuerit decennio post obitum uxoris, & ad certum dumtaxat tempus, scilicet eorum vita durante, & cum onere fideicommissi, quodque demùm admixti fuerint inter filios etiam nepotes nascituri, imò ipsius Pauli Testatoris uxor, quæ extranea de jure censetur. Ut enim Domini animadvertebant, tunc solum filii iniquè se præteritos queri possunt, cum eis nihil omninò à Testatori-
18 bus in Testamento relictum est; sin verò quantacumque pars hæreditatis, vel res eis fuerit relicta, de inofficioso quærela quiescente, id, quod eis deest, usque ad quartam legitimæ partem repletur, licet non fuerit adiectum debere eam compleri, & ad ratam ejusdem legitimæ, quodcumque onus, dilatio, aut conditio ipso jure reijcitur, perindè ac si appositum non fuisset: juxta expressos, & litterales *Text. in §. hæc ità instit. de inoffic. Testam. l. omnimodo, & l. quæ nuper l. quoniam in prioribus, & l. scimus, §. Sancimus cod. eod titulo, & cæteris relatis, dixit Rot. in d. Firmana Testam. §. onera cor. Emo Scotto.*

19 Hoc autem posito, quatenus in Testamento inter liberos admixti fuerint extranei, utique, quoad istos dumtaxat pro nullo habebitur Testamentum, sed cæteroquin respectu liberorum, illud ratum, validumque manebit, ut disponitur in *l. Hac consultissima §. ex imperfecto cod. de Testam.*, Sed
20 hinc benè quidem inferri poterit quod ea, quæ à Paulo favore uxoris relicta fuerunt, pro scriptis habenda non veniant, ex quo uxor extranea est, & appellatione liberorum nullo pacto contineri potest, prout etiam quod datio exequutorii extraneorum pro non scripta censeatur, argumento *Text. de tutore loquentis in l. Pater ff. de confirmat. Tutor l. impeberet ff. de administr. Tutor.*, quo in proposito uti-

tur

tur *Donell. in l. hac consultissima §. Ex imperfecto cod. de Testam.*, non tamen etiam
3 argui potest, quod respectu nepotum ex filiis irrita sit ejusdem Pauli dispositio, pro eo quod modum legittimæ portionis excedit: nam quidquid dixerit *Barbat. cons.* 68. *lib.* 4., ea semper prævaluit opinio, ut que-
4 madmodum liberorum nomine, etiam Nepotes, & cæteri descendentes continentur, *l. liberorum ff de verb. signif*, ita pariter privilegium indultum Parentibus, qui inter liberos testati fuerint, concessum quoque censeatur, quatenus inter Nepotes, & ulterioris gradus descendentes disponant, etiamsi isti, de cætero, primum succedendi gradum, propter filios superstites, ab intestato non obtinerent, ut articulo plenè discusso, respondit *Rot. in toties laudata Firmana Testam §. quarta nullitas cum plurib. seqq. coram Emo Scotto.*

25 Jure igitur meritoque in præcedenti sententia Congregationis particularis validum, ratumque habitum fuit controversum Pauli Testamentū pro eo, quod attinet ad liberos, ac legata in piam causam, cujus idem est ac liberorum privilegium, ut in specie firmant DD. *in cap. relatum, & in cap. cum sibi de Testam.*, *Donell. in d. §. ex imperfecto cod. de Testam.* & alii communiter, idque etiam-
26 si filii non ex æquo, sed pro inæqualibus portionibus instituti fuerint, cum ejusmodi inæqualitas etiam in istis privilegiatis testamentis permissa sit, ex quo alias, si liberi essent per Patrem æqualiter instituendi, inutile redderetur privilegium ipsi indultum, dum filii tam in casu testati, quam in casu intestati semper ex æquo succederent, ut pluribus adductis concordantibus, benè prosequitur *Rot. in d. Firmana Testamenti, §. minus urget coram Eminentissimo Cardinal. Scotto.*

27 Et consequenter jure etiam meritoque suppleta usque ad justam mensuram legitima filiorum, demptoque ab ea quocumque onere, dilatione, aut conditione, in cæteris omnibus demandata fuit executio Paternæ voluntatis, præter quam in dispositis favore Uxoris, & denique commissa fuit legalis administratio, & executio multiplici Dominico natu majori, & ad pinguiorem hæreditatis partem vocato, perindè ac si executores extranei dati minime fuissent, cum, ut supradictum fuit, neque illis, neque uxori privilegium suffragetur, ad formam *Text. in d. §. ex imperfecto cod. de testamentis.*

28 Sed quia hoc pacto uxor superstes alimentis ad usum vitæ necessariis destituta remansisset, benè etiam in d. præcedenti sententia, post detractam filiorum legitimam, assignata illi fuit in usufructu quarta maritalis, quæ ex hæreditate viri prædefuncti semper mulieri debetur, quoties, ut in casu, sine dote nupserit ex celebri autentica præterea Codice unde vir, & Uxor, quam latè exornant relati per *bo. me. Ansaldum dec.* 54. *nu.* 40, minime subsistente, quod illa nupserit cum dote scut. 400 quia tale quid hactenus
29 probatum non fuit, & quatenus probaretur, nihil relevaret, quia ne uxor in dedecus benè transacti matrimonii mendicare cogatur, aut vilibus, ultrà ejus conditionem, se immiscere, receptum communiter est, ut etiamsi cum dote nupserit, sed ut in hypothesi, exigua, & impari ad necessaria alimenta sit, illi nihilominus maritalis quarta assignanda, cum hoc solum, ut in eam propriam dotem computare teneatur, ut docent scribentes in *d. auth. præterea Bald. in l. licet, cod. de Jur. dot. Alciat. cons.* 19. *nu.* 2., *Rot. post pacific. de Salvian. dec.* 174. *n.* 5. *& seq.*, *& num.* 11. *& seq.*

Et ita, omissis aliis pluribus quæstionibus extrà causæ necessitatem pro parte Thomæ promotis, responsum fuit, utraque Parte informante, & omnibus Dominis, speciali rescripto, suffragium ferentibus &c.

HOSTIEN., SEU CORANA FIDEICOMMISSI.

Lunæ 23. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio est confirmatoria alterius emanatæ sub die 22. Junii 1721

Substitutio volita à Testatore in casu, quo omnes instituti sine filiis moriantur, habet locum, etiamsi unus ex istis sine filiis decedat, ex quo pluralitas in singularitates resolvatur quando concepta non est per verba collectiva *si omnes*, sed per alia verba *si supradicti hæredes*, quæ distributivè intelliguntur, & id suadentes conjecturæ examinantur.

SUMMARIUM.

1 *Testator imperans, quod substitutus totam sibi adipiscatur hæreditatem, decedentibus gravatis sine filiis, censetur voluisse., quod multo magis succedat in parte unius tantum sine ipsis deficientis* amplia ut in num. 3.

2 *Substitutio post mortem omnium istitutorum, uno ex istis tantum deficente non purificatur, &* num. 7., limita ut in num. sequenti.

3 *Substitutio concepta non per verba collectiva* -- si omnes -, *sed per verba* si supradicti hæredes -, *potius distributivè, quam collectivè accipienda est, ita ut si unus tantum ex istis moriatur, in illius portione purificetur*, & n. seq.

4 *Amplia etiam si testator copula* Et *usus esset scilicet* instituendo Andream, Sebastianum, & Joannem Baptistam, *& unicum tantum considerasset casum, ac substitutio in tota hæreditate facta fuisset, quia singulis institutis sub eadem conditione substitutum apposuisse censetur.*

5 *Pla.*

5 *Pluralitas resolvitur in singularitatem ad beneficium substituti, quoties conditio purificatur in persona ultimi sine filiis defuncti.*

6 *Copula* Et *in dispositionibus fideicommissariis distributivè, non collectivè conjungit.*

8 *Substitutus, deficiente conditione in persona primi instituti post se filios derelinquentis, admittitur ad portiones cæterorum, qui sine filiis obiissent*, & vide casum.

9 *Limita, ubi, ultra proprietatem verborum resisteret etiam præsumpta defuncti voluntas, quia nempe superstit persona, quæ ex magis verisimili illius voluntate substitutum excluderet.*

10 *Substitutus excluditur à persona, quæ sit Testatori conjuncta, de ejus liberis, & prædilecta, nec non ultimo defuncto magis proxima, quam substitutus*, & num. 11. i ac amplia ut in num. 12.

12 *Substitutus in pari gradu Testatori conjunctus cum ultimo defuncto non excluditur, licet iste esset de liberis testatoris.*

13 *Substitutus nominatim non excluditur à successione in portione unius ex institutis sinè filiis decessi, & licet in conditione positi in reciproca, ex quo adessent filii alterius instituti*, amplia ut in num. 14. 15., & 17.

14 *Filii in conditione positi, ad terminos* text. in l. hæredis mei, *non excludunt substitutum in portione patrui.*

15 *Amplia, quando agitur de fideicommisso transversali.*

16 *Filii in conditione positi ex Statuto Urbis dicuntur dispositivè vocati*, & num. 18.

17 *Substitutus etsi nominatim, non habet locum in portione unius ex institutis cum filiis descendentis.*

18 *Filii in conditione positi dicuntur dispositivè vocati ad portiones propriorum parentum, sed non patruorum.*

19 *Substitutus nominatim non excluditur à portione unius ex hæredibus Institutis, & sine liberis decessi à filio alterius ex reciproce substitutis, ex quo d. reciproca sit inter primos hæredes ordinata, filii sint positi in conditione in ventre ipsius reciproca, & substitutio facta sit in tota hæreditate*, & num. 20.

21 *Substitutus nominatim non excluditur à portione unius ex institutis sine liberis decedentis ob conjecturas desumptas à voto conservandæ agnationis, & digressu ad plures substitutionum gradus, quando conjecturæ desumuntur ex parte probibitiva*, & quare.

22 *Reciproca linealis in portionibus obventis à principio ulteri ex primis hæredibus non oritur ex digressu ad plures substitutionum gradus, & voto consevandi bona in familia*, & quare.

DECISIO MCCXCIV.

Collatis invicem duabus intèr se contrariis decisionibus coram Me editis 6. Decembris 1720., & 22. Junii 1721., solidiora visa fuerunt fundamenta postremæ resolutionis; undè proposito congruo Dubio responsum fuit *standum esse in secundo loco decisis*.

Enim verò iterùm ponderato toto contextu Testamenti, sub quo obiit Demophons de Neriis, non obscurè ex ipsis
1 verbis apparebat ea mente defunctum fuisse, ut si aliquis ex tribus hæredibus primo loco institutis absquè filiis decederet, non alii in ejus portione succedere deberent, quam Sorores illius sic decedentis, & respectivè ejusdem Testatoris ex Bartholomeo Germano fratre Neptes tamquàm expressè, ac nominatim eo casu substitutæ ibi — *et si casus evenerit, quod supradicti hæredes sic ut supra descripti moriantur absque filiis legitimis, & naturalibus, tunc, & eo casu voluit, & mandavit succedere in dicta hæreditate infrascriptas ejus Neptes fœminas &c. videlicet Catharinam, Mariam, & Elisabetham, nec alias, aliter, nec alio modo*. Ac proindè cum duo ex hæredibus invitatis, nempè Andreas, & Sebastianus sine filiis decesserint, non videbatur ambigendum, quin prò eorum portionibus successio devoluta fuerit ad Elisabetham unicam tunc superstitem ex tribus nepotibus substitis juxta deducta per *Rot. dec. 137. num. 5. par. 13., & dec. 487. n. 1. par. 19. rec.*

2 Non obstat, quod substitutio Nepotum concepta fuerit in eum tantummodo casum, quo tres hæredes primo loco instituti omnes decederent sine filiis, quodque propterea cum Joannes Baptista alter ex eis decesserit, superstite Christina filia, conditio substitutionis defecisse videatur, juxta casum *Text. in l. cum quidam Cod. de impub., & aliis substit.*

Ut enim DD. maturè animadvertebant, objectio hujusmodi nec in antecedenti, nec in consequenti subsistit: non quidem in ante-
3 cedenti, quia Testator Neptes suas non substituit per verba collectiva *si omnes*, sed substitutionem concepit per illa alia verba *si supradicti hæredes*, quæ potiùs distributivè, & disjunctivè, quàm collectivè accipiuntur, itaùt resoluta absque ulla verborum resistentia pluralitate in singularitatem, sufficiat alterum ex hæredibus sine filiis decedere, ut substitutus ad ejus portionem admitti possit juxta *Text. in l. Lucius Titius 78. §. Caio ff. ad Trebell. quem Bart. ità summat si duo post mortem eorum restituere rogantur uno mortuo, statim prò parte competit fideicommissi petitio*, & consonant alii *Text. in l. fin. §. filium de legat. 2. l. falsa demonstratio §. fin. de condit, & demonstrat. l. 2. §. Sed si duo ff. de condit. infr.* Et in præcisis terminis substitutionis conceptæ per eadem verba si dicti hæredes decesserint respondit *Rota in Rom. fidei-*

fideicom. 11. *Januarii* 1706. §. *Fortiùs quid cor. bo.me. Muto.*

4 Absque eo quod contrarium sensum suadere possint, vel copula *Et* apposita inter hæredes primo institutos ibi -- *Andream Sebastianum*, *& Joannem Baptistam*, vel quod Testator unicum tantùm casum consideraverit ibi -- *tunc*, *& eo casu*, & infrà *non alias aliter*, *nec alio modo*, vel deniquè, quod substitutio non in parte, sed in tota hæreditate facta fuerit ibi -- *in dicta hæreditate*: nam hæc omnia minimè impediunt, quio verba substitutionis ita sint accipienda, ac si Testator singulis separatim sub eadem conditione substituisset, dum, & designatio unius casus sine aliqua discretione partium, & copula *&* coocurrebat etiam in hypothesi dd. legum, & præsertim in dicta *l. Lucius Titius*§. *Caio ibi Caii Sei*, *& Lucia Titia uti post ob'tum vestrum reddatis ff. ad Treb.*, *& in l.* 2. §. *sed si duo ibi* -- *Primus & secundus si mei erunt cum moriar ff. de condit inst.*

5 Et nihilominus ea placuit Interpretatio, quod pluralis numerus singularem geminaret, ut notant ibi communiter Scribentes, & præsertim *Bart. in sum. Cephal. conf.* 266. *num.* 59. *lib.* 1. *Rota dicta dec.* 487. *num.* 10., *& seq. par.* 19. *rec.*

6 Unde receptum quoqite fuit apud Doctores, & Tribunalia, quod dictio *&* inter diversas personas apposita non ster copulativè, sed disjunctivè, ubi agitur ut hic, de substitutione fideicommissaria, & non de vulgari. *Roco. disp. jur. cap.* 22. *num.* 12. *Rota coram Bichio dec.* 498. *n.* 16., *& in rec. d. dec.* 487. *n.* 9. *& dec. f.* 521. *nu.* 6., *&* 7. *par.* 19. *tom.* 2., quodque Clausula *non alias aliter*, *nec alio modo* in eodem discretivo sensu accipiatur *Fusar. de substit. quæst* 37. *n.* 59. 254. *Rota coram Seraph. dec.* 1190. *num.* 6.

7 Sed quatenus etiam hujusmodi verba collectivam locutionem inducerent, itaut substitutio periodè haberi deberet, ac si côcepta fuisset sub conditione *si omnes* sinè filiis de-
8 cederent, exindè tamen minime inferri posset, quod Elisabeth substituta admittenda non esset ad partem fratrum ultimo loco sinè liberis defunctorum, quia primus ex eis decessit Christina filia superstite: nam quamvis in hujusmodi circumstantiis verba substitutionis prima facie exigere videantur, quod conditio in personis omnium existat antequam substitutus admittatur; nihilominus quia absurdum foret, quem Defunctus totum habere voluit à petitione partis excludi, ea proindè invaluit Sententia, ut deficiente conditione in persona primi, substitutus tali casu admittatur ad portiones cæterorum, qui novissimi sinè filiis obierunt juxta celebre responsum *Papiniani in l. hæredes mei* 57. §. *Cum ità ubi Scribentes omnes ff. ad Trebell*, quod in similibus circumstantiis sequuta est *Rot. d. dec.* 487., *& dec.* 521. *per tot. par* 19. *rec.*, & aliis pluribus adductis in *dec. Causæ* 20. *Junii* 1721. *coram Me*.

9 Non attenta responsione, quod ab hujusmodi regula recedatur, ubi ultrà proprietatem verborum resistat etiam præsumpta Defuncti voluntas, quia nempè supersit Persona, quæ ex magis verisimili illius voluntate substitutum excludat juxta casum alterius *Text. in dicta l. penultima Cod. de Impuberum &c.* quem sic conciliari cum *d. l. Hæredes mei* notat utrobique *Bart.*, & post eum communiter Scribentes omnes.

10 Ad hoc enim, ut voluntas hujusmodi præsumi possit, duo omninò requiruntur, quę in casu dictæ *l. penult.* coocurrebant, primum nempè, quod Persona, quę superest sit de liberis Testatoris, & secundum, quod sit proximior, quam substitutus ultimo defuncto, sicuti ad explicationem dd. legum ex mente *Bartholi* benè præceteris advertit *Gloss. additionalis in dicta l. penult.*, & post eam, & alios antiquiores *Mantic. de Conject. lib.* 11. *tit.* 5. *num.* 19. *Rota dicta dec.* 487 *nu.* 13., *& seq.*, *& dec.* 521. *n.* 14. *par.* 19. *rec.*

11 Cum igitur Christina neque sit de liberis Demophontis Testatoris, sed ejus ex fratre Proneptis; nequè proximior Andreæ, & Sebastiano ultimo loco sine Prole defunctis, sed imo uno gradu remotior, quam Elisabeth illorum Soror, & substituta, jam de plano consequitur nullo modo casui præsenti congruere posse limitationem desumptam ex *d. l. penultima*, sed omninò procedendum esse cum alia *l. hæredes mei* §. *cum ità*,

12 in qua licèt Persona, quæ supererat esset de liberis Testatoris, quia tamen respectu ultimi defuncti non erat proximior, sed in pari gradu ab Intestato cum Claudiana substituta, non potuit illam excludere, quem admodùm notavit *Bart. in d. Ho* §. *Cum ità Cravett. conf.* 109. *num.* 3. *Mantic. de conject. dicto tit.* 5. *num.* 19. *cum aliis suse relatis in Tusculana fideicommissi* 11. *Decembris* 1716. §. *Hęc igitur in fin. cum. seq. cor. R. P. D. meo Cerro*.

13 Imò vero exindè quoquè oritur opportuna responsio ad aliam objectionem, quod nimirùm Christina sit de liberis primorum hæredum in conditione positis in reciproca inter illos ordinata: Nam, quod hæc circumstantia minimè sufficiat ad excludendam Elisabetham nominatim substitutam à portionibus fratrum novissimè sine filiis Defunctorum, preclarè ostendit lictera laudati *Tex. in* §. *Cum ita*, in quo non minus, quam in præsenti casu primi hæredes erant invicem substituti sub conditione si sine filiis ibi *fidei filiorum meorum committo*, *utsi quis eorum sinè liberis prior diem suum obierit*, *partem suam superstiti fratri restituat*. Uo-
14 de si hoc non obstante Claudiana substituta juxtà præsumptam à Papiniano Testatoris voluntatem prælata fuit filio quem alter ex primis heredibus priori loco defunctus reliquerat, licet in conditione posito in reciproca, non est utique in aden similibus circumstantiis à casu, & definitione dictæ le-
15 gis hoc nomine recedendum, dum præter-

tim

tim ibi agebatur de fideicommisso ascendentis, & hic agitur de fideicommisso transversalis, ut alias dixit *Rota dicta dec. 487. n. 14. par. 19. recen.*

16 Nec sanè quidquam interest, quod in casu dictæ legis filii in conditione positi censeri non poterant dispositive vocati, prout contingit in nostro propter censuram Statuti Urbis in *cap. 142. lib. 1.*, cui Corani, tamquàm in districtu positi citra ullam controversiam subijciuntur: Bene enim Domini ani-
17 madvertebant, quod aut dispositio Statuti deducitur ad effectum, ut Christina dispositive vocata censeatur ad portionem Joannis Baptistæ ejus Patris, & hoc nihil omnino conducit ad præsentem quæstionem, quia sive censeatur dispositive vocata, sive non, utroque casu æqualiter impedit, ne respectu paternæ portionis aperiatur locus substitutioni Elisabeth; Aut verò deducitur ad effectum, ut vocata etiam censeatur ad portiones Patruorum post ejus Patrem sine filiis Defunctorum, & hoc minime subsistit,
18 quià filii in conditione positi virtute Statuti censentur quidem dispositive vocati ad portiones Parentum, sed non etiam ad portiones Patruorum: Unde impossibile est, quod à Statuto trahi valeat argumentum aliquod prædilectionis, per quod Christina excludere valet a dictis portionibus Elisabetham nominatim, & expresse substitutam, ut pluribus allegatis concordantibus bene respondit Decisio Causæ §. *Absque eo quod coram Me.*

Quod si recurratur ad conjecturas, longe
19 etiam difficilius redditur assumptum: nam si loquimur de reciproca ordinata inter primos hæredes, aut de positione filiorum in conditione in ventre ipsius reciprocæ, aut etiam de asserta substitutione in tota hæreditate, istæ quidem conjecturę, si exhactenus deductis non sufficiunt ad effectum ex-
20 cludendi substitutam, longe profectò minus deservire possunt ad effectum includendi Christinam, & inducendi positivam illius vocationem, ut bene pariter responsum fuit in dicta ultima Decisione Causæ § *Non suffragantibus, & seqq.*

21 Si verò loquimur de digressu ad plures substitutionum gradus, & voto conservandæ agnationis, omissis pluribus responsionibus, quæ dari possent, & quæ dantur in *dd. Decis. 487., & 521. par. 19., & in ultima decis. Causæ*, duæ illæ prę omnibus exuberant, prima nempe, quod cum dictæ Conjecturę non aliunde desumantur, quam ex parte prohibitiva, in qua non minus, quàm in dispositiva Elisabeth Testatoris Neptis pręlative ad filios alienantium nominatim substituta reperitur, tantum abest, quod exinde oriatur argumentum aliquod vocationis illorum in portionibus Patruorum, ut potius ex opposito semper magis confirmetur prædilectio Elisabethæ substitutæ ad eorum exclusionem in quocumque casu tam obitus, quam alienationis, juxta magistrales *Decisiones 1281., & 1487. coram Seraph. quas laudat, & sequitur dicta ultima Decisio Causæ §. tollitque coram me.*

22 Altera verò, quod in omnem casum, quatenùs umquam à dispositis in casu alienationis, & fideicommisso conservatorio, inferri posset ad casum obitus, & fideicommissum restitutorium, adhùc tamen ex dicto digressu ad plures gradus substitutionum, ac voto conservandi bona in familia posset ad summum deduci prorogatio fideicommissi descensivi in singulis lineis trium hæredum institutorum, sed non etiam reciproca linealis in portionibus obventis à principio alteri ex primis hæredibus, ut ad rem prosequitur post *Ridolphin allegat. 92. num. 28., & sequen. d. ultima Decisio Causæ §. Utiquè*, cui DD. in reliquis relative se habuerunt.

Et ita utraque.

FOROLIVIEN. FIDEICOMMISSI FRANCISCI DE CORBICIS.

Veneris 27. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Secunda substitutio non subordinata, nec dependens ab eventu antecedentis substitutionis, neque per viam simplicis, & gradualis fideicommissi ordinata, antecedenti substitutionis gradu perempto, non evanescit, sed subsequens substitutus occupando gradum antecedentis correpti, per viam vulgaris anomalæ in compendiosa contentæ, subingreditur, prę sertim si testator etiam ad longissima tempora suæ agnationis conservationem transmiserit, masculis de masculis tantum admittendo, adeout nimis foret inverisimile, quod uno gradu perempto, ceteri quoque subsequentes ex caduci causa perirent.

Legatum, & Jura legittimæ quando, & ex quibus censeantur à fideicommittente adempta ad rem sequens refert.

SUMMARIUM.

1 *Cautbela Soccini potest servari a Patre, probibendi filiis detractionem legittimæ in testamento, in casu contraventionis suę voluntati, in legittima tantum eosdem instituendo.*

2 *Immissio non denegatur substituto fideicommissario in casu obitus instituti sine filiis, probatis extremis in Judicio legis* final. C. de edict. diu. Adrian tollen.

3 *Caducatio primi substituti non afficit gradus subsequenter vocatos, quando istorum substitutio non dependet ab eventu antecedentis, nec per viam simplicis, & gradualis fideicommissi.*

4 *Limita quando testator non per viam simplicis, & gradualis fideicommissi, sed sub indefinita commemoratione mortis primi substituti, secundum substitutum, & re-*

liquos per verba directa, aut saltem communia ad successionem invitavit, & quare & num.6.

5 *Compendiosa inducitur per indefinitam mortis commemorationem, quæ de sui natura, non modo fideicommissariam, sed etiam vulgarem continet.*

7 *Substitutus in secundo gradu non impeditur adire hæreditatem, ex quo ejus substitutio concepta appareat sub eo tantum casu, quod primus institutus proprietatem esset revera consequtus, & sine filiis decessisset, si testator prescriptis verbis usus non esset, sed verbis materialem tantum existentiam, vel non existentiam filiorum in conditione positorum denotantibus*; amplia, ut in n.8.

8 *Agnatio etiam in longissima tempora à testatore contemplata denotat, ut ordines substitutionum numquam ita connectere voluerit, ut perempto uno gradu, cæteri quoque subsequentes ex causa caduci perirent*, & n.9.

9 *Perpetuitas successionis volita præsumitur à testatore, quando tamdiu ex toto contextu testamenti eam contemplasse appareret, etiam si verba necessaria deessent.*

10 *Amplia, si testator exclusisset filiam nubentem cum extraneo, & casu quo cum uno ex suis agnatis nuberet, eam substitutam intelligeret.*

11 *Subamplia, quando tam institutis, quam substitutis detractiones prohibuisset, quæ omnia agnatitium fideicommissum secumferunt.*

12 *Masculi ex femina veniunt sub nomine filiorum, & descendentium masculorum juxtà Theoricam Fulgosi*; Limita ut in num. 13.

13 *Theorica Fulgosii non habet locum in fideicommissis agnatitiis.*

14 *Amplia, quando testator semper vocasset masculos ex masculis*, & quare?

15 *Masculi ex fæmina exclusi litteraliter in parte dispositiva, à fortiori in conditionali censentur, cum regulare sit, ut in conditione positum non censeatur nisi genus ipsum personarum in dispositione comprehensarum.*

16 *Amplia, si concurrit observantia per quam filia ipsius fideicommittentis se obligatam recognovisset ad restitutionem fideicommissi.*

17 *Hæres contra factum proprii auctoris venire prohibetur.*

18 *Legatum factum filiæ in casu, quo ad eam hæreditas non devolveretur, & non repetitum in alio opposito casu, quo illam assequeretur, censetur tacite ademptum, quando iste secundus evenisset casus, cum cessasset causa, ob quam factum fuit*; amplia, ut in n. 21.

19 *Dotis causa cessat, quando filia esset hæreditatem consequuta, & illa in casu non assequutionis ei fuisset à Patre constituta, ut condigne nuberet, cum pinguis patrimonii usus fructus locum congruæ dotis assumat.*

20 *Legitima non debetur filiæ, cujus detractio esset à fideicommittente prohibita, tam institutis, quam substitutis, eo quod tota hæreditas ad ipsam fuisset devoluta, cum illius causa cessasse dicendum sit.*

21 *Legatum filiæ à testatore relictum, altero hærede ex asse scripto à fortiori censetur à patre ademptum casu quo ista suam hæreditatem consequatur per obitum hæredis, si isto casu etiam masculis magis prædilectis legitimæ detractionem prohibuisset.*

22 *Legitima non debetur matri in luctuosa hæreditate filii in pupillari ætate decessi, quando Pater ei sic decedenti directe suum fratrem substituerit, tamquam directum ejusdem filii hæredem*, & quare?

23 *Pupillaris tacita, vel expressa verbis generalibus sub compendiosa contentis, arguitur, ex quo testator professus fuerit suum condere testamentum, & de suis bonis disponere.*

24 *Limita in substitutione verbis specialibus concepta, & sub expressa commemoratione pupillaris ætatis.*

DECISIO MCCXCV.

FRanciscus Senior de Corbiciis prelegatis Valeciæ filiæ honorabili Institutionis Jure pro Dote, & Legitima scutis quatuor millibus, in cæteris omnibus suis Bonis Hæredem ex Asse Instituit Joannem filium, & casu quo Joannes in pupillari ætate, vel alias quandocumque decederet sine filiis masculis, substituit illi in usufructu Polixenam Aleottam ejus Matrem, & in proprietate Vincentium de Corbicis Germanum fratrem; & si etiam Vincentius sine masculis decederet, & superstes esset Valecia filia, voluit, ut si nupta tunc fuisset Extraneo ab ejus successione arceretur, novo dumtaxat adiuncto Legato aliorum sc. 2000., si verò innupta adhuc foret, jussit, ut nuptias contraheret, prævia Apostolica dispensatione cum aliquo ex Filiis, aut Descendentibus masculis Philippi de Corbicis ejus Patruelis, & tunc ipsam vocavit ad universam Hæreditatem, eique substituit filios masculos ex hujusmodi Matrimonio natos, nepotes, pronepotes, & cæteros omnes descendentes masculos in infinitum, exclusis semper masculis descendentibus ex fœminis.

Sin autem ipsa Valeria nollet, aut non posset Matrimonium contrahere cum Proximiore Familiæ de Corbicis, aut nuptiis cum eo contractis sine filiis masculis ex tali Matrimonio natis decederet, in utroque ex hisce casibus voluit Testator, ut in universa ejus Hæreditate succederet memoratus Philippus ejus Patruelis, ejusque filii, & descendentes masculi per lineam masculinam, eaque deficiente, substituit pro medietate Thomam, & pro altera medietate Corbicem de Corbicis, eorumque filios

filios, & descendentes masculos cum reci-
1 proca inter ipsos lineali, ac tandem ejus dispositionem clausit cum strictissima prohibitione, nè filii, & hęredes tàm instituti, quàm substituti ullam omninò detractionem Legitimæ, Falcidiæ, aut Trebellianicæ prætendere possent, instituendo in casu contraventionis juxta celebrem cauhtelam à Soccino traditam ejus filios in sola legitima.

Defuncto Testatore, primus omnium in hæreditate successit Joannes ejus filius, per cujus obitum in ætate adhuc pupillari paulò post sequutum, delata Hæreditate quoad usumfructum Polixenæ Matri, & quoad proprietatem Valerię filię, ex quo interim, jam prædefunctus erat sine filiis Vincentius, ista Paternæ voluntati obsequendo, Matrimonium contraxit cum Joanne Antonio uno ex filiis memorati Philippi de Corbicis, sed quia nullum ex eo filium masculum, sed solum duas fœminas susceperat, quarum altera nomine Judicta nupta cum Joanne Saxi jam fato functa erat, relicto post se Comite Antonio Saxi ejus filio; Bene idcirco agnoscens se gravatam onere restituendi paternam Hæreditatem cæteris descendentibus masculis Phillippi de Corbicis, separavit ex eadem Hęreditate Bona valoris scutorum sex millium in Causam Prælegatorum sibi à Patre relictorum, & in his, ac cæteris aliis Bonis ejus propriis universalem sibi Hæredem instituit Antoniam alteram filiam superstitem, quæ maternam hujusmodi dispositionem solemniter acceptavit.

Verum cum hoc non obstante exorta subindè fuerit contentio super restitutione d. Fideicommissi à Francisco instituti inter Phillippum Juniorem nepotem ex filio memorati Philippi de Corbicis Patruelis Testatoris Actorem ex una, & dictam Antoniam Valeriæ hæredem, ac Comitem Antonium de Saxis Reos conventos ex latera parte, causa per viam Compromissi supposita fuit Judicio hujus nostri Tribunalis, undè Ego de more subscripsi Dubium -- *An sit danda Immissio ad Bona Francisci, seù potius competat retentio*, eoque hodie proposito, DD. quoad primam partem *Affirmative*, quo vero ad secundam *Negative* responderunt.

2 Et quod attinet ad primam, cum Franciscus Testator in casu obitus ipsius Valeriæ sine filiis masculis expressè vocaverit Phillippum ejus Patruelem, ejusque filios, & descendentes masculos, non videbatur controverti posse, quin purificata prædicta conditione per obitum dictæ Valeriæ sine filiis masculis, danda esset Immissio Actori sine dubio descendenti per lineam masculinam à dicto Philippo de Corbicis, *Vulgat. leg. final. Cod. de Edict. Div. Adrian. tollen.*, de qua *Rot. dec. 137. num. 4. part. 13.*, *& decis. 607. num. 1. part. 19.*, *& in Romana Primogenituræ de Nunez* 18. *Martii* 1718. *Non quidem coram R. P. D. meo Falconerio*.

3 Absque eo quod obstare posset, quod caducato per obitum Vincentii primo gradu substitutionis, in causam caduci paritèr ceciderint omnes subsequentes gradus, ac proindè fideicommissum in persona Joannis primi hæredis expiraverit; ut enim DD. benè animadvertebant, tunc objectum procederet, quando substitutio Valeriæ fuisset subordinata, ac dependens ab eventu antecedentis substitutionis per viam simplicis, ac gradualis fideicommissi, quo casu, perempto gradu antecedenti, subsequentes quoque perimi necesse est, *ad tradit. per Rot. dec. 202. num. 18.*, *& seq. part. 8. Recent.*, *& in Romana Fideicommissi de Alverii super reservatis* 19. *Junii* 1711. §. *Perperam cum seq. cor. Rmo Crispo*.

4 Numquam verò, quando Testator, prout in casu, non per viam simplicis, & gradualis fideicommissi, sed sub indefinita commemoratione mortis primi substituti secundum, & reliquos per verba directa, aut saltem communia ad successionem invitavit; in his enim terminis, sicuti per hujusmodi in-
5 definitam mortis commemorationem inducitur compendiosa, quæ de sui natura non modo fideicommissariam, sed etiam vulga-
6 garem substitutionem continet, ità subsequens substitutus, occupando gradum antecedentis correpti succedit primo Instituto per viam vulgaris Anomalæ in dicta compendiosa contentæ, juxta celebrem *theoricam Bart. in leg. Quamdiù num. 10. ff. de acquir. Hæredit.*, quam passim sequitur *Rot.*, & signanter *coram Bichio dec.* 548. *num.* 7., *& seq.*, *& in Recent. dec. 12. num. 19.*, *& seq. part. 10.*, *& in Ferrarien. Successionis super Immissione* 29. *Novembris* 1715. §. *Sicut coram Me*, *& in Forlivien. Immissionis* 9. *Decembris* 1718. §. *Parùque cor. R. P. D. meo de Gamachet*.

7 Neque fanè contrarium suadebant verba illa -- *E mancando ancora il detto Signor Vincenzo Erede proprietario &c. in tal caso solamente &c. se sarà viva in tal tempo la Valeria mia figliola &c. succeda pienamente nella mia Eredità*, -- quasi quod Testator substitutionem Valeriæ conceperit sub eo tantùm casu, quo Vincentius primus substitutus proprietatem hæreditatis ipsi relictam revera consequutus fuisset. Siquidem inspecto, ut par est toto contextu dictæ substitutionis, præclarè apparebat, quod Franciscus Testator præscriptis verbis usus non fuerat ad effectum constituendi simplex graduale fideicommissum à Vincentio in Valeriam, sed cateris adhibuerat verbum illud -- *Proprietario*, *cum nominavit Vincentium*, quia ipsum in sola proprietate filio substituerat, reservato Polixenæ Matri universali usufructu, & eatenus subdiderat dicta alia verba -- *In tal caso solamente*, *e non altrimente*, -- quia voluit, quod Valeria succedere nequiret nisi eo tantùm casu, quo memoratus Vincentius sine filiis masculis obiret, ibi -- *E morendo*

do ancora il detto Signor Vincenzo erede proprietario senza figli maschi &c. in tal caso solamente, e non altrimente &c. -- Quamobrem cum ea verba dumxaxat respiciant materiale factum existentiæ, vel non existentię filiorum in conditione positorum, dummodo hujusmodi conditio purificata fuerit apta non sunt impedire successionem Valeriæ, sed illi potius locum aperiunt, sive Vincentius ante, sive post quęsitam Hæreditatem sine filiis decesserit, ex adductis per *Rot. dec. 37. num. 14., & 15., & dec. 149. num. 11., & 12. part. 7., & in Romana, seu Forolivin. Fideicommissi 6. Maii 1720. §. Præcognita coram R. P. D. meo Foscaro, & 28. Novembris 1721. §. Nec ponderis coram R. P. D. meo Falconerio.*

8 In hunc autem sensum, eo facilius DD. convenerunt, quia ultra naturalem, ac directam verborum significationem visa fuit eidem suffragari veresimilis Defuncti Voluntas; cùm enim ex toto Testamenti contextu præclare appareat, ipsum in tot, ac diversis Substitutionum gradibus constituendis, nil aliud in obtentu habuisse, quàm perpetuo, & in remotissima tempora Agnationis conservationi prospicere. Nimis profecto alienum ab hujusmodi voto fuisset tot Substitutionum Ordines ita simul colligare, & connectere, ut perempto uno gradu, cæteri quoque subsequentes ex causa caduci perirent, quamobrem in his terminis rece-
9 ptum communitèr est, ut quatenus etiam verba omnino deficerent, nihilominùs ut voluntati Testatoris inserviatur, ea capi debeat interpretatio per quam perpetuitas successionis adeo enixe volita inter Agnatos à quocunque casuali eventu peremptionis unius gradus, salva, & incolumis maneat, ut relatis antiquioribus firmat *Peregrin. de fideicomm. art. 15. num. 5. Rota in recen. dec. 134. num. 4. part. 7., & in Firmana Fideicommissorum 31. Januarii 1720. §. In qua dispositione, & sequen. coram R. P. D. meo Falconerio, & in Romana, seù Forolivien. Fideicommissi 6. Maii ejusdem anni §. Undè coram R. P. D. meo Foscaro.*

Id, quod benè agnoscentes tàm Antonia, quam Comes Saxius Rei Conventi, præcipuam eorum defensionem constituebant in submovenda ab hoc Fideicommisso qualitate agnatitia, desumentes exinde, vel quod Substitutiones omnes in Causam caduci ceciderant propter caducationem primi gradus Vincentii, vel saltem, quod si illæ saluæ ea non obstante remanserant, adhùc locus apertus non foret Substitutioni Philippi, & ejus Descendentium, dum supererat in Linea Valerię memoratus Comes Saxius ejusdem Nepos ex dicta filia prædefuncta.

Irritus tamen, & inutilis visus fuit etiam
10 in hac parte eorum conatus. Ponderantibus namque DD., quod Franciscus Testator in tot diversis Substitutionum Ordinibus agnatos ubique vocaverat, quod Valeriæ Filiæ, Vincentium Fratrem, ejusque Filios, ac Descendentes Masculos prætulerat; quod eodem Vincentio sinè Filiis Masculis defuncto, ipsam Valeriam irrevocabiliter à successione excluserat si nupta esset, vel nubere voluisset Extraneo, & solum eo casu, quo posset, ac vellet Matrimonium contrahere cum Agnato proximiore illam, ejusque filios, ac Descendentes Masculos per lineam Masculinam, ex tali Matrimonio progenitos ad successionem invitaverat, exclusis semper Masculis ex Fœminis, quodque de-
11 mum tàm Filiis, quam reliquis omnibus institutis, ac respective Substitutis quascumque detractiones interdixerat etiam legitimæ, & Trebellianicæ: hæc inquam omnia simul ponderantibus DD. visum fuit, ne in dubium quidem venire posse, quin Fideicommissum hoc modo institutum censeri deberet stricte, ac rigorose Agnatitium, ad ea, quę tradit *Card. de Luc. de Fideicommiss. disc. 34. num. 9. Rot. in Urbanien. Fideicommissi 13. Februarii 1716. §. Contemplatione coram Reverendiss. Crispo, & in Fanen. Fideicomm. 9. Januarii proximè præteriti cor. Me.*

12 Quidquam non obstantibus verbis illis partis conditionalis - *E morendo la sopradetta Valeria senza Figlioli, ò Descendenti Maschi* -- sub quibus Comex Saxius contendebat ex propria, ac naturali significatione venire etiam masculos à Valeria Descendentes per medium Fæminæ, juxta vulgatam Theoricam à Fulgosio desumptam ex *Text. in §. Si quis igitur Auth. de Hæredib. ab Intestato venientibus in ejus Celebri Consil. 85.*: prompta enim occurrebat responsio,
13 quod illa locum non habet in Fideicommissis strictè agnatitiis, in quibus absurdum esset cognatos admittere in exclusionem agnatorum, ut ad limitationem dictæ Theoricæ passim dixit *Rota, & signanter in dec. Rom. Primogeniture de Bubolo 4 Junii 1717. & & in d. Fanen. Fideicommissi 9. Ianuarii proximè præteriti §. Quin diei possit, & seq. coram Me.* Et multo minus, quando, prout
14 in præsenti Testator in parte dispositiva expresśe protestatus fuit se intelligere de Masculis ex Masculis, exclusis semper Masculis ex Fæminis ibi -- *Intendendo sempre Maschi di Maschi, e non Maschi di Femine*. In his enim circumstantiis, cum regulare sit,
15 ut in conditione positum non censeatur, nisi genus ipsum Personarum in dispositione comprehænsarum, violenta nimis, & irrationabilis redderetur interpretatio per quam Masculi ex Fæminis Descendentes in parte dispositiva litteraliter exclusi in conditionali admitterentur juxta deducta per *Rot. in Romana, seù Cesenaten Fideicommissi super reservatis 24. Aprilis 1705. §. Superaddendo, & in Narnien., seù Sabinen. Fideicommissi 13. Februarii 1713. § Atque huic coram bo. me. Ansaldo.*

16 In tanta igitur rei claritate opus minimè su-

fuisset confirmationem ab observantia desumere, & nihilominus cum sæpedicta Valeria Mater, & Auctrix Antoniæ unius ex Reis Conventis, tam in actu, quo nuptias contraxit cum uno ex filiis Philippi de Corbiciis, quam occasione divisionis, ac separationis Bonorum celebratæ cum Polixena ejus Avia, & denique in ultimo ejus Testamento expressè fassa fuerit sese gravatam esse ad restitutionem Pernæ Hæreditatis favore Descendentium Masculorum ex eodem Philippo Seniore de Corbicis, adeò qualificata visa fuit hujusmodi observantia, ut omnino prætermitti non posset,& maximè contrà Antoniam, cui nullo modo licet coo-

17 tra factum Matris venire, nedum quia est ejus hæres, ut per *Text. in leg. cum à Matre C. de rei vindicat.*, alias in proposito dixit *Rota in Bononien. Fideicommissi de Ghisleriis* 11. *Decembris* 1713. §. *In idem coram me*, verum etiam quia Maternam dispositionem solemniter, & expressè acceptavit *Cap. quod semel de regul. iur. in* 6. *l. Pompeius ff. de negoc. gest.*

18 His itaque positis, tota causæ difficultas reducebatur ad geminas detractiones, pro quibus juxta secundam dubii partem contendebat Antonia Valeriæ hæres sibi retentionem competere : verum quod attinet ad primam, nempe legatum scutorum quatuor millium eidem Valeriæ relictum, quamvis controverti non posset, quod Testator illi dictam summam legaverit, in casu, quo hæreditas penes Joannem filium, aut Vincentium fratrem, eorumque filios, ac descendentes masculos permansisset ; quia tamen hujusmodi legatum repetitum non fuit in alio opposito casu, quo contingeret Valeriam universam assequi hæreditatem, DD. sequentes magis verisimilem Defuncti voluntatem censuerunt illud adimendi animo repetitum non fuisse, cum propter hæreditatis assequutionem cessaret utraque causa dotis, & legitimæ, quæ Defunctum impulerant ad legandum ; quod sanè sufficit, ut legatum tacitè censeatur ademptum, *l. qui tutelam in princip. ff. de Testam. Tutel. l. Lucius* 4. *ff de leg.* 2., *Card. de Luc. de Fideicom. disc.* 211. *sub n.* 2., *Rot. dec.* 19. *nu.* 7. *cor. Pænia*, *& dec.* 256. *n.* 2. *p.* 15. *rec.*

19 Ac primò quidem per assequutionem universæ hæreditatis cessabat causa dotis ; nam sicuti dicta summa scutorum quatuor millium omnino necessaria erat, vel saltem valde congrua, ut Valeria Virum paris conditionis invenire posset in hypothesi, quod fuisset à paterna hæreditate exclusa ; ita è contrario reddebatur omnino incongrua, & inutilis dato opposito casu post delationem plenæ successionis transferendæ in domum Viri, & in filios ex tali matrimonio procreandos, cum in his circumstantiis pinguis usufructus patrimonii fideicommissarii locum congruæ dotis assumeret, *Rota in Maceraten. Fideicommissi* 26. *Maii* 1704. §. *Quin cor. bon. mem. Molines*, *& in Firmana Dotis*, *& Alimentorum* 27. *Junii* 1718. §. *Eoque cor. Me*, *& magis in specie Card. de Luc. de Fideicommiss. dict. disc.* 211. *per tot.*

20 Præterea in casu delatæ universæ hæreditatis cessabat etiam in Valeria ratio, & causa legitimæ, quæ illi opportunè relinquebatur in casu exclusionis, cum enim Testator filiis, & hæredibus tam institutis, quàm substitutis expressè prohibuisset quamcumque detractionem, & præsertim legitimæ, ac Trebellianicæ servata celebri cauthela *Soccini*, de plano consequebatur, quod statim, ac Valeria paternam hæreditatem assequuta fuit, inciderat in dictam prohibitionem quidquam detrahendi ex causa legitimæ, dum illa tamquam directa in filios, & hæredes tam institutos, quàm substitutos, verificari nequibat de solo Joanne, sed necessariò referenda erat etiam ad Valeriam, ut ratio pluralis loquutionis exigebat *Bich. decis.* 117. *n.* 5., *& cor. bon. mem. Benincasa dec.* 207. *n.* 7.

21 Imo verò ex hujusmodi prohibitione aliud quoque validissimum oriebatur ademptionis argumentum ; nam si Testator Joannem filium prædilectum nihil, ultra commodum universæ hæreditatis habere voluit, interdicta quacumque legali detractione : utique certius dicendum erat idem voluisse respectu Valeriæ filiæ sine dubio minus dilectæ, cum aliàs acerbum fuisset, & absonum, quod filia consequeretur legatum scutorum quatuor millium omnino immune à quacumque restitutione Fideicommissi. Filius verò nec legitimam quidem detrahere valeret: unde ad servandam saltem inter eos æqualitatem, legatum censeri debet tacitè à filia ademptum, juxta bonum *Text. in l. Alteri. ff de adim. legat. Mantic. de conject. lib.* 12. *tit.* 2. *n.* 13.

22 Hinc igitur transeundo ad aliam detractionem pro legitima, quam Antonia contendebat debitam fuisse Judictæ Gabellotæ in luctuosa hæreditate Joannis ejus filii in pupillari ætate prædefuncti, facilè admodum DD. convenerunt in sensu denegandæ pro ea retentione Cum enim Franciscus Testator Joanni filio in pupillari ætate defuncto directè substituerit Vincentium fratrem ibi -- *E morendo lui nell' età pupillare*, sicuti per hæc verba inducta censetur substitutio pupillaris expressa, ita de plano consequitur, ut exclusa Matre à luctuosa filii hæreditate, omnia ejus bona, & sic etiam legitima eidem debita in bonis Patris in substitutum transferantur, tanquam directum pupilli hæredem, ut articulo discusso aliàs firmavit *Rot. cor. Dunoz. jun.*, *dec.* 414. *n.* 1. *& seq.*, *& in Ferrarien successionis super legitima* 29. *Novembris* 1715. §. *Nec propterea coram Me.*

23 Minimè obstante, quod Testator professus fuerit suum condere Testamentum, & de suis bonis disponere, unde arguebatur ipsum voluisse non pupillariter, sed per Fideicommissum dumtaxat filio substituere ; bene

bene enim respondebatur, quod hujus generis conjecturæ, & argumenta admitti quidem possunt, quando agitur de pupillari tacita, vel de expressa verbis generalibus sub
24 compendiosa contenta; secus verò, quando, prout in casu substitutio concepta est verbis specialibus, & sub expressa commemoratione pupillaris ætatis, ut post *Bart.*, & alios antiquiores distinguunt in proposito *Mantica de Conjectur. lib.5. tit.7. num.13.*, *Card.de Luc.de Fideicomm.disc.124 sub n.2.*, *Rot.in d. Ferrarien. Successionis §. Absque eo, quod cor Me.*

Et ita &c. *Omnibus DD. unà mecum suffragantibus.*

FOROLIVIEN. FIDEICOMMISSI POLIXENÆ DE CORBICIIS.

Lunæ 2. Martii 1722.

ARGUMENTUM.

Nepotes ex filiis masculis dicuntur etiam vocati, eo ipso, quod Testator ad tam longæva tempora, & agnationis conservationem respexit, ut filii naturaliter mortui eo tunc essent præsumendi, quo casu verba ejusdem sunt benigna interpretatione adjuvanda, præsertim, si se retulerit ad testamentum filii prædefuncti, in quo litteraliter nepotes essent vocati.

Tacita legitimæ prohibitio in fideicommisso particulari substinetur: secus in universali, in quo expressa requiritur. Trebellianica, filiis primi gradus exceptis, in perceptione fructuum fideicommissi remanet absorta.

SUMMARIUM.

1 *Voluntas Testatoris, præsertim in dispositionibus fideicommissariis, omnino spectanda est, quamvis expressa vocationis verba deficiant.*
3 *Nepotes quod dicantur vocati ad substitutiones post filios arguitur, ex quo Testator duo tempora respexisset, in quorum secundo elusoria esset substitutio filiorum, eum vivi eo tunc esse non possent.*
4 *Amplia si in omnibus aliis substitutionibus tam antecedentibus, quàm subsequentibus vocasset filios, nepotes, & pronepotes usque ad tertiam generationem, & n.6.*
5 *Extensio Fideicommissi ex identitate rationis, & ex conjecturata mente defuncti fit, scilicet, si iste voluisset, ut bona illuc redirent, unde sibi à principio obvenerant.*
7 *Testamenti una pars ab altera declaratur.*
8 *Nepotes ut dicantur vocati, verba non sunt supplenda ex tota dispositione, sed potius benigna interpretatione adjuvanda, præsertim si Testator se retulisset ad testamentum alterius, in quo illi fuissent vocati.*
9 *Fideicommissum progressivum amplectitur simultaneè patrem & filium.*
10 *Fideicommissum, ut dicatur progressivum, multum defertur facto, & declarationi primi hæredis, qui bene conscius de Fideicommittentis voluntate præsumitur*; amplia, ut in n.11.
12 *Masculi ex fœmina nunquam vocati dicuntur, quando Testator masculos ex masculis semper nominasset.*
13 *Legitima debetur nepti successæ in locum Patris prædefuncti in bonis aviæ, sicuti deberetur Patri.*
14 *Fideicommissum ex quibus dicatur particulare, ad effectum impediendi detractionem legitimæ à Fideicommittente prohibitam.*
15 *Detractio legitimæ, ut dicatur prohibita ex Fideicommisso universali, non sufficit probatio ex verbis generalibus elicita.*
16 *Non impeditur ex simplici exceptione turbiditatis, vel præsumptione consumptionis.*
17 *Amplia, ut neque ex sola omissione inventarii.*
18 *Trebellianica consumitur in fructibus longo tempore perceptis, & hæc regula fallit solum quoad filios primi gradus*, & n.20.
19 *Filia in locum Patris prædefuncti subingressa fruitur privilegio filiorum primi gradus.*
20 *Nepotes ex filio prædefuncto in locum Patris ab avo, vel avia non considerati, fructus de bonis fideicommissariis perceptos in causam trebellianicæ imputare tenentur.*

DECISIO MCCXCVI.

UNa cum fideicommisso Francisci de Corbiciis, de quo latè actum fuit in Decisione edita coram Me sub die 27. Februarii nuper elapsi, suppositis de consensu Partium judicio Sacræ Rotæ etiam aliis duobus à Polixena, & Antonia se d re pariter de Corbiciis institutis, proposui in præsenti audientia gemina alia dubia complexiva prætensionum utriusque Partis; & DD. singillatim unicuique eorum respondendo, quoad attinet ad primum, rescripserunt -- *Dandam esse immissionem ad bona Polixenæ, & competere retentionem pro legitima tantum.*

Ratio decidendi quoad priorem rescripti partem desumpta fuit ex supremo Polixenæ elogio, in quo instituta ex Asse herede Valeria nepte ex Francisco filio prædefuncto, eique substitutis filiis, nepotibus, ac pronepotibus masculis, casu quo eadem Valeria absque filiis obiisset, seu quandocumque defecisset ejus linea masculina, universam hereditatem in duas bonorum species segregavit, ac divisit, & in altera earum, nempe bonis dotalibus & extradotalibus proprios consanguineos, & deinde quędam
1 loca pia. In altera verò, nempe in bonis sibi obventis ab hæreditatibus filiorum prædefunctorum, substituit Philippum seniorem de Corbiciis, ejusque filios; unde sequebatur, quod defuncta memorata Valeria sine filiis

filiis masculis, successio in d. secunda bonorum specie necessariò adjudicanda erat Philippo juniori nepoti masculo d. Philippi senioris ex Scipione filio prædefuncto, ut aliàs dixit *Rota in Romana Immissionis 24. Maii 1701. §. Positoque cor. bon. mem. Ansaldo, & in Romana, seu Interamnen. fideicommissi de Ferrentillis 10. Maii 1717. §. Patet coram R. P. D. meo Falconerio*, & sæpè alibi.

2 Absque eo quod vocationi Actoris impedimento esse posset, quod Testatrix substituerit quidem Philippum seniorem de Corbicis, ejusque filios masculos, non verò nepotes, in quorum gradu, & numero est Actor; nam ut bene DD. animadvertebant, quamvis in hac parte deficere videantur expressa verba, non tamen deficit disponentis voluntas, quæ in hac materia fideicommissorum unicè spectanda est, & sequenda, *l. hæredes mei §. Cum ita ff. ad Trebell.* cum novissimis concordantibus.

3 Et sanè quod Polixena in eam partem hæreditatis vocare voluerit nedum filios, sed etiam nepotes Philippi senioris, non ex una tantùm, sed ex pluribus desumebatur urgentissimis conjecturis; & prima quidem oriebatur, ex quo Testatrix substituendo Philippum, & filios, ad duo tempora respexit, primum nempe, & proximum quatenus Valeria sine filiis masculis decederet, secundum verò, & remotum, quo extingueretur ejus linea masculina. Cum igitur respectu hujus secundi, ac remoti temporis inutilis, & elusoria remansisset substitutio restricta ad filios primi gradus Philippi, ex quo juxta naturæ ordinem, isti longè priùs deficere debebant, quam linea masculina inceptura à Valeria tunc viridis ætatis annorum circiter viginti, necessariò dicendum est, quod Testatrix eo casu vocare voluerit etiam nepotes, in quibus magis verisimiliter d. substitutio in adeo remotum tempus collata effectum sortiri poterat, ut in terminis respondit *Rot. dec. 216. n. 19. & 20. cor. Merlino, & in Parmen. beneficii 15. Januarii 1694. §. Unde cor. bon. mem. Ursino.*

4 Secunda conjectura deducebatur, ex quo in omnibus aliis substitutionibus tam antecedentibus, quàm subsequentibus Testatrix ubique vocaverat non solùm filios, sed etiam nepotes, & pronepotes usque in tertiam cujusque substituti generationem, idque signanter servaverat tum respectu universæ hæreditatis inter filios, ac descendentes masculos Valeriæ, tum quoque respectu particularis successionis in bonis propriis dotalibus, & extradotalibus inter filios, & descendentes masculos Thomæ, & Antonii de Aleottis, & subinde Guglielmi de Lambertellis. Quamobrem ita etiam censeri debet, quod disponere voluerit inter descendentes Philippi senioris de Corbicis in alia parte hæreditatis substituti, dum tam uniùs quàm alterius partis respectu, ea unica ratione videbatur mota ad ita disponendum,

5 ut nempe bona illuc redirent, unde sibi à principio evenerant, & sic bona dotalia, & supra dotalia ad proprios consanguineos, bona verò hæreditaria ejus filiorum prædefunctorum ad agnatos familiæ de Corbicis, in qua ipsa nupta fuerat, reverterentur, ad tradita per *Rot. dec. 267. n. 1. cor. Duran., & dec. 226. n. 5. & 14. p. 16. rec.*

6 Immo verò exinde aliud quoque resultabat non leve argumentum, quia sicuti cum in bonis dotalibus Guglielmum de Lambertellis substituit, tametsi solum de ejus filiis mentionem fecerit, non autem de nepotibus & pronepotibus, nihilominus & istos quoque vocare intellexit, dum immediatè post in coditione posuit lineam masculinam ejusdem Guglielmi usque in tertiam genera-

7 tionem. Ita pariter cum in alia bonorum parte Philippum, & ejus filios substituit, dicendum est, quod vocare voluerit etiam nepotes, licèt proprio nomine non expressos, ex regula illa in hac materia receptissima, quod una pars testamenti aliam declarat, de qua est *Text. in l. qui filiabus in princip. ff. de legat. 1., Rot. cor. Emer. dec 962. nn. 3. & dec. 3. n. 18. p. 19. rec.*, & passim alibi.

8 Fortius autem hæc omnia urgere videbantur ex duplici facti animadversione; altera nempe, quia ad effectum inducendi vocationem nepotum, verba non ex toto supplenda erant, sed potius be signa interpretatione adjuvanda, dum Testatrix post substitutum Philippum, & ejus filios orationem clausèrat cum amplissima relatione ad testamentum Vincentii de Corbicis ejus filii prædefuncti, in quo minimè controvertitur vocatos fuisse nedum filios, sed etiam nepotes, & pronepotes ibi -- *Nel modo, e forma medema, & ordine stabilito, e dichiarato nel testamento del q. Signor Dottor Vincenzo mio figlio, che qui s'abbino per espressi, e dichiarati*, quæ sanè relatio nisi facta diceretur ad effectum includendi nepotes, inutilis

9 & superflua remaneret, ex quo attenta indole fideicommissi progressivi, dubium omnino nullum cadere poterat, quin filii admitti nequirent simultaneè cum Patre, ad tradita per *Rot. in rec. dec. 97. num. 10. & 11. p. 4. tom. 1., & in Spoletana Immissionis 10. Januarii 1716. §. Semper cor. Emo Cardinali Altbann.*

10 Altera verò, quia Valeria ipsa in ejus ultimo testamento disertis verbis professa fuit, se gravatam esse in illis bonis onere restitutionis, ac fideicommissi favore descendentiæ masculinæ Philippi de Corbicis, unde quatenus etiam res in ancipiti versaretur omnem, prorsus ambigendi rationem submoveret factum, & declaratio primæ hæredis, quæ cum de jure plurimum semper valeat, ex quo præsumitur bene conscia voluntatis defuncti, in casu tamen præsenti probationia

11 gradum assumit, eum Antonia rea conventa sit illius hæres, ejusque testamentum expressè, ac solemniter acceptaverit, ut per *Text. in l. cum à Matre, & alia jura concordantia*

dantia d. fuit in alia decisione super fideicommisso Francisci 27. Februarii nuper elapsi coram Me.

Ex his itaque omnibus plenè constabilita vocatione Philippi junioris, reliquum fuisset pro integra absolutione primæ partis dubii assumere aliud objectum promotum ex parte Comitis Antonii de Saxis, quod nimirum
12 data etiam Actoris vocatione, adhuc tamen in præsenti purificata dici nequeat conditio, sub qua illius substitutio concepta fuit, cum inter descendentes Valeriæ primo loco ad successionem vocatos supersit idem Comes Antonius nepos illius masculus ex Judita filia prædefuncta; sed in hoc DD. nihil omnino immorandum esse censuerunt, dum verba testamenti, tam in parte dispositiva, quàm in parte conditionali sunt adeo restricta ad masculos ex masculis, & ad lineam masculinam Valeriæ, ut sine manifesta illorum eversione detorqueri nullo modo possint ad comprehendendos masculos ex fæminis, ac proinde nil ultra respondere opus erat conjecturis, & argumentis in oppositum cumulatis, quam verba *Text. in l. ille aut ille ff. de legat. 3.*, ubi quod in claris locum non habent conjecturæ.

Et hinc progrediendo ad secundam dubii partem respicientem geminas detractiones legitimæ ac trebellianicæ, pro quibus Antonia ex persona Valeriæ ejus Matris reten-
13 tionem petebat, quod attinet ad legitimam, facilè DD. convenerunt in sensu, quod illa competeret, dum sicuti in facto controverti nequibat, quod Valeria prædefuncto Francisco Patre primum succedendi gradum respectu Polixenæ Aviæ occupaverit, ita neque ambigi debebat, quin ipsi in bonis ejusdem Aviæ deberetur legitima, quemadmodum debita fuisset ejus Patri prædefuncto, si Polixenæ Matri superstes fuisset *l. sed in conditione §. Nepotes ff. de hæred. instituen.*, *Merlin. de legitim. lib. 5. tit. 2. q. 18.*, *Rota dec. 265. n. 2. p. 13.*, *& in Romana Immissionis 15. Maii 1719. §. Quo verò cor. R. P. D. Falconerio Urbis Gubernatore.*

14 Minime relevante duplici objectione; altera videlicet, quod in bonis, de quibus agitur Testatrix instituerit fideicommissum particulare, & si non expressis, generalibus saltem verbis legitimæ detractionem prohibuerit; & altera quod in omnem casum creditum legitimæ turbidum, & illiquidum redditum fuerit ex pluribus alienationibus, atque omnissione inventarii.

Quod enim attinet ad primam, quamvis Polixena in casu obitus Valeriæ sine masculis, divisa in duas partes hæreditate, ad unamquamque earum diversum personarum genus invitaverit: ex hoc tamen non benè inferebatur, quod fideicommissum esset particulare, cum respectu Valeriæ, eo ipso, quod gravata erat universam hæreditatem restituere, fideicommissum nonnisi universale censeri poterat, *Peregrin. de fideicommiss. art. 53. n. 5.*, *Fusar. de substit. qu. 268. num. 9.*

15 In fideicommisso autem universali, jam Partes conveniebant minimè sufficere tacitam prohibitionem legitimæ ex generalibus verbis elicitam, ut communiter tradunt scribentes in *l. precibus C. de impub.*, *& aliis substit.*, *Peregrin. de fideicommiss. art. 36. n. 83. & 93*, *Rot. dec. 206. nu. 1.*, *& dec. 249. n. 2. p. 1.*, *& cor. Cerro dec. 8. n. 5. & seq.*, *& in Romana legitimæ 10. Maii 1715. §. Hujusmodi cor. R. P. D. meo Foscaro.*

16 Quo verò ad secundam, cum circa oppositas alienationes tota probatio consisteret in simplici assertiva Partis, & in quodam folio penitùs informi & illegali, vana & inutilis remanebat exceptio turbiditatis, vel præsumptæ consumptionis, cum cæteroquin
17 sola omissio inventarii apta non sit hanc præsumptionem inducere, vel legitimæ detractionem impedire, ex deductis per *Rot. in Perusina reintegrationis super reservatis 19. Februarii 1717. §. Minusque coram bon. mem. Ansaldo.*

Sed si ex hactenus deductis debita erat Antoniæ petita retentio pro legitima, non ita tamen debita erat pro Trebellianica: hæc enim vel prohibita videbatur ex tot clausulis à Polixena adhibitis, & præferentibus restitutionem totius & integræ hæreditatis, nec non ex amplissima relatione habita ad testamentum Vincentii, in quo hujusmodi quarta legitur expressè prohibita: vel in
18 omnem casum censeri debebat consumpta ex fructibus longissimo tempore à Valeria perceptis, quos dubium non est, quin exceptis filiis primi gradus, ceteri omnes in Trebellianicam imputare teneantur, juxta veriorem sententiam, de qua *Rot. cor. Emer. jun. dec. 1238. n. 12*, *& in Romana fideicommissi de Mattheiettis 7. Decembris 1699. §. Utique, & §. Diximus, & 29. Aprilis 1701. §. Refragante coram bo. me. Ansaldo, & 26. Januarii 1703. §. Et licet coram Me.*

Haud obstante, quod ageretur de nepte,
19 quę tamquam subingressa in locum Francisci Patris prædefuncti videbatur frui posse privilegio filiis primi gradus indulto in *l. jubemus C. ad Trebell.* juxta deducta per *Rot. in Veliterna Canthelæ Angeli cor. bo. mem.*
20 *Ansaldo.* Quinquoties Avus, vel Avia ex speciali dispositione nepotes ex filio prædefuncto tamquam filios expressè non consideraverit, ut erat casus in *d. Veliterna Canthelæ Angeli cor. Ansaldo*, certi, & indubii juris est, quod etiam nepotes ex filiis prædefunctis imputant fructus in Trebellianicam, ut articulo formiter discusso firmavit *Rot. in Bononien. fideicommissi 11. Decembris 1699. à §. Demum usque in fin. cor. bon. mem. dell'Olmo, & 14. Maii 1700. §. Postremo cor. bo. me. Molines*, & admittit etiam *d. decis. Veliterna Canthelæ Angli §. Proposito cor. bo. me. Ansaldo.*

Et ita omnibus DD. unà mecum suffragantibus &c.

FOROLIVIEN. FIDECOMMISSI ANTONIÆ DE CORBICIS.

Lunæ 2. Martii 1722.

ARGUMENTUM.

Testator relative se habens circa personas vocatas, & vocandas, ac ordinem succedendi, ad testamentum patruelis de domo, in quo masculi de fœmina expresse essent exclusi, præsumitur sic voluisse excludere masculos de sua nepte descendentes.

Hæres extraneus trebellianicam non detrahit, & cum fructibus perceptis illam compensare tenetur.

SUMMARIUM.

1 *Voluntas testatoris omnino adimplenda est, & opportuna interpretatione explicanda.*

2 *Immissio ad bona fideicommissaria danda est substituto in casu obitus instituti sine filiis eo ipso, quod conditio remanet purificata.*

3 *Masculi de Masculis, & non de fœmina, ut dicantur substituti, non est necesse, quod testator minutatim expresserit gradus personarum succedere debentium, sed sat est eundem designasse linearum stipites, quando se habuit relative ad testamentum fratrum, in quibus soli Masculi de Masculis vocarentur*, & n. 4. atque amplia, ut in nn. 5. 7. 8.

6 *Forma succedendi nil differt à conditione, sed conditio formã, & forma conditionem inducunt*; & vide casum.

7 *Testator considerans bona propria unicam hæreditatem constituere cum bonis fratrum prædefunctorum, non præsumitur voluisse hæreditatem dividere, suosque successores unam tantum partem suæ hæreditatis occupare, & ab altera exclusos esse*, & quare?

8 *Judicium, quod est de toto, idem de parte est.*

9 *Dispositio in his, in quibus eadem, seu major militat ratio, dicitur expressa, & sic nominatim loquens*, declara un hic.

10 *Trebellianica, quoad heredes extraneos, censetur consumpta cum fructibus bonorum fideicommissariorum longo tempore perceptis.*

DECISIO MCCXCVII.

Absoluto examine tam Fideicommissi instituti à Francisco, quàm alterius ordinati à Polixena Aleotta de Corbicis, assumentes DD. juxta formam Dubii per Me propositi geminas inspectiones cadentes super tertio Fideicommisso Antoniæ Senioris pariter de Corbicis; respectu primæ responderunt -- *dandam esse Immissionem* -- ad Bona Antoniæ, sed respectu secundæ non benè concordes quoad legitimam, solùm quoad Trebellianicam rescripserunt -- *non competere prò ea retentionem.*

Et quod attinet ad punctum Immissionis, sicuti in aliis duobus antecedentibus Fideicommissis, ità in hoc quoque, de quo in præsenti agebatur, tàm Antonia Junior, quàm Comes Antonius Saxi Rei conventi totam defensionem constituebant in duplici capite, altero nempè, quod Philippus Junior de Corbicis Actor non esset ullo modò vocatus, ex quo Antonia Testatrix Valeriæ hæredi sinè filiis obeunti substituerit quidem Philippum Seniorem de Corbicis, ejusque filios masculos, sed non etiam Nepotes in quorum gradu reperitur memoratus Philippus Junior: & altero, quod quatenus etiam vocatus dici posset, nihilominùs apertus censeri nequeat locus ejus substitutioni tamquàm concepte sub conditione obitus Valeriæ sinè filiis masculis, quæ defecisse, vel saltem minimè purificata videtur, dum Valeria reliquit D. Comitem Saxium Nepotem masculum ex Juditta filia prædefuncta.

Sed strictè, ac diligentèr expenso utroque defensionis capite, neutrum subsistere visum fuit; omisso enim, quo à unum caput alteri de directo adversebatur, dum Rei conventi ad effectum excludendi vocationem Actoris, negabant in primo sub nomine filiorum Philippi expresse substitutorum venire posse Nepotes; in secundo verò ad effectum includendi Comitem Saxium enixè sustinebant appellatione filiorum Valeriæ in conditione positorum, Nepotes
1 etiam comprehendi, hoc inquam omisso; DD. sequentes verisimilem Defuncti voluntatem, eamque justa, & opportuna interpretatione benignè adjuvantes, prout in ultimis dispositionibus fieri decet, ea mente Testatricem fuisse censuerunt in ordinatione controversi fideicommissi, ut, deficiente
2 linea masculina Valeriæ, succederent in ejus Bonis Agnati proximiores de Corbicis à Philippo Seniore ipsius Patruele descendentes, quo sensu retento, dubium esse non poterat, quin Philippo Jun; non obstante existentia Comitis Saxi deberetur Immissio ex Juribus late deductis in decisione edita super Fideicommisso Francisci 27. Februarii nuper elapsi coram Me.

Ad hoc autem suadendum, non ab extrinsecis, & sepè fallacibus conjecturis, sed ab ipsis Testamenti visceribus, certa, at-
3 que opportuna oriebatur interpretatio, siquidem Testatrix propria Bona considerans tamquam partem illorum de quibus Vincentius, & Franciscus ejus germani Fratres prædefuncti primo loco disposuerant favore Valeriæ Neptis, & respectivè filiæ in Familia nupturę, & deindè favore Philippi de Corbicis ipsorum Patruelis, eorumque Descendentium masculorum per lineam masculinam, ut idem in omnibus servaretur ordo succedendi, qui ab ejus Fratribus præstitus fuerat, vocavit etiam ipsa primo lo-

eo Valeriam, ejusque filios masculos, & deinde substituit eumdem Philippum Seniorem, ejusque pariter filios masculos ibi - *Voglio &c. che sia mia erede &c. la Sig. Valeria mia Nepote &c. e mancando lei, voglio, che succedino li suoi figlioli maschi &c. e mancando detta Signora Valeria in età pupillare, overo in qualsivoglia tempo senza figlioli maschi legitimi &c. in tal caso lo le sostituisco il Sig. Filippo Corbici nostro Cugino, e li suoi figlioli maschi legitimi, e naturali*, sed contenta per hujusmodi verba designasse stipites linearum succedere debentium, sollicita ulterius non fuit minutatim exprimere singulos Personarum gradus, sed horum respectu voluntatem suam, quasi per compendium explicavit, relative se habendo ad modum, & formam, atque onus fideicommissi injunctum in Testamentis dd. ejus Fratrum, & propterea continuò addidit illa verba -- *nel modo, e forma, che succede nel restante dell' eredità lasciatagli dalla bon. mem. del Signor Vincenzo, e del Signor Francesco miei Fratelli nelli loro Testamenti, e col peso di Fideicommisso in quelli prescritto*.

Si igitur Testatrix non alio modo, aut forma succedere voluit in ejus Bonis Philippum, & ejus filios, quam eo modo, & forma, & cum eodem onere Fideicommissi, quo successurus erat in residuo Hæreditatis, de quo disposuerant Vincentius, & Franciscus, perperam contenditur, vel quod Philippus Junior vocatus non fuerit, vel quod purificationi ejus substitutionis obsit existentia Comitis Saxi, tamquam masculi à Valeria descendentis, nam cum in utroque Testamento tam Vincentii, quàm Francisci substituti fuerint omnes Descendentes masculi Philippi Senioris in infinitum, ut de illo Vincentii præclarè constat ex ejus lectura, & de alio Francisci jam probatum fuit in dicta Decisione super illo edita coram Me 27. Februarii super elapsi; hæc ipsa substitutio virtute relationis perindè haberi debet, ac si inserta, & repetita fuisset in
4 Testamento Antoniæ, itaut sufficiat obiisse Valeriam sine filiis masculis, aut ejus Lineam masculinam defecisse ad effectum, ut admitti debeant ramquam in eum casum substituti non solum filii, sed etiam Nepotes, Pronepotes, & reliqui in infinitum Descendentes per lineam masculinam à Philippo Seniore de Corbicis, *ad Text. in l. Asse toto ff. de Hæredib. instituen.*, *l. si ita scripsero ff. de condit.*, *& demonstrat. Peregrin. de Fideicommiss. art. 16. num. 11.*, *& seq. Rot. dec. 5. num. 9. coram Benincasa*, *& in Reatina Fideicommissi de Vincentinis 14. Martii 1701. per tot. coram Emo Scotto*.
5 Nec dicatur, quod relatio hujusmodi apposita tantum fuerit post factum casum successionis Philippi, non vero in vocatione Valeriæ, ejusque filiorum, nec in conditione, sub qua concepta fuit dicti Philippi substitutio, quodque ideo ex illa possit quidem defuncti congrua declaratio circa ordinem succedendi servandum inter Philippum, & ejus filios, quatenus adveniat conditio ejus vocationis, sed non etiam trahi possit argumentum aliquod, per quod in dicta conditione repetitæ censeantur eædem Personæ, & eadem linea masculina Valeriæ, quæ in Testamentis Vincentii, & Francisci expressa reperitur.

Ut enim DD. benè animadvertebant, prædicta relatio restringi nullo modo potest ad ordinem succedendi servandum inter Franciscum, & ejus filios, postquam eorum successioni locus factus fuerit, sed necessario repetere debet etiam defectum lineæ masculinæ Valeriæ ad inducendam conditionem, sub qua Philippus, & filii vocati intelligerentur, dum si Philippus succedere debebat eodem modo, & forma, quo successurus erat in cæteris Bonis Vincentii, & Francisci, evidens, & apertum redditur, quod succedere nequibat, nisi in casu, & sub conditione, qua Valeria hæres sine filiis masculis decederet, aut ejus linea masculi-
6 na deficeret cum, forma succedendi nihil omnino differat à conditione, sed conditio formam, & forma conditionem inducat, ut bene ad rem præsentem advertunt *Peregrin. de Fideicommiss. art. 16. num. 15. in fin.*, *Gratian. discept. for. 832. num. 4.*, *& seqq.*, aliisque pluribus adductis *Rot. decis. 354. n. 23. cum plur. seq. part. 11. rec.*
7 Certius autem, quià dum Testatrix reputabat Bona propria tamquam unicum Patrimonium, & unicam hæreditatem constituentia cum Bonis Fratrum prædefunctorum, incongrua nimis remaneret interpretatio, per quam Philippus, & ejus filii, ac descendentes masculi defecta linea masculina Valeriæ, succederent in una parte, & ab alia excluderentur, ac proindè ut idem sit judi-
8 cium de parte, ac de toto juxta *Text. in l. quæ de tota ff. de rei vindicat. leg. à Titio ff. de verbor. significat. l. Juris Gentium §.*
9 *Adeò ff. de Pact.*, potius dici debet quod masculi descendentes per medium fœminæ, quemadmodum excludebantur ab hæreditate Fratrum, nec impediebant purificationem vocationis Philippi, & ejus Descendentium, ità excludantur etiam ab hæreditate Antoniæ, quam ipsa consideravit tam, quam partem integrantem hæreditates fraternas, ad tradita per *Rot. decis. 297. num. 4. coram Cavalerio*, *& decis. 63 num. 12. post Albic. de inconst.*, *& in rec. dec. 98 n. 17. par. 17.*

Hactenus deducta respiciebant punctum Immissionis: quo vero ad retentionem, licèt DD. convenire nequiverint quoad legitimam, quæ ex Persona Polixenæ Matris detrahenda esse dicebatur in Bonis Anto-
10 niæ Senioris filiæ prædefunctæ; bene tamen convenerunt in deneganda Trebellianica, quæ deduci prætendebatur ex Persona Valeriæ, cum ista vel prohibita videre-

tur

tur ex relatione habita ad Testamenta Vincentii, & Francisci, vel in omnem casum non nisi consumpta dici posset ex fructibus longissimo tempore quinquaginta, & ultra annorum ab ipsa Valeria perceptis, & quos sinè dubio in dictam quartam imputare debebat, tamquam hæres respectu Antoniæ Amitę prorsus extranea, *Gloss. in leg. quod Bonis §. Quod Avus vers. compensabuntur ff. ad l. falcid.*, *Rot. dec. 309. num. 5. part. 11. rec.*, *& in Bononien. Fideicommissi 11. Decembris* 1699. *§. Demum cor. Rmo dell' Olmo*, & sæpè alibi.

Et ità *omnibus DD. una mecum suffragantibus*.

LEOPOLIEN. MATRIMONII.

Ven. 6. Martii 1722.

ARGUMENTUM.

Matrimonium coram Paroco alterius ex Conjugibus contrahi potest: habitatio vero localis ad effectum, ut Parochus illius validè contrahentes possit in matrimonium conjungere, non requiritur, quod ex longa permanentia sit contracta, sed per duos menses sat est, juxtà resolutiones Concilii.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium quod validè sit contractum in faciem Ecclesiæ coram Paroco, & testibus ex libro illius satis superque probatur.*

2 *Matrimonium ut sit validum, sat est, quod appareat celebratum coram Paroco habitationis alterius ex contrahentibus*; ampplia, ut inn. seqq.

3 *Matrimonium dicitur contractum cum legittimo Paroco eo ipso, quod mulier per decem menses antea in loco, ubi est desponsata ab illius Paroco, permanserit.*

4 *Parochianus alicujus Parochiæ ut quis fiat ad effectum contrahendi Matrimonium, non requiritur rigorosa probatio adepti domicilii, (de cætero ad alios effectus necessaria), sed sat est, ut Sponsus ibi inceperit habitare*, & n. 7. declara, ut in n. seqq.

5 *Ampliа, etsi non haberet animum deserendi primum domicilium, à quo divertit, dummodo in nova Parochia non per solos aliquot dies, sed aliquod temporis spatium permanserit.*

6 *Habitatio ex animo per manendi per aliquod justum temporis intervallum; ut contrahatur, non est inquirendum ex qua causa, vel in cujus domo quis habitaverit, sed sat est, non habitasse per dies, sed spatio notabilis temporis.*

8 *Habitatio ad effectum contrahendi Matrimonium coram Paroco Locali, sufficit, quod per unum, vel alterum mensem sit continuata.*

9 *Resolutiones Sacræ Congregationis Concilii Rota reverenter sequitur.*

10 *Fides Matrimonii de libro Parochi, citata, vel non citata parte extracta semper probat, semelque in judicio admissa, de illegalitate amplius non redarguitur.*

11 *Testis unicus adversus fidem Parochi super contracto Matrimonio plenam probationem de per se constituentem, non admittitur.*

12 *Positiones non sunt admittendæ ad retardandum expeditionem causæ super validitate Matrimonii*, & quare?

13 *Matrimonium de jure præsumitur validum.*

DECISIO MCCXCVIII.

Regius Princes Constantinus Filius Gloriosę, & apud Christianum nomen perituræ nunquam memoriæ Joannis Poloniæ Regis, dubitans de validitate Matrimonii per eum contracti in Civitate Gedani sub die 16. Novembris 1718., & subinde etiam consumati cum Comitissa Josepha de Wessell præclaræ Nobilitatis Virgine, recursum habuit, ut pareret, ad S. Sedem Apostolicam, à quo delegata per breve speciale cognitione causæ Rmo Archiepiscopo Leopolien., hic auditis pluries Partibus, earumque Juribus maturè examinatis, in eam tandem ivit Sententiam, quod Matrimonium esset validum, quodque Serenissimus Princeps teneretur obsequia Matrimonialia præstare D. Comitissæ ejus legitimæ Conjugi.

Non acquiescente Principe, fuit iterum controversia supposita ad instantiam D. Comitissæ Judicio S. Congregationis Concilii, de cujus mandato transportatis actis, ac præfixo Partibus congruo termino duorum mensium, proposito tamdem dubio sub die 20. Septembis 1715. -- *An Matrimonium esset validum*, S. Congregatio *affirmativè* respondit in contumaciam tamen D. Principis comparere tunc negligentis, & in sequelam dicti rescripti prodiit successivè coram A. C. Sententia super ejus executione, in qua ulterius fuit condemnatus D. Princeps ad præstanda Uxori alimenta, quæ etiam ex post cor. eod. A. C. taxata fuerunt in annuis Talleris sex millibus.

Causa in hoc statu manente, deventum fuit inter Partes ad quamdam provisionalem Concordiam, in qua constituto D. Principissę pro ejus alimentis annuo assignamento librarum 16000. monetæ Franciæ super Vectigalibus illius Regni duraturo usque ad exitum Causæ, concessa vicissim fuit D. Principi facultas Jura sua experiendi in quocunque Tribunali Urbis super nullitate, aut validitate controversi Matrimonii. Cujus transactionis virtute, remissa denuo causa ad eamdem S. Congregationem Concilii, cum hoc tamen, ut procederet cum voto hujus S. Tribunalis, proposui hodiè de more dubium -- *An Matrimonium de quo agi-*

agitur subsistneatur, & omnibus DD. ex speciali ejusdem Rotæ rescripto suffragantibus, *affirmativè* responsum fuit.

Quamvis enim in Partibus non ex alio capite impugnata fuerit validitas controversi Matrimonii, quam ex quo clandestivè contractum fuisse dicebatur contra litteralem censuram Sacrosanctæ Tridentinæ Sinodus *sess. 24. de reformat. Matrimonii cap. 1.*, hujusmodi tamen objectio deficere comperta
1 fuit in facto, cum Matrimonium de quo agitur non clamdestine, sed in faciem Ecclesiæ contractum fuerit, cor. Parocho, & Testibus, ut luculenter constitit ex partita extracta à libro Parochiali, qui in hac materia dubium non est, quin plenæ, ac perfectæ probationis gradum constituat, *Sanchez. de Matrim. lib. 3. disput. 15. nu. 22.*, *Barbos. de Episc. par. 2. allegat. 32. n. 174.*, *& de Parochis par. 1. cap. 7. num. 6. & seq. Rot. cor. Cavallerio dec. 444. num. 1.*, *& cor. Ottobono dec. 251. n. 24.*, *& dec. 233. n. 21. par. 10. rec.*

Nec in dubium venire poterat, quod Parochus Gedani, coram quo fuit celebratum Matrimonium, esset verus Parochus con-
2 trahentium, quia præmisso, quod ad hunc effectum sufficiat Matrimonium celebratum fuisse coram Parocho habitationis alterius ex contrahentibus, ut ad explicationem ejusdem S. Concilii *in dicto cap. 1 firmant. communiter Fagn. in cap. cum nobis n. 33. de Clandest. despon.*, *Barbos. de Paroch. par 2. cap. 21. num. 44.*, *& seqq.*, *Rot. cor. Merlino dec. 194. n. 6.*, *& in rec. dec. 390. pariter. n. 6. par. 2.*

3 De plano consequebatur, quod Matrimonium dici non poterat contractum, nisi coram legitimo Parocho, dum eo ipso, quod D. Principissa per decem menses ante, & per duos annos postea in Civitate Gedani continuò inhabitavit, dubium esse nequit, quo minus Parochus ejusdem Civitatis esset ille, in cujus præsentia Nuptiæ celebrandę erant, ut per *Gloss. in Clement. 1. Verb. Parochialis de Privileg.*, *communit. tradunt. Abb. in cap. Omnis de pænit.*, *Fagn. in cap. Significavit n. 36. de Paroch. Barbos. eod. tit. par. 2. cap. 21. n. 34.*, *Panimol. dec. 19. adnotat. 1. 12.*, *& dec. 120. nu. 22.*,
4 *& 27* Non enim ad hunc effectum requiritur rigorosa illa probatio aquisiti Domicilii, quæ ad alios effectus de Jure desideratur, sed satis est, ut quis incipiat habitare in aliquo loco cum intentione ibidem morandi, ut sequitur *cit. Gloss. in Verb. Parochialis*, *Panimol. d. dec. 19. adnot. 1. n. 23*, *adden. ad Burat. dec. 713. n. 3.*, *Rot. cor. Merlin. decis. 194. n. 3.*, *& dec. 60. n. 16. par. 15. rec.*,
5 idque, licet non habeat animum deserendi primum Domicilium, à quo divertit, ut *sequit. Panimol loco citat. num. 19.*, *adden. ad Buratt. num. 14.*, *Rot. coram Merlin. d dec. 194. num. 5.*, dumodo tamen per aliquod saltem temporis spatium, & non per solos aliquot dies in nova Parochia permanserit, ut referendo resolutionem S. Congregationis Concilii, docent *Fagn. in d. cap. Significavit n. 39. de Paroch.*, *Cappon. disceptat. foren. 203. n. 15.*

Frustra igitur objiciebatur in Partibus, quod D. Principissa Gedani moraretur, non tanquàm in loco suæ habitationis, sed occasionaliter, & accidentaliter tantum penes
6 Marescialliam Regni ejus amicam, si enim Parochialitas ad effectum validitatis Matri-
7 monii contrahitur ex habitatione, & habitatio ex animo permanendi per aliquod justum temporis intervallum, non est sanè inquirendum, ex qua causa, vel in cujus domo inhabitaverit, sed satis est, quod ibidem de facto habitaverit cum animo permanendi, non quidem per unum, aut alterum diem, sed spatio notabilis temporis; qui porrò animus revocari minimè potest in dubium, cum D. Principissa per integrum ferè triennium in dicta Civitate permanserit,
8 cum tamen longè brevior permanentia unius, aut alterius mensis admissa fuerit à Sagra Congregatione Concilii in pluribus resolutionibus, de quibus testatur *Fagnan. in d. cap. Significavit num. 37.*, *& sequen. Monacell. in formul. Ecclesiast. tom. 2. tit. 16.*
9 *num. 34. in fine*, & quas hoc nostrum Tribunal reverenter suscipere, & semper sequi passim protestatur, *& signanter in decis. 60. num. 4. cor Celso*, *& decis. 46. num. 16. coram Ottobono*, *& in Hispalen. Præcedentiæ 3. Februarii superioris anni* §. *His omnibus cor. Me.*

10 Paris inefficacię erat quoq; altera objectio hodiè proposita, quod supra adducta Partita Matrimonii extracta non fuerit citata Parte, nec legitimata Persona extrahentis, quodque alter ex testibus in quorum præsentia dicitur Matrimonium contractum fuisse, revera non adfuerit in actu celebrationis, quod enim attinet ad primam objectis partem, animadversum fuit, quod cum in prima instantia coram Archiepiscopo Leopolien. delegato in hac parte Apostolicæ Sedis dicta Fides, & Partita admissa utrimque fuerit pro legali, & canonica, non potest hodiè amplius de illegalitate redargui, *Rot. coram Cerro dec. 553. num. 1.*, *& 2. & cor. Peutinger. dec. 328 nu. 2.*, *& decis. 552. num. 11. par. 18. recen.*, *& in Pennen. Beneficii super pertinentia 17. Martii 1710.* §. *Causa coram R. P. D. meo Foscaro.*

11 Quod vero pertinet ad secundam, cum super non interventu alterius ex testibus, nulla alia exhiberetur probatio, quam simplex fides alterius testis, qui Matrimonio interfuit, visum fuit illi minimè in hac parte deferri posse, tum quia de diametro pugnat, cum dicta Partita Matrimonii, quę ut supra dictum est in hac materia plenæ probationis gradum constituit, tum etiam quia est unicus testis, & singularis, qui in Judicio nihil probat, ut alias dixit *Rot. in dec. 171. num. 3. par. 4.*, *& in Firmana annuæ*

præ-

præstationis super emolumento falit 12. Decembris 1707. §. Reiecta cor. Emo Scotto, & in Colonien. Matrimonii 19. Januarii 1711. §. Præterquamquod cor. R.P.D.meo Falconerio almæ Urbis Gubernatore.

12 Hanc veritatem benè agnoscentes defensores D. Principis petebant remissoriam, & subdelegationem Judicis in Partibus pro recipienda responsione ad positiones, quas idem D.Princeps exhibebat; sed cum ab altera parte acriter substineretur non esse locum neque positionibus, neque remissoriæ, DD. sequentes stylum à Tribunali servari solitum in hac parte, rescripserunt *ad mentem*, quę fuit, ut disputaretur super eis opportunum dubium, interim vero, cum ex hac ipsa petitione non obscura resultaret confessio quod D. Princeps non erat in probatis circà nullitatem matrimonii, visa fuit retardari non posse resolutio causę favore D.Co-
13 mitissæ informantis, cui, ultra præsumptionem Juris, suffragabatur etiam sententia Archiepiscopi Leopolien. utraquaque parte audita in Partibus lata, & decretum S. Congregationis Concilii.

Et ita &c.

LEOPOLIEN. MATRIMONII SUPER ALIMENTIS, ET SUMPTIBUS LITIS.

Veneris 6. Martii 1722.

ARGUMENTUM.

Sumptus litis, & alimenta debentur Uxori in judicium à viro super matrimonii validitate provocatæ; quæ juxta conditiones utriusque conjugis, ac causæ gravitatem regulantur.

SUMMARIUM.

1 *Alimenta, & sumptus litis debentur uxori pendente lite cum viro super validitate Matrimonii.*

2 *Amplia, si uxor sententiam, & boni Juris præsumptionem pro se habeat.*

3 *Subamplia, quando vir suam recognovisset obligationem de præstandis prædictis alimentis, & sumptibus.*

4 *De exigibilitate, etiam si eam non promisisset, tenetur ille, qui fundum pro alimentis olteri assignat.*

5 *Amplia, ut si fundus deficiat, alium tenetur subrogare, cum talis assignatio demonstrativè stare censeatur, non taxativè, & quietantia facta ab alimentario intelligitur* -- rebus in eodem statu permanentibus.

6 *Assignatio fundi pro alimentis debet esse prompta, & facilis exactionis.*

7 *Alimenta præsumuntur congrue taxata in ea summa, quam alimentarius acceptasset.*

8 *Alimenta ut congruè taxentur, sunt inspicienda, qualitas alimentarii, Alentis, & vires patrimonii,*

9 *Sumptus litis regulantur juxtà causæ gravitatem, & conditiones litigantium.*

DECISIO MCCXCIX.

Quemadmodum expositum fuit in contemporanea decisione, postquam Sacra Congregatio Concilii approbando sententiam in partibus latam à Reverendissimo Leopolien. rescripserat pro validitate Matrimonii in Civitate Gedani contracti inter Serenissimum Principem Constantinum, ac D. Comitissam Mariam Josepham de Weisell, & postquam eadem D. Comitissa obtinuerat successivè coram A.C. sententiam super exequutione dicti decreti, & una simul pro subministratione Alimentorum in annuis Tallaris 8. mil. Imperialibus, ex benigna interpositione Regii Principis Jacobi Sponsi Fratris deventum fuit inter partes ad quandam provisionalem concordiam, in qua inter cætera assignatæ fuerunt D. Comitissæ in causam alimentorum jam ab A.C. in majori summa taxatorum annuæ lib. 16. mil. monetæ Franciæ super Fiscalibus illius Regni.

Verum quia tempore procedente Fiscalia assignata, ad eum statum redacta fuerunt, ut jam nullus fermè fructus exigi posset; hinc D. Comitissa, una cum altero Dubio respiciente validitatem controversi Matrimonii, curavit disputari etiam alterum -- *An sint subministranda alimenta, & sumptus litis, & in qua summa, cui DD. affirmativè in omnibus responderunt pro summa infrà exprimenda.*

1 Quod enim in genere deberentur D. Comitissæ alimenta, & sumptus litis, vix erat, ut in controversiam venire posset, cum pendente lite inter Virum, & Uxorem super validitate Matrimonii, receptissima sit in jure conclusio, quod Uxori præstanda sint alimenta, & sumptus litis, *Sanchez de Matrimon. lib.2. disp.41. num.51. Surd. de aliment. tit. primo quæst.118. nu.6. & per tot. Rota coram Royas dec.422. num.3. & seq.*

2 Et si ea regularitèr procedit in cæteris casibus, potiori sanè Jure admittenda erat in præsenti, ex duplici facti circumstantia; altera nimirum, quod agitur de Matrimonio, super cujus validitate, ultrà sententiam in partibus latam ab Archiepiscopo Leopolien., adest resolutio Sacræ Congregationis Concilii, & hodiè accessit altera hujus nostri Sacri Tribunalis, undè militat favore uxoris fortissima præsumptio boni Juris, *Card. de Luc. de matrim. disc.2. num.3., & 4. Rot. dicta dec.422. num.6, & 7. cor. Royas.* Altera verò quod jam ipse Regius Prin-
3 ceps Constantinus hanc suam obligationem agnovisse videtur, dùm in dicta concordia D. Comitissæ in hanc causam assignavit annuas lib. 16.mil., undè intrat Regula de qua in *C. factum de reg. jur. in 6. & in l.g. in ambi-*

ambiguit §. Non est novum ff. eodem tit .
4 Non obstat, quod virtute ejusdem Con-
cordiæ translatus fuerit in D Comitissam ex
ista mer causa alimentorum Fundus majoris
redditus pro rata annuarum lib. 16 mil. ,
quodque ipsa eodem fundo acceptato li-
beraverit D. Principem in amplissima forma
à quacumque præcedenti obligatione ,
etiam per pactum de non petendo .
Perperam enim exindè inferebatur, quod
imminutio & quasi integra deperditio dicti
annui redditus assignati ex post sequuta citra
ullam , vel minimam culpam D. Comitissæ
assignatariæ , ejus damno cedere deberet .
Quidquid namque de hoc esset , si ageretur
de Fundo empto , ac vendito ; illud utique
certum est , quod cum agatur de annuo red-
ditu pro alimentis assignato, tenetur assignans
illius exigibilitatem præstare , etiam si ea
expresè promissa non fuerit , ut in terminis
Dotis , quæ alimentis æquiparatur firmant
*Barbors. in l.51. num 10. , & seqq ff. solut.
Matrim. Tondut. quæst. Civil 39. n.6. Rota
in recen. dec 306. num.8 par.17. & dec.171.
num.15. par.18. tom.1.* & si Fundus assignatus
defecerit , debet alium ejus loco supplere ,
cum assignatio illius facta censeatur demon-
5 strativè , non taxativè , & correspectiva li-
beratio , & quietaotia recipientis non aliter
intelligenda sit , quam rebus in eodem statu
manentibus , ad *Text. in leg. Lucius Titius
ff. de aliment. , & cib. leg. , ubi Gloss. , &
Doctores , Guzman. de evict. quæst. 30. sub
num.28. Mantic. de coniectur. lib.9. tit. 3.
sub num.20. , Guidopap. dec.8. per tot. Rota
dec.63. num.21. par 11. rec.*
6 Hoc itaque constabilito , quod D. Prin-
ceps debeat pro alimentis D. Comitissæ ejus
uxori præstandis alium Fundum subrogare
facilis , & promptæ exactionis loco Fisca-
lium in concordia assignatorum , quæ penè
7 perierunt , quod attinet ad summam in qua
alimenta subministranda veniunt , Domini
non recedentes à placito partium in dicta
concordia designato , censuerunt illam ta-
xandam esse in annuis lib. 6. mil. monetæ
Franciæ , ad rationem tamen valoris , qui
currebat tempore ejusdem Concordiæ . Cum
ex hoc ipso , quod dicta annua præstatio fuit
tunc solemniter acceptata à D. Comitissa ,
8 præsumi debes congrua , & proportionata ,
tum ipsius conditioni & necessitati , tum
quoque dignitati D. Principis ejus Viri, jux-
tà regulam , cum qua in hisce casibus proce-
ditur , & præsertim in hoc Sacro Tribunali ,
ex deductis per *Rot. in d. dec.422. nu.4. , &
5. coram Royas .*
9 Quod autem attinet ad sumptus Litis DD.
ponderantes distantiam Locorum , gravita-
tem Causæ , & conditionem personarum ,
quodque denique ultra gemina dubia in præ-
senti Audientia proposita , disputari etiam
debet tertium super Remissoria , & Positio-
nibus , satis moderatè arbitrati sunt eo no-
mine subministrandos esse à D. Principe Tal-
laros quingentos Imperiales .

Et ita utraque Parte audita , & *omnibus DD. unamecum suffragantibus* resolutum fuit &c.

LAURETANA CENSUUM SUPER RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

Lunæ 9. Martii 1722.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio est confirmatoria alterius sub die 14. Junii 1717., & revocatoria respectivè aliarum trium sub diebus 10. Decembris 1717., 11. Martii 1719., & 22. Aprilis 1720. emanatarum .

Adversus male confectum à tutrice inventarium minor est ad beneficium restitutionis in integrum admittendus, etiam si factus major intra quatriennium non reclamasset ; ac se in hæreditate immiscuisset , quando dolo , & fraude cessantibus , idem inventarium validum credere potuit , ex quo creditores acquieverunt .

Tutrix ex quibus dicenda sit immunis ob omni occultationis bonorum suspicione , optimè refert sequens .

SUMMARIUM.

1 *Restitutio in integrum adversus male confectum tutelare inventarium datur , detecta læsione , nedum pupillis , & minoribus , sed & maioribus* & n.9.

2 *Amplia & si pupill: facti majores , intra quatriennium ab utroque jure præscriptum , non reclamassent,* intellige ut in n.3.

3 *Quatriennium ad effectum petendi restitutionem in integrum currere incipit pupillo majori facto à die scientiæ de inventario nullo & læsione , & posita ignorantia quodcumque , & si tempus longevum , non computatur ,* & num 4 & 5.

5 *Inventarium, etiam si minus validum, quam alterum de novo à tutrice factum , excusat filios majores factos, ne super bonis propriis divexentur , quando ab eo Creditores hæreditatis non reclamarunt , præsertim ad effectum obtinendi restitutionem in integrum .*

6 *Minor admittitur ad restititutionem in integrum adversus inventarium à tutrice illegaliter factum , ob æs alienum detectum, quod prius latuisset .*

7 *Amplia , & si factus major se in hæreditate immiscuisset , si tamen certam & individuam scientiam de inventario nullo , ac ære alieno non habuisset, præsertim ab obtinendam restitutionem in integrum .*

8 *Hæreditas quod sit damnosa probatur ex quo ejus vires non suppeterent pro dimittendo ære alieno .*

10 *Læsio ad effectum obtinendi restitutionem in integrum adversus inventarium nullam deberet concurrere cum certitudinem*

Ha-

status tum activi, cum passivi hæreditatis.

11 *Status activus, & passivus hæreditatis probantur ex inventario tutelari, licet vices hæreditarii non suppleat.*

12 *Inventarium tutelare, & si vires hæreditarii non suppleat, prodest tamen ad effectum firmandi statum hæreditarium, & ad probandum, quod in hæreditate alia bona non adfuerint pro conficiendo legali inventario, ac hæredem in propriis liberandi*, amplia, ut in num. 13. 14. & 16.

13 *Inventariũ tutelare exactam continens omnium rerum descriptionem etiam minimi valoris, & à tutrice cum Judicis auctoritate confectum, & proximorum præsentia, occultationis suspicionem rejicit.*

15 *Liber memoriarum probat existentiam bonorum hæreditariorum, & sufficit ad convalidandam redditionem rationis super eo à tutrice fundatam*, & vide casum.

16 *Inventarium tutelare robur assumens ab alia redditione rationis facta per tutricem valde probat pro convalidando inventario hæreditario.*

17 *Hæres, ne præjudicio afficiatur super bonis hæreditariis, sat est, ut quoquomodo, & per quodcumque probationum genus statũ hæreditarium ad certitudinem redigat*, & num. 19.

18 *Inventarium tutelare non potest de defectu redargui, ex quo tutrix bonafide omiserit describere quasdam partitas, de quibus in actibus præcedentibus, & signanter redditione rationis se exonerasset cum Judicis, novi tutoris, & consanguineorum interventu.*

19 *Status hæreditarius, cessante dolo, & fraude, levioribus etiam probationibus firmatur, & ex accuratis descriptionibus defectus inventarii suppleatur* & n. 20.

20 *Restitutio in integrum cessante dolo, & fraude ad effectum liberandi minorem super bonis propriis datur eidem adversus inventarium nullum factum à Tutrice.*

22 *Pupillus non afficitur damno, quod provenit ex scientia, negligentia, vel imperitia tutricis de tempore administrationis per ipsam gestæ.*

23 *Pupillus tutoris facto ligatur, si ad ejus manus aliquid pervenerit.*

24 *Pupillus admittendus est ad eam restitutionem in integrum adversus inventarium nullum, qua ejus tutrix uti neglexerit.*

DECISIO MCCC.

QUamvis sub die 10. Decembris 1717. Sacrum Tribunal, recedendo à resolutione capta die 14. Junii præcedentis, fuerit in sensu admittendi Fratres de Dionisiis ad beneficium restitutionis in integrum adversus inventarium male confectum per Tutricem post obitum Joannis eorum patris, adhuc in repropositionibus causæ habitis 17. Martii 1719., & 22. Aprilis 1720., confirmata extitit prima resolutio denegans restitutionem in integrum, *ut ex decisionibus dd. diebus coram Me editis*, verum dd. Fratres de Dionisiis spe nunquam destituti preservandi eorum personas, & bona propria ab executione mandati, sive exequatur contra eos obtenti per illos de Quatrinis, aliosque Creditores præfati Joannis eorum Patris, adversus contrarias resolutiones, petierunt admitti ad novam audientiam, eaque obtenta, cum hodiè proposuerim congruum dubium, Domini ex facti circumstantiis meliùs delucidatis, pro admissione ad beneficium restitutionis in integrum responderunt in *secundo loco decisis*.

Siquidem, positis novo examini probationibus hinc indè adductis in hodierna disputatione, præclarè constitit, quod hæreditas
1 d. Joannis nomine dd. Fratrum de Dionisiis inconsultò adita per Tomassinam eorum Matrem, & Tutricem absque confectione legitimi Inventarii fuerit revera damnosa, cum debita nuper detecta absorbeant etiam bona alio titulo, quam hæreditario Patris possessa per ipsos fratres de Dionisiis, & propterea ad evitandum præjudicium ex hujusmodi aditione resultans, valde æquum & congruum visum fuit mediante restitutione in integrum memoratos Fratres admittere ad confectionem novi Inventarii, cum posita læsione, hoc remedio consulatur, nedum minoribus, & Pupillis, quales erant dd. Fratres de tempore obitus Patris, sed etiam ætate majoribus, ex congestis *per Odd. de restit. in integr. par. 2. quæst. 89. Art. 7. num. 52. Gratian. discept. 656. nu. 7., et discept. 797. num. 19., Rota coram Cerro dec. 386. num. 1. et in rec. dec. 82. per Tot. par. 9., et dec. 381. num. 3. & 4. par. 13.*

2 Idque etiamsi dd. Fratres de Dionisiis majores facti, non reclamaverint intra quatriennium ab utroque jure præscriptum ad petendam restitutionem in integrum, *in cap. 3. de restit. in integr. in 6., & in leg. final. de tempor. restit. in integr.*, sed potius per plures annos acquieverint, continuando in possessione bonorum ipsis restitutorum ab eorum Matre, ac Tutrice.

Ut enim animadversum fuit *in decis. edita*
3 *d. die* 10. *Decembris* 1717. §. *Etenim*, tempus quatriennii non aliter computandum est, quàm à die scientiæ nullitatis inventarii, ac læsionis, positaque ignorantia, quodcumque tempus, etsi longevum minimè numeratur, ad tradita per *de Marin. resol. jur. lib. 1. resol. 299. sub n. 10., Gratian. discept. 403. n. 35., & seq., Marescott. var. resol. lib. 2. cap. 98. num. 9.*, ubi quod minor, stante ignorantia, restituitur etiam post centum annos, *Palm.*
4 *dec. Lucen. 269. n. 8.* Et proinde cum scientia hujusmodi nullitatis, ac æris alieni ipsis Fratribus de Dionisiis non obvenerit, nisi anno 1714., de quo tempore, detectis pluribus creditoribus antes ignoratis, illatæ fuerunt molestiæ contra eorum personas, & bona

propria, in his utique circumstantiis opportune dici debet promota instantia restitutionis in integrum, non obstante acquiescentia, in qua majores facti dicti Fratres permanserunt, ut præter mox allegatos benè firmavit *Rot. ad ornat., Card. de Luc. dec.19. nu.12. & seq. de testam. lib.9. dec.90. sub nu.15. in fin., & dec.92. n.10. de Fideic. lib.10.*

5 Maximè quia Tomassina eorum Tutrix
obtenta restitutione in integrum à Judice
Locali jam quoddam confecerat inventarium, quod successivè observatum fuit, absque eo quod Creditores hæreditarii, sive ante, sive post convocatum concursum, illud impugnaverint; cum namque in his terminis dd. Fratres permanere potuerint in justa credulitate, quod inventarium à Tutrice confectum esset, sufficiens, ac legitimum, certè credulitas ista, ac justus error magnam præbet causam, pro excusanda quacumque eorum acquiescentia, ut in puncto ad effectum obtinendi restitutionem in integrum adversus inventarium à Tutore confectum observat *Card. de Luc. de hæred. disc.11. sub n.13. & seq., & disc.22. n.17. in fin., Rota apud eund. dec.19. n.12. lib.9. de Testam., cor. Cerr. dec.386. n.2., & dec.485. num.3.,*
6 pront etiam similem causam efficienter præbet ipsa notitia creditorum de novo superventa, & sine qua læsio non potuit animadverti, *Gratian. discept.656. nu.11., & discept.737. num.24., Odd. de restit. in integr. p.2. q.89. art.7. nu.15., Urceol. de transact. q.72. n.final., Rot. in rec. dec.82. n.824. cum seq. part.9.*

7 Neque ex eo quod dd. Fratres ignari sese immiscuerunt in hæreditate paterna continuando in retentione, ac possessione bonorum, quæ ipsis restituerat eorum Tutrix, ab intentato remedio repellendi sunt, quia non concurrente certa, ac individua scientia nullitatis inventarii, ac æris alieni, ratihabitio, vel approbatio aditionis per Tutricem inconsultò expletæ, nullo modo dici valet inducta ex immixtione, ac bonorum hæreditariorum retentione, neque inspecto initio, ex hoc motivo denegari potest. beneficium restitutionis in integrum, juxta celebre responsum Vulpiani *in leg. denique 3. §. Si quis cum minore vers. scio etiam ff. de minor., Rodulph. in alleg. 177. num.33., Adden. ad Pamphil. dec.666. n.10., Card. de Luc. de hæred. disc.22. sub n.17. in fin., Rota apud eund. d. dec.19. n.15. cum duabus seq., de testam. lib.9. in rec. dec. 82. n.18., cum plur. seqq. p.9., & dec.475. n.47., & seq. p.19.*

8 Frustra verò his positis impugnabatur, quod hæreditas d. Joannis fuerit damnosa, ac læsiva, dum de hoc satis constare visum fuit, tum ex quo Tomassina durante administratione susceptę tutelæ, ex bonis hæreditariis dimisit Creditores præfati Joannis in conspicua summa scut. 8525., tum quia eadem mulier de anno 1697., occasione transitus ad secunda vota in causam restitutionis propriæ dotis detrahi obtinuit alia corpora hæreditaria in summa scut. 3000., tum denique quia convocato successivè concursu aliorum Creditorum ejusdem Joannis, subhastata, ac deliberata fuerunt reliqua bona hæreditaria, illorumque pretium scutorum 2473. consignatum extitit dd. Cre-
9 ditoribus; cum namque consumptis tali medio omnibus bonis hæreditariis, adhuc exterent satisfacienda debita in ingenti summa, in totum absorbentia tenue patrimonium alio titulo, quàm hæreditario Patris possessum per dd. Fratres de Dionisiis, absque dubio probata remanet læsio enormissima dd. Fratrum, quibus propterea succurrendum est, mediante beneficio restitutionis in integrum, *Ridolph. in prax. p.1. cap.9. num. 184. & seq., Rot. cor. Emerix sen. dec.19. n.37 cor. Pamphil. dec.666. n.1. & 3., & in Romana restitutionis in integrum 23. Junii 1698. §.1., & seq. cor. bo. mem. Card. Caprara.*

Absque eo quod relevans visa fuerit exceptio, quod hodie post decursum tot annorum, qui lapsi sunt à die obitus Joannis debitoris, impossibile sit firmare statum activum cum omnimoda certitudine, ac exclu-
10 sione existentię aliorum bonorum, licet enim ad probandam lęsionem, quę causam præbeat restitutioni in integrum necessariò concurrere debeat non solùm certitudo quoad statum passivum, sed etiam quoad acti-
11 vum, nihilominus de hac certitudine, ac necessaria probatione satis constare apparuit, ex quo sequuto obitu d. Joannis debitoris, ejus patrimonii administrationem nomine filiorum in pupillari ætate existentium assumpsit d. Tomassina eorum Mater, distinctè, & cum omnibus solemnitatibus confecto inventario tutelari, quod licèt regulariter non suppleat vices inventarii hæreditarii, *Bartol. in leg. in ratione 11. §. Quod vulgò n.8. ff. ad leg. falcid., Rot. in rec. dec.*
12 *88. n.24. p.7.*, prodest tamen ad effectum firmandi statum hæreditarium, & ad probandum, quod in hæreditate alia bona non aderant pro conficiendo legali, ac legitimo inventario, ac evitando gravi pręjudicio in bonis propriis hæredis emergente, ut benè firmant *Cancer. var. resol. p.3, cap.2. n.132., Staiban. jun. resol. 168. n.32., Rodulph. alleg.177. n.37., Rota coram Emerix jun. dec. 135. n.8., & dec.795. nu.35., apud Card. de Luca dec.19. n.18., & seq. de testam. lib.9., & dec 91. n.10. & seq. de fideic. lib.10.*

13 Attento præsertim, quod d. inventarium tutelare non solùm continet exactam descriptionem omnium rerum etiam minimâ valoris, & confectum noscitur à d. Tomassina Matre cum auctoritate Judicis, & assistentia proximiorum dd. pupillorum, quod removet omnem subtractionis, ac dolosę occultationis suspicionem, & certius probat veritatem status hæreditarii, ex optimè firmatis per *Giovagn. cons. 19 n. 20. vers. attamen lib.2., Rota cor. Priol. dec.320. n.9.*

sed

14 sed etiam fomentum recepit, tum ex eo
quod d. Tomassina Tutrix retinuit particu-
larem librum cum distincta omnium rerum
adnotatione; tum ex eo quod de anno 1676.
obtenta licèt nulliter restitutione in inte-
grum, eadem Tutrix novum confecit inven-
tarium, reddita coram Judice, & pupillo-
rum consanguineis ratione administratæ hæ-
reditatis, quæ duplex circumstantia absque
dubio maximè auget probationem status
15 hæreditatis, ut in fortioribus terminis ex
simplici adnotatione in libro memoriarum
docet *Rot. cor. Coccin. dec.* 1886. *nu.* 10. *&
seq.*, & ex simplici redditione rationis per
Tutricem reddita, expendit eadem *Rota
cor. Emerix jun. d. dec.* 135 *sub num.* 8. *vers.
accedente præsertim, & conferunt deducta in
rec. dec.* 182. *n.* 7. *&* 8 *p.* 19.
16 Eoque certiùs, quia dictum inventarium
tutelare robur assumit ex alia redditione
rationis successivè facta per eamdem Tutri-
cem de anno 1697., nam illa occasione tran-
situs ad secunda vota, adhibita pariter non
minùs Judicis auctoritate, quam dd. Proxi-
miorum consensu, solemnem reddidit ratio-
nem de omnibus bonis administratis, omni-
busque exactionibus per ipsam factis, & præ-
via singulorum descriptione, restituit filiis
adhuc minoribus, & pro eis Thomæ Philip-
po Quatrino novo Tutori eadem bona hæ-
reditaria, reportata finali quietantia; ideo-
que si ex hoc actu adeo solemni redditionis
rationis distinctè habetur, quæ bona fuerint
per Tutricem administrata, quæve minori-
bus restituta sint, & ad eorum manus per-
venerint, cessat omnis difficultas circa pro-
bationem status hæreditarii, & negativæ
17 existentiæ aliorum bonorum, & tamen ad
effectum de quo agitur, pro evitando præ-
judicio hæredis ultra vires hæreditarias, sat
est, quod status hæreditatis quoquo modo,
& per quodcumque genus probationum ad
certitudinem reducatur, ut tradunt *Sami-
niat. Contr.* 48. *nu.* 17. *Tancred in resol* 58.
nu. 2., *Marescott. var. resol. lib.* 2., *& cap.*
72. *n.* 3., *Cyriac. contr.* 5. *n.* 17., cum aliis re-
latis in *d. decis. hujus causæ* 10. *Decembris*
1717. §. *Addebantque.*

Atque hinc nullius momenti reputatæ
fuerunt omissiones consideratæ in præteritis
causæ propositionibus adversus d. inventa-
rium tutelare, nam ultra quod earum insub-
sistentia in singulis objectionibus latè de-
monstrata fuit *in d. dec.* 10. *Decembr.* 1717.
§. *Neque in illius eversionem*, ad quam Do-
mini, evitando inutilem repetitionem, satis
esse censuerunt remissivè se habere, genera-
18 liter, & in universum cessare visi sunt qui-
cumque allegati defectus, ex quo Tutrix
partitas, quas bona fide, & absque animo
fraudandi creditores minùs distinctè descri-
pserat, vel omiserat in inventario tutelari,
cum omni sinceritate patefecit, & adnota-
vit in aliis actibus superiùs recensitis, & si-
gnanter in publico instrumento redditionis
rationis ultimo loco expletæ cum interven-
tu Judicis, novi Tutoris, & Consanguineo-
rum; sicuti enim in actibus adeo solemnibus,
& proportionatis præsumi nequit, quod re-
stitutio minùs integra facta fuerit per d. Tu-
tricem, ita ex distincta adnotatione subse-
quuta, legitimè suppletæ remanent objectæ
19 omissiones inventarii tutelaris ad effectum
firmandi statum hæreditarium, pro quo, ces-
sante fraude, ac dolo, admittuntur probatio-
nes longè minùs efficaces, ut probat *Rota
coram Duran. dec.* 387. *la prima num.* 17. *&
seq. cor. Priol. dec.* 320 *nu.* 8., *& seq. coram
Emer. jun., dec.* 135. *n.* 9 *in fin. coram Ben-
incas., dec.* 29. *n.* 9., *et in rec, dec.* 16. *num.* 1.,
et seq. p, 18.
20 Potissimè reflectèdo, quod Quatrinis credi-
toribus redarguere satagentibus inventarium
tutelare, aliasque probationes pro firmando
statu hæreditario adductas, hucusque datum
non fuit ullo modo justificare, quod inge-
nua Tutrix quid minimum occultaverit, vel
sibi, ac pupillis appropriaverit, nihil-
que per eos inveniri potuit, sive ex credi-
tis, sive ex quibuscumque bonis, ac rebus
ad hæreditatem spectantibùs, quod in dd.
publicis instrumentis, & solemnibus actibus
iteratæ redditionis rationis descriptum, &
21 patefactum non fuerit, & proinde in his
circumstantiis, remota fraude, ac dolo dd.
Fratrum de Dionisiis, qui creditoribus, non
impediunt executionem super bonis hære-
ditariis, nimis asperum visum fuit illis de-
negare remedium restitutionis in integrum,
deferendo scrupulosis exceptionibus, qui-
bus d. tutelare inventarium, aliæque pro-
bationes ultra æqui bonique limites singilla-
tim criticantur, contra firmata per *Rotam
coram Emerix sen. dec.* 19. *nu.* 8. *et* 9. *in rec.
dec.* 381. *n.* 11., *et seq. p.* 13., cum aliis in *Ro-
mana prætensæ redditionis rationis* 26. *Mar-
tii* 1703 §. *Cumque cor. bon. mem. Card. Ca-
prara*, præcipuè omnibus simul junctis, *Gra-
tian. discpt.* 797. *sub n.* 14., *& seq.*, *Rot. in
rec. dec.* 271. *n.* 2. *&* 8. *p.* 14., *& dec.* 15. *n.* 1.
p. 15., *& in Romana redditionis rationis* 9.
Junii 1721. §. *Absque eo quod, &* 6. *Febr.*
1722. §. L*icèt enim cum duobus seq. cor, R.
P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Guber-
natore.*
22 Quamobrem neque etiam curandum
erat, pro deneganda restitutione in inte-
grum, de illa alia objectione, quod nempe
ipsa Tutrix usque ab anno 1676. scientiam
habuerit de credito, pro quo agunt Qua-
trini, & Instantiis ab eorum Auctoribus ju-
dicialiter promotis, & detecta necessitate
conficiendi legitimum inventarium de anno
1677., jam semel, ut dictum est, obtinue-
rit à Judice locali restitutionem in inte-
grum: scientia enim, negligentia, vel im-
peritia Tutricis de tèpore administrationis
per ipsam gestæ, non est allegabilis contra
pupillos, quales tunc temporis èrant dd.
23 Fratres de Dionisiis, cum in præsenti non
agatur de contractu, aut facto Tutoris, per
quod aliquid ad pupilli manus pervenerit,

ut notat Conciol. *de hered. art.*1. *num.*398. *Bondeu. collect.*21. *num.*77. *p.*2., *Saminiat.*
24 *contr.*48. *n.* 28. *& seq.*, *Rota cor. Emerix sen. dec.*19. *n.*6. *&* 7. Et eo ipso, quod eadem Tutrix legitimè usa non fuit d. restitutione in integrum illam obtinendo à Judice incompetente, & non conficiendo legitimum inventarium, succurrendum est eorum filiis, mediante nova restitutione, ne aliàs ex culpa, vel ignorantia Matris, ac Tutricis remaneant enormissimè læsi, ut per *Text. in leg. Si sine* §. *Restitutus ff. de minor.*, optimè docet *Magon. dec. Lucen.* 68. *num.*16., *& seq.*, *Rota in Sabinen. bonor. super articulis* 29. *Januarii* 1703. §. *Quoniam*, *& in ead. super restitutione in integrum* 11. *Januarii* 1704. §. *Ultima tandem cor. bo. me. Kaunitz.*

Et ita relativè ad decisionem in secunda causę propositione editam, *exquisitis pariter omnium Dominorum suffragiis*, resolutum fuit utraque &c.

MACERATEN. LEGITTIMÆ.

Ven. 13. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Parentes in vim *legis humanitatis C. de impub. & aliis subst.*: pro filio furioso testamentum condere possunt, sicut & pro impubere, & licet fratres, & filios ejusdem substituere teneantur; ista tamen lege iidem non ligantur, quando filii, vel fratres per renunciationem, vel aliam hujus generis causam se incapaces succedendi reddidissent, adeò quod his in terminis, consanguineis prætéritis, possunt extraneos instituere,

SUMMARIUM.

1 *Causa testati, intestati causam cessare facit.*
2 *Substitutus exemplariter à Matre filio mentecapto in omnibus istius bonis succedit, imo etiam in legittima sibi in bonis Matris competente.*
3 *Substitutus exempláriter à Matre filio mentecapto hæreditatem acquirit, si etiam essent præteritæ sorores ipsius mentecapti, quæ ob ingressum in religionem solemniter renunciassent cuicumque hæreditati*; & n.10.
4 *Renunciatio facta ob ingressum in Religionem cuicumque hæreditati operatur, ut renuncias, quoad jus succedendi, pro mortuo habeatur*, & n.15.
5 *Testamentum pro filio mentecapto potest condi à parentibus, & qui in furore decesserit*, & n.7.
Et in hoc lex à regulis juris aberrat.
6 *Nemo pro alio testari potest.*
7 *Pater testando pro filio mentecapto, substituere tenetur aliquem ex illius filiis, vel fratribus, quatenus adsint*, & declara, ut in n. 11.
9 *Impuberes testantur per organum Parentum, istique nomine illorum possunt extraneum, fratribus præteritis, substituere.*
11 *Parentes, etsi teneantur in testamento, quod condunt pro filio furioso, fratres substituere juxta legem humanitatis, id tamen procedit in terminis, quo fratres essent capaces succedendi, nec beneficium dictæ legis est trahendum ad casum, quo essent omninò inhabiles, & incapaces*, ampliа ut in nn. 13. & 18.
12 *Lex humanitatis respectu furiosi favorabilis dicitur, ut ad exemplum impuberum testatus decedat.*
14 *Filii possunt omninò preteriri etiam in legittima, quando propter renunciationem, vel aliam hujus generis causam civiliter essent mortui.*
16 *Testamentum furiosi factum à Patre in vim legis humanitatis non potest de nullitate redargui à consanguineo, ex quo illius soror fuisset præterita, quià soror po est de nullitate dicere, & non consanguineus*; declara, ut in n. seqq.
17 *Testamentum patris, in quo filius esset præteritus est validum, donec à filio præteritionis querela non proponatur.*
18 *Lex* humanitatis *ad filios, & fratres mentecapti tantum restricta est, nec ad agnatos remotiores se extendit.*
19 *Renunciatio filiarum ob ingressum in Monasterium facta favore Patris coalescit in fratre tamquam Patris hærede post illius obitum*, & vide ad quem effectum.
20 *Actio, & passio non dantur in eodem subjecto.*

DECISIO MCCCI.

Post quam in præsenti Causa tres prodierant Decisiones coram Reverendissimo Crispo, prima nempè, & ultima favore Petri Pauli Compagnoni exemplariter à Theodora substituti Jo: Baptistæ filio mentecapto, secunda verò, & intermedia favore Josephi Antonii de Amicis agnati proximioris ejusdem Jo. Baptistæ: Subrogatus in locum dicti Reverendissimi Ravennaten. dubitavi sub die 10. Decembris proximè præteriti an esset standum in secundo, vel ultimo loco decisis; sed quia tunc ob suffragiorum paritatem nulla capi valuit resolutio, hodiè iterum consului Dominos super eodem dubio, & responsum fuit: *Standum*
1 *esse in ultimo loco decisis*, cum attenta dicta exemplari substitutione testati causa cessare faciat causam intestati, cui Joseph
2 Antonius innititur, & Compagnonus Substitutus perinde haberi debeat, ac si ab ipso mentecapto in omnibus ejus bonis, & sic etiam in legitima, eidem debita in bonis maternis fuisset heres directè institutus, juxtà celebrem *Text. in l. humanitatis Cod. de impub.*, *& aliis substitutionibus*

3 Quam-

3 Quamquam vero etiam hodie insisteretur
super nullitate d. exemplaris substitutionis,
ex quo Theodora Mater contra formam in
dicta l. præscriptam, unam saltem ex Soro-
ribus, quas mentecaptus post se reliquis non
substituerit, solida tamen, & undequaque
firma visa fuit responsio illa, quod in casu
de quo agitur liberum erat Matri quem-
cumque substituere, dum dd. Sorores Joan-
nis Baptistæ mente capti, licet naturaliter
Superstites, erant tamen tunc temporis ci-
viliter mortuæ, tùm ratione solemnis pro-
fessionis in Monasterio emissæ, tùm quoque
ex capite amplissimarum renunciationum,
quarum virtute ab omnibus successionibus,
& Bonis, ac præsertim fraternis, longè an-
4 teà sese omnino abdicaverunt, unde non se-
cus de illis censendum erat, ac si in rerum
natura non extitissent, *Paul. de Castr. in l.
plane § Si duobus ff. de legat.* 1. *Rot. decis.*
109. *n.* 1. *& seqq. par.* 5. *& dec.* 356. *num.*3.
par. 13. *& sæpè alibi*.

Minimè urgente replicatione, quod privi-
legium in d. l. parentibus indultum longè
aberret à regulis Juris, atque ideo interdicta
quacumque extensione de casu ad casum,
sufficiat filios, aut fratres mentecapti natu-
raliter superexistere ad hoc, ut veniant ne-
cessario, ac pro forma substituendi, etiam
si de cætero succedere nequeant cum ef-
fectu.

5 Ut enim DD. animadvertebant, duo in d.
l. principaliter disponuntur, alterum vide-
licet, quod Parentes pro filio Mentecapto
testari possint, quatenus in furore decesserit:
& in hoc quidem sicuti lex aberrat à regu-
6 lis Juris, juxta quas nemo pro alio testari
7 permittitur, ita recipi etiam potest, quod
strictè, & rigorosè interpetranda veniat, ne
scilicet ratum habeatur Testamentum pro
filio majore factum, nisi iste perpetuo men-
tis vitio laboraverit, & in furore decesserit,
atque ità dignus revera fuerit humanitate,
ac pietate illa, quæ impuberes quoque pro-
pter ætatis imbecillitatem simili privilegio
8 donavit: alterum vero est, quod Parentes
testando pro filio mentecapto aliquem ex
ejus filiis, vel Fratribus, quatenus adsint, &
sapientes fuerint substituere teneantur, & in
hoc si quid lex deviat à Jure communi, so-
lum deviat in eo, quod sicuti furioso libe-
rum fuisset fratribus præteritis, quemcum-
que sibi hæredem instituere præter turpem
personam, si mentis compos testari per se
ipsum potuisset, ita quoque eadem liberta-
9 re gaudere deberet, dum mentis, & ratio-
nis impos per Organum Parentum testatur,
exemplo impuberum, pro quibus si Pater te-
stetur, benè potest fratribus ipsius impu-
beris præteritis, extraneum substituere ju-
xtà *Text. express. in l. Papinianus §. Sed ne-
que impuberes ff. de inoff. test.*, & docuit
Jason. in l. 1. *§. pen. de vulg & pup. num.*3.
Mantic. de conject. lib. 5. *tit.*11. *n.*14. *&
tit.* 12. *n.* 11.

Hoc autem posito, quatenùs lex humani-
tatis tamquam exorbitans à Juris regulis sit
stricte, & rigorose interpetranda, non solum
Josepho Antonio non suffragatur, sed po-
tius contra ipsum retorquetur, nam pro eo
10 quod attinet ad facultatem exemplariter
substituendi ex primo cap. d. l. desumptam,
de eo quidem dubitari non potest, quin
Theodoræ competeret, cum in facto mini-
me controvertatur, Jo: Baptistam ejus fi-
lium, & perpetuò mentis vitio laborasse,
11 & in eodem revera decessisse, quod vero
attinet ad necessitatem substituendi fratres
mentecapti, si lex etiam in hoc secundo ca-
pite stricte interpetranda venit, utique ne-
cessitas in ea præscripta non est trahenda ad
casum, quo Fratres, vel Sorores sint, prout
in Hypothesi, omnino inhabiles ad succe-
dendum, cum sufficiat illam verificari in ca-
su, & quatenus fratres sint capaces cum ef-
fectu succedere, dum præsertim lex vo-
cando Fratres superstites, si insipientes, &
illi non fuerint, videtur potius ad effectum
successionis, & capacitatem succedendi,
quàm ad materialem eorum existentiam re-
spexisse, & dum insuper, juxta magis com-
munem Doctorum opinionem, non ex alia
ratione Legislator præscripsit, filios, aut
fratres mentecapti esse necessario substituē-
dos, nisi quia præservari quodammodo illis
esse voluit Jus legitimæ successionis, quod
ante promulgationem d. l. habebant, men-
tecapto ab intestato decedente, ut ad ex-
plicationem d. legis tradunt *Alberic. Cyn.
Salicet.*, & alii plures quos recenset, ac se-
quitur ultima Decisio Causæ §. *Verùm cum
cor. Rmo Crispo*.

12 Cæterum quidquid sit de exorbitantia, &
odiositate d. l. respectu ad aliquos effectus.
Sane respectu ad ipsum furiosum, tamquam
humanitatis, & pietatis plena, revera non-
nisi benigna, ac favorabilis dici potest, cum
per eam inductum fuerit; ut qui propter
mentis vitium intestatus antea decedere
cogebatur, nunc exemplo impuberum te-
status decedat, sicuti in proposito firmant
*Alexander, Decius, Cephal. & alii de quib.
13 in d. ultima decis. §. Constabilitio*. Pro-
ptereaque ne mentecaptus in casu quo ei
sint superstites filii, vel fratres omnino ad
succedendum inhabiles, citra ejus culpam
privetur privilegiata hujusmodi Testamen-
ti factione humanitatis intuitu eidem indul-
ta, nullo modo debemus legem accipere
in sensu civili, prout generaliter leges om-
nes sunt accipiendæ, ut nempe Parentes
eatenus substituere debeant filios, aut fra-
tres Mentecapti, quatenus isti sint habiles
ad succedendum, quatenus vero sint inha-
biles, & respectu successionis in ejus bonis
sint civiliter mortui, tunc liberum illius sit
alium quemcumque substituere, ne furiosus
eo casu intestatus decedere cogatur, ut re-
probato *Soccin.* & aliis paucis ipsum sequen-
tibus, firmant in puncto Sororis à Statuto
exclusæ *Ruin. cons.* 113. *num.* 13. *lib.* 2.
*Zanch. ad l. hæredes mei §. Cum ita ad Tre-
bell.*

bell. par. 10. *sub num.* 5. *Merenda contr. Iur.*
lib. 15. *cap.* 16. *per tot.* & præsertim *num.* 1.
14 *&* 2. & bene congruit exemplum ejus,
quod habemus dispositum circa filios, qui
licet ex præscripto legum sint pro forma, &
necessario in legitima instituendi, si tamen
isti vel propter deportationem, vel propter
renunciationem, vel propter aliam hujus
generis causam sint civiliter mortui, tunc
possunt impune præteriri ad *Text. in l.*
posthumus §. *Si quis ex his, ubi Ang. nu.* 3.
ff. de inoff. test. Rot. post Michal. de fratr.
dec. 22. *n.* 7. *& post* Constantin. *dec.* 136. *n.* 8.
ubi concordantes.
15 Retento igitur hujusmodi sensu, tamquam
verisimili legis latoris menti, ac civili ratio-
ni magis accomodato, nullatenus impu-
gnari poterat validitas exemplaris substitu-
tionis à Theodora facta favore Petri Pauli
Compagnoni, dùm Sorores Jo: Baptistæ
Mentecapti jam longe antea solemniter pro-
fessæ in Monasterio sese ulterius de medio
omnino sustulerant, mediantibus amplissi-
mis renunciationibus late expositis & expli-
catis in præcedenti ultima decisione §. *Ve-*
16 *rum enim verò cum seqq.* Sed quatenus
etiam de validitate d. substitutionis aliquo
modo dubitari posset ex quo nulla ex So-
roribus substituta fuerit, hoc tamen minime
suffragari valeret Josepho Antonio de Ami-
cis cum jus dicendi de nullitate d. substitu-
tionis in hujusmodi hypothesi solum com-
peteret eisdem Sororibus, quæ tamen nul-
lam hactenus de hoc querelam promove-
17 runt, sicuti autem Paternum Testamen-
tum, in quo filius præteritus fuit, validum
ratumque manet quousque filius illud non
impugnaverit, ita exemplaris substitutio
ob præteritionem fratrum, vel Sororum
nulla dici nequit, si ipsi fratres, vel Sorores
hujusmodi querelam non proponant, ut benè
ex authoritate *Bart.*, *&* *Bald.* notavit ul-
tima Decisio Causæ §. *Quamquam verò*.
18 Et hinc est, quod frustra Joseph Antonius
sibi blandiebatur hanc querelam promove-
re posse, vel tamquam Agnatum proximio-
rem Mentecapto, vel tamquam dd. Soro-
rum renunciatarium; quod enim attinet ad
primam obiecti partem cum dispositio *d. l.*
ad filios, ac fratres ipsius Mentecapti sit li-
teraliter restricta, nullo modo potest
ad Agnatos remotiores extendi, qui in d l.
nullatenus considerantur, *ut artic. discusso*
firmavit *Rota dec.* 802. *num.* 67. *& sequen.*
cor. Buratt., quod vero spectat ad secun-
dam, omissa quæstione illa, an Jus dicendi
de nullitate exemplaris substitutionis filiis
vel fratribus competens sit in alios cessibile,
aut transmissibile, difficultas omnis cessabat
in casu, dùm renunciationes à Sororibus
emissæ, vel erant de sui natura simplicitèr
abdicativæ, ut late probat ultima Decisio
19 §. *Quod autem renunciatio*, & *seqq.*, vel
saltem respectu fraternæ hæreditatis tales
evaserant, eo ipso, quod post obitum com-
munis Patris effectu renunciationum coal-
verant in eodem fratre, tamquam unicò Pa-
20 tris hærede, itaut propterea jura Sororum
renunciantium eo ipso remanserint extincta
ratione incompatibilitatis actionis, & pas-
sionis in eadem fratris persona concurrere
nequeuntis, ut bene animadvertit d. ultima
Decisio §. *Cæterum*.

Et ita omissa inspectione de novo hodie
promota pro parte Petri Pauli ex alio *Text.*
in l. final. C de curat. furios. tamquam ad
Causæ Decisionem minime necessaria, & re-
lative in reliquis ad primam, & ultimam
Decisionem Causæ, resolutum fuit omnibus
DD. suffragium ferentibus &c.

ROMANA CANONUM.

Ven. 13. Martii 1722.

ARGUMENTUM.

Dominium directum super fundo emphitheutico ad effectum exigendi Canones, & Laudemia ex continuata exactionum serie, reportatione mandati citatis interesse habentibus, & emphytheuta probatur, neque ex non exactione, ministrorum potius negligentiæ tribuenda, excluditur.

SUMMARIUM.

1 *Dominium super fundo emphytheutico probandum est à Domino directo, qui pro fundi vindicatione ad effectum devolutionis agat*; Limita, ut in n. 2.

2 *Probationes leviores admittuntur, quando actio dirigitur dumtaxat ad effectum referendi recognitionem in dominum, solutionem Canonum, & laudemiorum.*

3 *Dominium directum super fundo emphytheutico ad effectum exigendi canones, & laudemia probatur ex possessorum confessionibus, solutionibus eorundem, & re judicata*, & nn. 4. 5. 7. 8 10. 11. & 12.

6 *Item, ex quo emphytheusis condominus medietatem laudemii indebite exacti alteri condomino retrocedere fuisset coactus.*

7 *Item ex Instrumentis alienationum, & compossessorum confessionibus.*

9 *Item ex continuata exactione Canonum probata per extractionem partitarum ex libris domini directi*, & n. 12.

10 *Canon super uno fundo eandem præsumitur habuisse originem cum altero canone ejusdem quantitatis.*

11 *Solutio canonum ad titulum directi dominii refertur.*

12 *Item dominium directum probatur, ex quo dominus citato altero condomino, & emphytheuta obtinuisset à Judice istum condemnari ad solutionem canonum*; amplia, ut in n. seqq.

14 *Identitas fundi in antiquis probatur ex designatione duorum tantum confinium.*

15 *Identitas fundi probata ex designatione*

co-

confinium non destruitur à designatione chtastri ab uno ex condominis directis confecti altero condomino non citato, & n. 17.

16 *Prejudicium non affertur tertio ex re inter alios acta.*

17 *Quantitas predii emphytheutici probatur ex enunciativis instrumentorum, occasione qua de uno in alium pertransit.*

18 *Dictio* -- circiter -- *modicam designat quantitatem infra, vel supra expressam.*

19 *Associatio ad fundum emphitheuticum debetur domino directo canonum creditori in sequelam dominii.*

20 *Dominium directum numquam censetur amissum ob non exactionem canonum, quando Dominus se creditorem pro illis in suo libro descripsisset, idque sat est, ne pro spoliato habeatur.*

21 *Negligentia Ministri in exigendo canones dominium directum prejudicio non afficit.*

DECISIO MCCCII.

ASsociationem postulatam à Venerabili Monasterio Sanctæ Susannæ ad Vineam positam extra Portam Latinam de directo ipsius, ac Reverendissimi Capituli Sanctæ Ecclesię Lateranensis condominio pro consequenda satisfactione portionis Canonum, & Laudemii sibi debiti contra Stephanum Bonajutum novum d. Vineę Emphyteutam a præfato Capitulo investitum, denegandam censuit A.C. per Sententiam absolutoriam favore Successorum prædicti Stephani interim defuncti latam, in qua etiam concessit eidem Capitulo ad causam admisso manutentionem in quasi possessione omnium Jurium Dominicalium, tamquam unico, & absoluto dictæ Vineæ Proprietario; unde Causa appellationis per Monasterium interpositæ mihi commissa, proposui in geminis audientiis sub die 26. Martii 1718., & 6. Decembris 1719 Dubium -- *An, & de cujus Dominio constet, & pro qua rata, itaut sit danda associato* -- , sed resolutio, quæ primo dilata fuit ob non satis certam controversę Vineæ identitatem, ac secundo capi non potuit ob Suffragiorum scissuram, sublatis tandem omnibus difficultatibus, rebusque magis dilucidatis, ac facta Judiciali dimensione Vineæ, & recognitione Confiniū prodiit in hodierna Audientia, in qua Domini responderunt -- *Constare de Dominio favore Monasterii Sanctæ Susannæ pro rata Canonis Annuorum Cadorum sex Musti, & duarum Corbiarum Uvę, eique dandam esse associationem juxta modum, scilicet pro eadem rata Canonum decursorum, ac Laudemii.*

1 Quamvis enim Dominii probatio plenissima exhiberi debeat à Domino directo, qui agat rei vindicatione, ad effectum devolutionis, ad *Text. in leg. Officium 9. ff. de rei vindicat. Leg. final. Cod. eodem, & Leg.*
2 *Possessiones 2. Cod. de probat.*, ejusdem tamen Dominii probationis rigor valde remittitur, quando actio dirigatur dumtaxat ad effectum recognitionis in Dominum, & solutionis Canonum, aut Laudemiorum, cum eo casu leviores etiam probationes sufficiāt, ex deductis per *Bartol. in Leg. quidam in suo num. 4. versic. Secunda casu ff. de condict. Indebit.*, & notavit etiam *Bald in Leg. inditia Cod. de rei vindic.*, *Fulgin. de Contract. Emphyt. quæst. 26. num. 7.*, *Rot. coram Dunozz. Junior. decis. 28. num. 4., & sequen., & in Romana Domus 27. Junii* 1689. §. *Recognitioni coram bonæ memo-*
3 *riæ Molines*, unde in præsenti hypothesi, in qua Monasterium Sanctæ Susannæ solummodò egit pro consequtione Canonum, & Laudemii, ac recognitione in Dominum contra illos de Bonajutis Possessores controversæ Vineæ Emphyteuticæ visum fuit ad prædictum effectum plenissime probatum ejus directum Dominium super eadem Vinea pro rata Canonum, & Laudemii superius expressa, tum ex multiplicibus plurium possessorum Confessionibus, tum ex continuatis solutionibus Canonum, & Laudemiorum etiam auctoritate rei judicatæ confirmatis *Altograd. consil. 14. num. 41, & seqq. lib. 2., Rot. decis. 249. num. 2., & 3., & pluribus seqq. part. prima Recent., in dicta Romana Domus 27. Junii* 1689. § *Recognitionis, & sequen. coram bonæ memoriæ Molines, & in Romana Emphyteusis 11. Martii* 1699. §. *Tertio, & sequen. & 11. Decembris ejusdem Anni* §. *Iterum enim cor. bon. mem. Muto.*

4 Sanè inter Confessionea, & enunciativas Investitorum primo loco se offerebat antiquissima declaratio emissa Anno 1571. ab Alexandro Mazzanica ejusdem Vineæ tunc Possessore, qui obtemperando Motui proprio semper recolendæ memoriæ Divi Pii Quinti super Bonis Ecclesiasticis, denunciavit se habere -- *Una Vigna fuori di Porta Latina, che paga dodici Barili di risposta sei à San Giovanni, e sei, e due Corbe d'Uva à San Sebastiano della Valle* -- quam
5 Ecclesiam Sancti Sebastiani de Valle, cum sine controversia admittatur fuisse deindè unitam dicto monasterio Sanctæ Susannæ, utique ad ipsius favorem ex tali declaratione emissa in actu adeo proportionato resultat probatio Dominii pro dicta rata, *Fulgin. de Jur. Emphyt. tit. de contract. Emphyt. quæst. 26. num. 10., & seqq., Cancer. variar. resol. part. prima cap. 2. n. 28., & part. 3. cap. 13. num. 14., Rot. cor. Coccin. dec. 2017. n. 6., & 7., & dec. 249. nu. 3. par. 1. Recent.*

6 Rursus hanc ipsam Vineam ab eodem Alexandro Mazzanica sibi legatam cum venderet Societas Beatæ Mariæ de Carmelo Anno 1606. cuidam Lucretię Fedinæ, expresse reservavit Consensum -- *Canonicorum Sancti Joannis, & simul Rectoris S.S. Susannæ, & Sebastiani Proprietariorum* -- Eamque asseruit paritèr, & declaravit gra-

gravatam -- *Annua responsione, seù Canone Barilium duodecim Musti, nempè sex debitorum Canonicis Sancti Joannis, et aliorum sex Rectori SS. Susannæ, & Sebastiani* -- Prout de facto eidem venditioni consensum præstitere, nedum prædicti Canonici Lateranenses, verum etiam Rector ejusdem Ecclesiæ Sancti Sebastiani, qui præterea ex Laudemio à Confraternitate Venditrice soluto in manibus Canonici Camerarii ejusdem Capituli, medietatem sibi debitam sine contradictione ab eodem Canonico recepit; unde ex his multo magis argui valet Dominium pro rata favore Monasterii, dum illud idem agnovisse videtur etiam præfatum Reverendissimum Capitulum, eo ipso, quod restituit medietatem integri Laudemii ab ejus Camerario exacti, ex adducta per *Rot. in Romana Domus* 27. *Junii* 1689. §. *Recognitionis cor. bon. mem. Molines, & in Hortana Sylvarum* 10. *Martii* 1698. § *Inter adminicula, & seqq. cor. bon. mem. Muto*.

7 Sed non hic sistunt ejusdem Monasterii probationes, quia hujusmodi Confessiones Dominii, ac respective reservationis Consensus Rectoris SS. Susannæ, & Sebastiani repetitæ leguntur etiam in aliis successivis Instrumentis alienationum ejusdem Vineæ de Anno 1610. 1614., 1615., quæ cum etiam approbatæ fuerint ab ipso Capitulo Condomino modo per relationem ad eadem Instrumenta, modo per eorum insertionem, & alias per præstationem Consensus pro rata dumtaxat ad ipsum spectante, utique probant controversum Dominium nedum contra Vineæ Possessores, sed etiam contra idem Capitulum Condominum, *Rot. decis.* 217. *num.* 7. *part.* 19., *& in Hortana Sylvarum* 25. *Februarii* 1701. §. *Prædictus, & in Romana Emphyteusis* 11. *Martii* 1699. §. *Controversos cor. bon. memor. Muto, & in Castellaneten Prædii* 11. *Maii* 1711. §. *Tanto magis coram Eminentissimo Scotto*.

8 Præterea animadvertebant Domini, quod Monasterium prædictum consuevit super eadem Vinea Canones etiam exigere, ut ostendebatur ex particula desumpta ex Libris Status Ecclesiarum de Anno 1625. confectis de ordine Sanctæ memoriæ Urbani Octavi, quin etiam ex partitis Librorum ejusdem Monasterii apparebat continuata solutio eorumdem Canonum ab Anno 1610. usque ad 1663., & sic longo spatio Annorum 53. sciente, & consentiente Capitulo Lateranensi, ex cujus parte numquam impugnata extitit, sed semper admissa, & tolerata; ex hac autem Canonis solutione satis superque ad effectum præsentem probari videbatur Dominium ejusdem Monasterii, tum quia Canones regulariter ab eodem directo Dominio initium, & causam desumunt, *Fulgin. de vor. Caduc. quæst.* 17.

9 *num.* 6., tum etiam quia Canon præstari solitus Monasterio correspondet quantitati Canonis eidem Capitulo debiti; unde admodum verisimile redditur, quod uterque Canon unicam habuerit originem, itaùr quemadmodum non controvertitur Dominium Capituli, ita etiam admittendum veniat Dominium Monasterii, ad *Text. in Cap. In Judicii de regul. Jur. in* 6.; tum & fortius, quia, cum nulla exhibeatur causa, aut Titulus particularis, ex quo præcisive a Dominio descendere valuisset obligatio

10 præstandi Canonem, imo potius manifesta resultent vestigia ejusdem Dominii ex recensitis antiquis recognitionibus in Dominum, & enunciativis directum Dominium præseferentibus favore Monasterii, hinc etiam valida oritur præsumptio, quod non aliunde Canon processerit, quam ex eodem Dominio, maximè attenta consuetudine præstandi Canones ex qualitate Emphyte-

11 utica hic in Urbe passim vigente: unde ex his omnibus adeo longeva Canonis solutio nonnisi ad Titulum Dominii referri potest, *Rot. coram Bich. decis.* 700. *num.* 4., *& coram Cerro decis.* 464. *num.* 5., *& dec.* 719. *n.* 8., *& in Recent. dec.* 297. *n.* 7., *&* 8. *part.* 8, *& sæpe alibi*.

12 Omnis demū removeri difficultas visa fuit, animadvertendo, quod præfatum Monasterium, cum de anno 1622. pulsasset Joannem Gattulum tunc temporis Vineæ Possessorem pro solutione Canonum, & ille denunciasset molestias Capitulo Lateranensi, eodem Capitulo semper citato, susceptam Litem acriter propugnante, obtinuit dictum Gattolum per rem judicatam condemnari ad petitam Canonum solutionem; hinc igitur, cum fuerit dominium Monasterii canonizzatum per rem Judicatam citato, & comparente eodem Capitulo tamquam Auctore laudato ipsius Gattoli, non potest amplius, nec ab ipso Capitulo in controversiam revocari, *Leg. Ingenuum ff. de Stat. Hom. Leg. res judicata ff. de regul. Jur.*, & alias in proposito dixit *Rot. in Romana Emphyteusis* 11. *Martii* 1699. §. *Eoque magis coram bon. mem. Muto*.

13 Ex quibus omnibus, præsertim simul sumptis cum remaneat concludenter probatum condominium Monasterii S. Susannæ frustra aducebantur ex parte Capituli præstationes consensus ab ipso emissæ in alienationibus controversæ Vineæ, quippè facis erat obvia responsio, quod prædicti actus probant quidem Dominium Capituli pro iua rata, quod numquam fuit impugnatum, sed nequeunt excludere domiuium Monasterii, maximè dum idem Capitulum dominium illius agnovit pro rata, restituit que medietatem Laudemii, ut patet ad sensum.

14 Neque hodiè ambigendum esse Domini censuerunt, quia præfata Vinea, quæ olim possessa fuit ab Alexandro Mazzanica, & cujus directum Dominium pro rata favore Monasterii tot, tantisque documentis hactenus comprobatum fuit, sit eadem, quæ nunc posside-

possidetur à Successoribus Stephani Bonajuti, & ad quam petita fuit associatio; si quidem bene animadverterunt eam ipsam Vineam per continuatam seriem ab Alexandro Mazzanica pervenisse ad modernos Possessores de Bonajutis ejusdemque identitatem ulterius hodie comprobatam remanere ex duobus antiquis confinibus in accessu facto nuper inventis, in quibus inscriptus legitur -- *A Mazzanica* -- cum dubium in Jure non sit, quin duo confinia in antiquis ad Identitatis probationem sufficiant, juxta Theoricam *Baldi in Leg. falsa demonstratio num.* 14. *ff. de condict.*, *& demonstrat.*, *de qua Rot. coram Ludovis. dec.* 575. *num.* 4., *et coram Dunozzet. Jun. decis.* 28. *à nu.* 9. *et* 10., & pienè *in d Romana Domus* 27. *Junii* 1689. §. *Identitatis coram bon. mem. Molinet*.

Undè pariter cessare videbatur aliud objectum, quod nempè Vinea olim possessa per Mazzanicam fuerit posteà divisa, & partem possideat nunc Livia de Apostolis anteà possessam à Jambolino; hæc enim divisio nullo modo probatur, quinimò ostenditur pro parte Monasterii, quod Vinea Jambolini eit altera omnino diversa, dum designatur pro confine Vineæ Emphyteuticæ, de qua nunc agitur, & super hac diversa Vinea Jambolini Monasterium nihil umquàm prætendit, cum revera sit de sola proprietate Capituli, à quo Canones exiguntur.

15 Sicuti nec relevat, quod in Catastro Basilicæ Lateranensis de anno 1592. controversa Vinea descripta sit petiarum 14., & nunc reperiatur petiarum octo, tum quia Catastrum non fuit factum citato Monasterio, atque

16 ideò tamquam res inter alios acta, nullum tertio in ejus confectione non citato irrogare potest præjudicium, ut per *Text. in leg. non debet ff. de Regul. Jur.* dixit *Rota dec.* 820. *num.* 9. *& dec.*1098. *in fin. coram bon. mem. Emer.*, *& sæpè alibi*, tum quia in con-

17 trarium adsunt publica Instrumenta in quibus occasione, qua Vinea de uno in alium transiit semper enunciata legitur petiarum *decem circiter*, quæ fanè enunciativæ magis conveniunt cum præsenti mensura petiarum octo, & ordinum 59., quàm cum dicto Catastro enunciante Vineam petiarum 14., cum

18 dictio illa *circiter* designet modicam quantitatem infra, vel supra expressam *Rot. cor. Ludovis. dec.*128. *num.*5. *&* 6., *& in Rec. dec.*26. *n.*5.*&* 6.*p.*19.

19 Posito ex his dominio directo Monasterii S. Susannæ pro rata Canonum annuorum cadorum sex musti, & duarum corbiarum uvæ, procul dubio eidem concedendam esse Domini censuerunt associationem pro eadem rata Canonum decursorum, & Laude-

20 mii, cum omnia debeantur in sequelam dominii, parum urgente, quod Monasterium ab anno 1670. Canones non exegerit, quia cum in ejus Libris semper descripserit emphyteutas Debitores Canonum: hoc sufficit ad effectum, ut dici nequeat pro spoliato se habuisse, & ad hoc ut non exactio Canonum tribuenda potiùs sit, vel injusto impedimento Capituli, vel morositati Debitorum, vel deniquè Ministrorum tunc temporis negli-

21 gentiæ, quæ sanè ipsi nocere non debet, dum maximè in facto constat, quod Monasterium usque ab anno 1700. agere cepit contra Bonajutum, statim ac rescivit Vineam ad ejus manus transmisisse, *Rot. cor. Cerro decis.*393. *nu.*10. *& coram Emerix decis.*121. *sub n.* 5.

Et ita utraque &c.

ROMANA JOCALIUM SUPER ADAMANTIBUS MAJORIBUS.

Lunæ 16. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria alterius decisionis emanetæ sub die 3. Junii 1720.

Inventarii descriptio pertinentium rei ad defuncti hæreditatem probat, sicuti & negativa descriptio ejusdem rei in illius inventario, adquem prætenditur pertinere, dominium excludit. Ad dominii mutationem præsumendam quid requiratur? Descriptio erronea in inventario non præsumitur, & ideò strictè ab allegante probandus est error.

SUMMARIUM.

1 *Dominium rerum, præsertim mobilium, in dies præsumi potest immutatum.*

2 *Inventarium optimè probat ad quem in eo descripta pertineant, sicuti reservatio dominii super aliqua re, illius præexistentiam penes reservantem concludit*: amplia ut in num. seq., & 11., & limita, ut in num. 12.

3 *Restitutio dominii facta super aliqua re præsente eo, ad quem spectare pretenditur, probat approbationem pertinentiæ illius ad reservantem*; amplia ut in num. 5. & 16.

4 *Mutatio dominii præsumitur etiam in dies sequuta, quando agitur de mobilibus facilis contractionis, & res est inter matrem, & filium.*

6 *Apoca accommodati, quoties non reperitur, lacerata, vel restituta præsumitur.*

7 *Partita mobilium deleta in codice vestiarii, seu Guardarobba facit præsumere mobilia exivisse è dominio illius, favore cujus liber cautat*; amplia ut in num.seq.

9 *Gemmæ præsumuntur exiisse de dominio matris, & in filium illud mater transtulisse, si describendo accuratè omnia sua mobilia in solemni inventario, de illis nullam fecisset mentionem.*

10 *Amplia, si in testamento recensisset credita, quæ adversus filium habuisset, & de gemmis non fuisset loquuta.*

12 *Dominium gemmarum, quæ ad alicujus hæredi-*

hæreditatem pertinere prætenduntur, non probatur ex inventario ferente penes alterum eas existere.

13 *Limita, si in hæreditate descripta reperta ennucientur*, & n. 14.

14 *Mobilia ad eam hæreditatem pertinere præsumuntur, in qua sunt descripta, præsertim favore pupilli*, amplia, ut in num. sequenti.

16 *Error descriptionis gemmarum potius ad unam, quàm alteram hæreditatem pertinentium, ab eam allegante concludenter probandus est, cum contra se juris habeat præsumptionem*; amplia, ut in num. sequenti.

18 *Dominium rei ab altero controversum, ut probetur, multum deferendum est continuatæ possessioni penes quem reperiatur.*

DECISIO MCCCIII.

COntendentibus simul de dominio trium majorum Adamantium Domino Principe Burghesio causam habente à Principe Joanne Georgeo Aldobrandino, ac Domino Principe Pamphilio Successore in secundogenitura instituta à Cardinali Hyppolito pariter de Aldobrandinis, prævaluit opinio illud ascribens Familiæ Burghesiæ in tribus sententiis conformibus, quæ in ulteriori quoque appellationis gradu coram Me novissimo loco approbatæ fuerunt sub die 3. Junii 1720., sed cum adversus decisionem tunc editam concessa fuerit Domino Principi Pamphilio facultas jura sua iterum deducendi, proposui hodie consuetum dubium -- *An sit standum, vel recedendum à decisis -- & omnibus Dominis*, jam usque à tertia instantia *suffragium ferentibus* responsum fuit *in decisis*.

Quamvis enim Dominus Princeps Pamphilius ad effectum probandi, quod controversi Adamantes in origine pertinerent ad clar. mem. Petrum Cardinalem Aldobrandinum, & respectivè ad Principissam Olimpiam seniorem illius hæredem, atque auctricem Cardinalis Hyppoliti institutoris secundogenituræ iterum hodie adduceret Codicem magnum Vestiarii, seu, ut vulgò dicitur *di Guardarobba* memorati Cardinalis Petri, in quo illi descripti reperiuntur, ac rursus antiquam copiam Apocæ subscriptæ à Principe Joanne Georgeo præseferentis commodatum eidem factum de dictis tribus majoribus Adamantibus à Principissa Olimpia seniore ejus Matre occasione nuptiarum ab eo contractarum cum Principissa Ludovisia Nepte tunc Regnantis Pontificis Gregorii XV., similemque commodati memoriam adnotatam in margine partitæ eorumdem Adamantium existentis in eodem magno Codice Vestiarii, itaut ex his omnibus probata videretur illorum pertinentia ad Auctores Domus Pamphiliæ, prout semel censuit *Rota in Decisione edita* 21. *Martii* 1718. *coram bo. me. Ansaldo*.

Quia tamen contra hujusmodi documenta urgebant alia longe potentiora, quibus pro parte Domini Principis Burghesii ostendebatur pertinentia dd. Adamantium ad hæreditatem Principis Joannis Georgii Domini in conflictu hujusmodi probationum

1 distinguentes tempora, ac seriò animadvertentes, quod dominia rerum, & maximè mobilium in dies mutantur, non alio pacto illas inter se conciliari posse censuerunt, quàm statuendo, quod illorum dominium in origine pertinens ad Cardinalem Petrum continuatum fuerit in Principissa Olimpia seniore usque ad mensem Aprilis 1621., ab inde verò transiverit in Principem Joannem Georgeum Auctorem primogenituræ possessæ à D. Principe Burghesio.

Quod autem res ita se haberet ex eo manifeste resultare videbatur, quod à d. tempore citra nedum nullum affertur documentum, nullusque penitùs actus comprobativus dominii in Principissa Olimpia seniore,

2 sed ex opposito omnia quæcunque gesta fuerunt circa controversos Adamantes consonant, & collimant in demonstrando, quod eorum dominium à d. Principissa Olimpia translatum fuerat in Principem Joannem Georgeum ejus filium. In primis autem illud occurrebat, quod post d. Commodatum, cum occasione matrimonii de proximo ineundi inter Principem Joannem Georgeum, ac Principissam Ludovisiam tam Sponsus, quàm Olimpia Mater, ac cæteri Fratres congruum duxissent ad Sponsam transmittere, prout moris est, & maximè inter Magnates jocalia, & gemmas, quibus ornatior incederet, simul omnes convenerunt in cubiculo ejusdem Principissæ Olimpiæ Matris, factoque concervo gemmarum, & capillorum ab unoquoque collatorum, antequam illum ad Sponsam transmitterent, confici curarunt accuratum, ac distinctum inventarium singulorum jocalium, quæ ab unoquoque eorum conferebantur, & inter illa collara per Principem Joannem Georgeum descripti diligenter fuerunt tres controversi Adamantes, addita expressa declaratione, & protestatione, quod tam ipsa Principissa Olimpia, quàm ejus filii, & unusquisque respective eorum retinere intendebat dominium, & proprietatem dd. gemmarum, & aliorum ornamentorum in dicto inventario descriptorum.

3 Si igitur unusquisque ex transmittentibus dominium sibi reservavit gemmarum, & jocalium proprio, & distincto nomine transmittendorum, & in d. inventario descriptorum. Si controversi Adamantes nomine Joannis Georgei Sponsi transmissi, & in inventario descripti fuerunt, si denique descriptio, transmissio, & reservatio dominii facta fuit præsente, videnti, & consentiente Principissa Olimpia seniore, jam ultra dubitari nequit, quin de eo tempore jam pertinerent ad Principem Joannem Georgeum, vel saltem ex tunc pleno jure dominii pertinere incepe-

inceperint, ut benè animadversum fuit in *decisione causæ 27. Aprilis 1711. §. Hisce geminis, & seq. coram bo.mem. Molinet, & in d. dec. quę revidetur §. In eundem et seq. cor. Me.*

4 Quia pondus hujusmodi probationis minui possit ab illa animadversione, quod Commodatum dd. Adamantium expresse factum fuerit in causam illos transmittendi ad futuram Sponsam, quodque non distet à d. instrumento transmissionis, nisi brevi spatio octo dierum; prompta enim occurrit responsio aliàs data in decisionibus causæ, & præsertim illa 27. *Aprilis 1711. coram Molines §. Et ob eandem, & in novissima coram Me §. Non attento*, quod mutatio dominii in rebus maximè mobilibus, & faciliis contrectationis compleatur momento temporis, & unico etiam verbo, neque implicat, quod illud octo diebus ante resideret penes Principissam Olimpiam seniorem, postea verò translatum fuerit ex novo titulo in Princi-

5 pem Joannem Georgeum, dum illius reservatio facta in actu adeo serio, & proportionato, eaque præsente, & consentiente necessario supponit præcedentem acquisitionem nullo modo verificabilem cum titulo prioris Commodati, ut dictum fuit in *Decisione causæ 27. Aprilis 1711. §. Hisce geminis coram bo. mem. Moliner, & 3. Junii 1720. §. In eundem cor. Me.*

6 Maximè verò, quia in hujusmodi sensum valde conferunt duæ aliæ speciali notæ dignæ circumstantiæ, prima videlicet, quod apoca originalis Commodati nunquam amplius inventa fuit, unde valde verisimile est, quod illam Partes laceraverint, quia transfuso in Principem Joannem Georgeum pleno dominio, inutilis, imo prorsus impertinens reddita fuerat; cum aliàs si ex opposito Commodati causa mansisset, neque ex supervento postea dominio suffocata, & absorta, sicuti ejus copia adeo diligenter custodita fuit, ita & multò fortius conservatum fuisset originale, ex quo certa, & legalis pertinentiæ probatio, si usus fuisset oriri poterat, ut bene arguit *d. dec. 27. Aprilis 1711. §. Adstipulantibus coram bon. mem.*

7 *Molines*; altera verò, quod partita eorumdem Adamantium apposita in d. libro Vestiarii fuit abolita, & interlineata, signum profectò valde concludens, quod translatum in alios fuerat illorum dominium, quodque numerari exinde amplius non debebant inter bona ipsius Principissæ Olimpiæ, seu Cardinalis Petri ejus Authoris, cui prius ad-

8 scripti reperiebantur, prout adamussim praeticatum fuerat respectu quorumdam mobilium in eodem libro descriptorum, & dona torum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Transtyberim, quorum partita eodem modo interlineata fuit in corpore libri, relicta in utraque ad cautelam Præfecti Vestiarii sola annotatione marginali, ut ad rem aliàs notavit *Rota in decisione causę 4. Aprilis 1720. §. Coadjuvatis coram bon.mem. Molinet, & 3. Junii 1720. §. Nihilo tamen minus coram Me.*

Quamvis autem ex hujusmodi publico instrumento transmissionis corroborato ex dictis geminis facti circumstantiis satis probata videri posset controversa mutatio dominii, alia tamen suppetebant non minoris ponderis argumenta id ipsum comprobantia: ete-

9 nim licèt Principissa Olimpia anno 1634. in pluribus foliis, quibus inscriptio *titulum inventarii generalis propriorum bonorum*, curaverit exactè describi omnia mobilia, jocalia, & gemmas ad ipsam pertinentes, & ipsius proprias, controversos nihilominus Adamantes annotare omisit, ac rursus in

10 ejus ultimo, cum quo decessit Testamento, licèt expressè meminerit quorumdam Creditorum, quę ipsa habebat contra Principem Joannem Georgeum ejus filium, de dd. tamen Adamantibus, nec verbum quidem fecit, cum de cætero vix intelligi possit, cur in actibus adeo proportionatis sub alto silentio illos præterire voluerit, si commodati causa tunc adhuc duravisset, ut observando dd. circumstantias dictum fuit in *decisione bon.mem. Ansaldi 30. Januarii 1719. §. 16.*, & in ultima *coram Me §. Et in ipsum, & § penultimo.*

11 Sed sicuti in aliis omnibus hujus causæ propositionibus, ita quoque in præsenti grande pondus accedere visum fuit mox recensitis Dominii probationibus ex duplici inventario, altero nempe confecto de bonis hæreditariis Principis Joannis Georgei anno 1637., & altero confecto de bonis hæreditariis Cardinalis Hyppoliti anno 1638., quatenus enim controversi Adamantes, si revera eorum dominium translatum jam prius non fuisset à Principissa Olimpia seniore in Principem Jo. Georgeum ejus filium, debuissent sine dubio describi in inventario hæreditatis Cardinalis Hyppoliti, ut pote qui fuit ejusdem Olimpiæ heres, non verò in illo Principis Joannis Georgei, qui solùm in legitima ab Olimpia Matre institutus fuerat, nihilominus totum oppositum factum fuit; nam descripti fuerunt in illo Principis Jo. Georgei, & non in illo Card. Hyppoliti; unde jam nemo non videt, quod eatenus id factum fuit, quia jam diu antea eorum dominium à Principissa Olimpia in Principem ejus filium transierat, ut connotarunt omnes causæ decisiones singillatim relatæ in ultima coram Me §. *Quod quidem & seq.*

Minimè attenta responsione dari solita pro parte D. Principis Pamphilii, quod nempe eatenus dd. Adamantes descripti fuerint inter bona hæreditaria Principis Joan. Georgei, & non inter illa Cardinalis, quia, durante adhuc causa primi Commodati de facto reperiebantur inter bona d. Principis, & non inter bona Cardinalis, quodque propterea adnotati fuerunt sub rubrica, seu inscriptione *delle gioie ritrovate nell' eredità*, & non sub alia *delli beni liberi, & ereditarii del Sig. Prencipe &c.*, sed hujusmodi interpretatio visa fuit neque in facto subsistere, neque

12 neque in jure relevare: non quidem in facto subsistere, quia si Ciofanus Procurator ad conficiendum inventarium specialiter à Cardinali deputatus voluisset describere ea tantum bona, quæ penes Principem materialiter reperiebantur, utique inter ea adnotare nequivisset controversos Adamantes, utpote qui materialiter reperiebantur penes principissam Ludovisiam, quemadmodum in actu descriptionis observatum fuit per illa verba, *che si ritrovano come si dice appresso dell' Eccellentissima Signora Donna Ippolita*,
13 ac propterea eo ipso, quod illos descripsit uti repertos in hæreditate Principis Joannis Georgei potius dicendum est, quod illos descripserit tamquam pertinentes, & spectantes ad d. hæreditatem, ut sequendo alias præcedentes decisiones coram bon. memor. Molines, & bon mem. Ansaldo dixit ultima coram Me §. *Et hæc probatio*.

14 Sed nec etiam in jure relevare, quia eo ipso, quod bona in hæreditate alicujus describuntur, & maximè favore pupillæ, fortissima de jure insurgit præsumptio, quod ad eandem hæreditatem pertineant quousque de contrario concludentissimè non doceatur, & quasi per lucem veritatis, ut per *Text in leg. fin. Cord. arb. Tutel.*, firmant ibi *Barbos. num. 5., Alciat. de præsumpt. part. 2. nu. 10.*,
15 *Mantica de tacit. lib. 13. tit. 9. nu. 32.*; & si hoc regulariter procedit in cæteris casibus, potiori sane jure admittendum est in præsenti propter illam notabilem facti circumstantiam, quod si Ciofanus ductus fuisset ad eos describendos ex eo dumtaxat, quod illi titulo Commodati detinebantur à Principe Jo. Georgeo, non omisisset inadeo grave præjudicium Card. Hyppoliti, qui ipsum in Procuratorem constituerat de hujusmodi Commodato mentionem facere, ut salvum, & illæsum jus Domini remaneret, prout fecit de aliis jocalibus, quæ Principissâ Hyppolita tamquam propria retinere prætendebat, ut in proposito animaversum fuit in decisione bon. mem. Ansaldi 30. Januarii 1719. §. *Quæ*, & in ea, quæ confirmatur §. *Hæc duo cor. Me*.

16 Hoc autem posito, si causa ad eum punctum reducatur, ut nempe pro parte Domini Principis Pamphilii probari debeat, & quidem clarè, & concludenter, & quasi per lucem veritatis, quod per errorem d. Adamantes descripti fuerint in inventario Principis Joannis Georgei, jam quicumque super hoc suscipiatur labor, in irritum cedere oportet; nam cum d. inventarium fomentum recipiat ab instrumento publico transmissionis, à non exhibitione originalis Apocæ Commodati, & cassatione Partitæ in corpore libri Vestiarii, à non facta adnotatione in inventario particulari Principissæ Olimpiæ senioris, nec mentione in ejus Testamento, ac tandem ab omissione descriptionis in inventario hæreditatis Cardinalis Hippolyti, vix est, ut in hac serie circumstantiarum error probari valeat, cum vix possibi-
17 le sit, quod tot illustres personæ quasi fatali quadam consensione, & impulsu in eundem errorem inciderint, ac præceteris Principissa Olimpia senior, Matrona cæteroquin diligentissima, & in re domestica supra fidem accurata, dum æquo animo permisit, quod Joannes Georgeus ejus filius ea præsente, & vidente sibi dominium reservaret, quod in Codice Vestiarii patrita aboleretur, quod non renovaretur Apoca Commodati, si deperdita, & non de consensu Partium lacerata fuisset, & hæc omnia absque eo quod ullam saltem de d. Commodato memoriam, vel in domestico inventario relinqueret, vel in ultimo Testamento, aut quasi non ageretur de Adamantibus ipsi notissimis tamquam forma, qualitate, ac pretio singularibus, & constituentibus in suo genere non ultimum magnatitiæ domus ornamentum, ut etiam dictum fuit in ultima decisione causæ §. *Respectu coram Me*.

18 Quanto igitur magis augetur in his circumstantiis difficultas probandi, quod controversi Adamantes per errorem descripti fuerint in d. inventario anni 1637., eo minus illi satisfactum censeri potest pro parte D. Principis Pamphilii, dum aliud ad hunc effectum ab ipso hactenus adductum non fuit, quàm simplex præsumptio continuationis antiqui dominii residentis penes Principissam Olimpiam seniorem sexdecim annis antea, nempe anno 1621., & hæc non solum nulla coadjuvatur facti circumstantia comprobativa ejusdem dominii pro tempore successivo, sed imo ex oposito penitus eliditur ex tot actibus continuatis concludenter suadentibus translationem illius à Principissa Olimpia seniore in Principem Joannem Georgeum ejus filium longe ante confectionem toties memorati inventarii.

Et ita utraque Parte acerrimè informante &c.

ROMANA JOCALIUM SUPER MARGARITIS.

Lunæ 16. Martii 1722.

ARGUMENTUM,

Inventarium sicuti probat pertinentiam rei ad hæreditatem descriptam, & excludit dominium istius super non descriptis; tantæ tamen efficaciæ in utroque casu non est, quin ex validioribus, & urgentioribus probationibus per æquipolens possit de errore convinci.

SUMMARIUM.

1 *Statutum de duabus non habet locum, si sententiæ reperiantur injustæ.*

2 *Inventarium probat pertinentiam rerum in eo descriptarum, & ex eo probatio etiam negativa resultat circa res ibi non adnotatas,*

3 In-

3 *Inventarium, sive tutelare sit, sive mixtum, sive hæreditarium, quomodocumque, tamen sumatur, probatio ex eo resultans talis numquam censeri debet, ut contraria validiori probatione elidi nequeat*, & in num. 18. & 19.

4 *Amplia, si ei additæ reperiantur clausulæ salutares, & præservativæ cujuscumque præjudicii.*

5 *Reservatio dominii facta super aliqua re præsente eo, ad quem spectare prætendatur, probat approbationem pertinentiæ illius ad reservantem.*

6 *Amplia, si nullus darctur sumut, quod ad alium pertinuerit.*

7 *Apoca Mutui, quæ amplius non reperiatur, lacerata præsumitur, vel restituta.*

8 *Dominium rei præsumitur continuatum penes dominum, donec de illius mutatione non doceatur*, amplia ut in num. sequenti.

10 *Inventarium acceptum in partibus omissis loco negativæ probationis, ita quoad partitas descriptas loco positivæ probationis reiici nequit, uti individua probatio.*

11 *Inventarium probat pertinentiam, & dominium rei, nec tenetur quis, habens illud pro se, de momento in momentum dominii continuationem demonstrare.*

12 *Amplia, concurrentibus adminiculis, & urgentibus conjecturis talem continuationem secumferentibus.*

13 *Dominium rei præsumitur continuatum, si de ejus libro illam dominus non delevisset quando e contra rem minoris valoris in alienum dominium transactam accurate ex eodem libro delevisset.*

14 *Res hæreditaria, licet penes viduam reperta in congruum non esset, si uti hæreditaria viri describeretur*, & quare?

15 *Mulier sienti nil, præter dotem, habere præsumitur, ita omnia per eam possessa, de dominio viri censentur.*

16 *Inventarium non præjudicat circa descriptionem rerum potiùs in faciem viri, quam mulieris factam, quando in eo adsunt clausulæ salutares, et præservativæ*, & numero 19.

17 *Tutor in propriis Iuribus non præjudicatur ex susceptione tutelæ, quando de hoc ante illam solemniter protestasset.*

19 *Inventarium, et si probet non existentiam rei in eo non adnotatæ, ac per consequens quod ad defunctum non pertinuerint, tanta tamen non est efficacia, ut aliunde talis probatio nequeat deduci.*

DECISIO MCCCIV.

UT contigere fermè solet in causis, quarum Decisio pendet à conjecturis, varium ut plurimum fuit DD. Judicium super hac controversia respiciente dominium insignium quarumdam Margaritarum: sepe enim ita concertatum est, ut paribus hinc indè suffragiis nulla capi potuerit resolutio, sicuti per tres vices contigit in prima instantia Rotali coram Eminentissimo Polignac, & novissimè coram Me sub die 3. Junii 1720., sepè etiam D. Princeps Pamphilius causa cecidit, ut evenit in secunda, & tetia Instantia coram bo.me. Molines, & bon. mem. Ansaldo. Et quandoque etiam victor evasit, ut constat ex Decisione ejus favore edita coram dicto Eminentissimo Polignac. Hodiè quidem causa per Me reproposita sub congruo Dubio -- *An constet de duabus*, sors illi feliciter arrisit, eum DD. responderint *Non constare de duabus*.

Viam stravit resolutioni principium idem, cum quo processum fuit in contemporanea Decisione super Adamantibus, ut nempè illi controversæ Margaritæ adjudicari debeant, cui fortiores assistunt probationes. Hoc autem posito, & æqua lance hinc inde libratis 1 utriusque partis argumentis, licet illa D. Principis Burghesii non levis ponderis visa fuerint, longè tamen graviora comperta fuerunt illa D. Principis Pamphilii, itaut, constito exindè de injustitia duarum præcedentium Sententiarum, inefficax reddita fuerit vulgata censura nostri Statuti, quæ locum non habet, nisi quando agitur de Sententiis validis, & justis, juxta deducta per *Rotam coram Buratto dec.567. num.6. & cor. Priolo dec.123. nu.7., & in Recent. de.c.58. num.4. par.13.* & passim alibi.

Et strictè accedendo ad merita causæ dissi-2 mulari utique non poterat, quod ad probandum dominium controversarum Margaritarum penès Principem Joannem Georgeum Auctorem Primogenituræ possessæ à D. Principe Burghesio, illudque respectivè excludendum à Principissa Olympia Seniore mediata Auctrice D. Principis Pamphilii, magno essent argumento gemina illa Inventaria annorum 1637., & 1638., de quibus latè actum fuit in contemporanea decisione super Adamantibus; sicuti enim ex illis adjudicatum fuit D. Principi Burghesio dictorum Adamantium dominium, ita videbatur adjudicandum fore etiam illud Margaritarum, cum illæ, non minùs, quàm illi in primo Inventario descriptæ, & in secundo omissæ reperiantur, sicuti alias placuit Rotæ in Decisionibus editis favore Domus Burghesiæ coram Eminentissimo Polignac, bon. me. Molines, & bo. me Ansaldo.

Sed, ut DD. hodie animadvertebant argumentum ejusmodi deductum ex dictis duobus Inventariis, potest quidem tanti valere, ut propter illa refundatur in Principem Pamphilium onus strictioris probationis, 3 sed non etiam impedimento esse potest, quo minus docto concludenter de errore descriptionis factæ in Inventario Principis Joannis Georgei, & respectivè omissionis in altero Card. Hypoliti, veritas rei prævalere non debeat; cum sive dictum Inventarium anni 1637 accipiatur pro tutelari, quemadmodum semper sustinuerunt Defensores Principis Burghesii, sive pro mixto, ut Sacræ Rotæ plu-

pluriès placuit, sive denique pro simplici
hæreditario, ut contendebat D. Princeps
Pamphilius, hoc unum certum sit, quod
quomodocumque sumatur probatio ex eo
resultas, nunquàm talis censeri debet, ut va-
lidiori contraria probatione elidi non possit,
4 si præsertim, ut in casu additæ fuerint clau-
sulæ salutares preservativæ cujuscumque
prejudicii, quemadmodum ad explicatio-
nem *Text. in leg. final. Cod. Arbitrium Tu-
telæ*, tradit ibi *Barbos. num. 5.*, *Marchisell.
recollect. quæst 72. num. 3. Berett. consil. 77.*,
Alciat. de præsumpt. par. 2. num. 10., *Tho-
mas. de Tut.*, *& Curat. tit. 13. nu. 188. cum
pluribus seqq.*, *Mantic. de tacit. lib. 13 tit.
9. nu. 32.*, ubi reprobat *Salicetum*, *& Soc-
cin. Sen.*, *Cyriac. controv. 25. num. 4. Valasc.
consult. 52. num. 16.*, & ante ipsum *Angelus
de Perus. de Juram. inter tract. magn. tom.
8. par. 2. num. 21. fol. 156.*, cum aliis addu-
ctis *in dec. bo. me. Ansaldi super Adaman-
tibus 21. Martii* 1718. §. 36.

Hoc posito, quod controversæ Margaritæ
5 revera pertinerent ad Principissam Olim-
piam Seniorem, & non ad Principem Joan-
nem Georgeum ejus filium, quodque prop-
terea non nisi per errorem descriptæ fuerint
in dicti Principis Inventario, præclarè evin-
cebatur ex publico Instrumento anni 1621.,
in quo Principissa Olimpia Senior occasione
qua illas proprio nomine transmisit ad Prin-
cipissam Hypolitam Ludovisiam futuram Fi-
lii sponsam, ut ornatior ex illis incederet, do-
minium earum sibi exprese reservavit idque
præsente, vidente, & consentiente Prin-
cipe Joanne Georgeo ejus filio: Sicuti au-
tem de Adamantibus dictum fuit, quod re-
servatio dominii super illis in eodem Instru-
mento facta à Principe Joanne Georgeo ne-
cessario secum ferebat, quod illi jam tunc ad
eumdem Principem pertinerent, licet antea
non dubitaretur, quod fuissent de dominio
Olimpiæ Matris. Ita, & longe fortius similis
reservatio dominii facta super Margaritis ab
eadem Principissa Olimpia quodcumque
dubium submovere debet circa illarum per-
tinentiam ad dictam Principissam, dum ma-
xime respectu earum nullus datur fumus,
6 quod prius ad alium spectaverint ex eisdem
authoritatibus contra dictum Principem
Pamphilium relatis super hoc puncto Ada-
mantium *in Decisione edita 27. Aprilis
1711. §. His ex geminis coram bo. me. Moli-
nes*, *& 3. Junii 1720. §. In eundem & seq.
coram Me*.

Neque hic potest ullo modo congruere
animadversio illa, sub qua conciliatæ fue-
runt in contemporanea Decisione super
Adamantibus probationes Partium inter
se repugnantes, quod nimirum stare simul
benè possit, quod Margaritę usque ad an-
num 1621. fuerint de dominio dictę Princi-
pissę Olimpię, postea verò transierint in
dominium Principis ejus filii, in cujus hæ-
reditate descriptæ fuerunt. Nam longè
alię, atque aliæ sunt in utruque casu facti
circumstantię: Siquidem respectu Adaman-
tium dictum Inventarium fomentum veri-
tatis recipiebat ab antecedenti mutatione
dominii concludenter probata ex dicto
publico instrumento transmissionis, junctis
illis duabus urgentissimis circumstantiis,
7 quod nempè exindè amplius visa non fue-
rat inter homines præcedens originalis
Apoca commodati, imò verò interlineata
fuerat illorum partita in libro magno Ve-
stiarii: ac præterea idem Inventarium co-
adjuvabatur ex aliis pluribus actibus inter-
mediis, & ex illo potissimum, quod dd.
Adamantes descripti minime fuerant in alio
domestico Inventario Bonorum Principissę
Olimpiæ, quod ipsa semper prę oculis, &
super Abaco proprii Cubiculi habebat, ut
latiùs videre est in contemporanea Deci-
sione.

8 At respectu Margaritarum res omninò
in oppositum se habet. Nedùm enim nulla
affertur concludens probatio antecedentis
mutationis dominii, prout dari oporteret,
ex quo aliàs illud continuatum de jure prę-
sumitur penès eumdem Dominum, ut per
*Textum in l. Creditor §. Si inter ubi Glos.
verb. negetur ff. Mandati*, *& in leg. Sivè
possidetis in fine Cod. de probat.*, tradunt
Forster. de dominio cap. penult. num. 26.,
Franc. Rocc. controv. 2. resp. 43. num. 46.,
Velin. differt. jur. cap 48. num. 3., cum aliis
in *decis. caus. edita super Adamantibus 21.
Martii* 1718. §. 11. *cor. bon. mem. Ansaldo*,
9 sed neque ullius datur dictæ intermediæ
mutationis minimus fumus, imò verò pro
parte D. Principis Pamphilii pręclarè do-
cetur de illius continuatione penès Princi-
pissam Olimpiam Seniorem ex eodem In-
ventario domestico anni 1634., ex quo de-
sumpta fuit contrà eum probatio respectu
10 Adamantium: In eo enim non sicut Ada-
mantes, ità quoque Margaritę omissæ fue-
runt, sed ex diverso illæ reperiuntur exa-
ctè, ac diligenter descriptę sub expressa
enunciativa, quod commodatæ ab ipsa fue-
rant ad simplicem usum Principissę Hypoli-
tę Nurui, & cum expressa relatione ad di-
ctum publicum transmissionis Instrumen-
tum: Quamobrem, sicuti dictum Inventa-
rium acceptum fuit in partitis omissis loco
negativæ probationis contra Principem
Pamphilium, ità Iuris, & æquitatis ratio
postulat, ut quoad partitas descriptas ejus
favore accipiatur loco positivæ probatio-
nis, *leg. prima*, *& tot. tit. ff. quod quisque
Juris, &c.* Non attenta exceptione, quod
illud á nemine subscriptum fuerit, cum ad
effectum ipsi conciliandi omnem fidem
exuberet attestatio, & recognitio R. P. D.
Prati, quam habet in calce, & quod omnia
ibidem contenta adamussim respondeant
veritati usque ad ultimam syllabam, ex ad-
ductis per *Surd. dec. 199. à nu. 10.*, *Adden.
ad Gregor. decis 79. num. 5.*, *Rot. cor. Du-
ran. decis. 352. num. 7. cum seq.*, *& in rec.
decis. 11 num. 14.*, *& 15.*, *& decis. 107. nu.
7. par. 18.*

Cum

11 Cum igitur ab anno 1621., usque ad annum 1634., quo dictum Inventarium domesticum confectum fuit in dubium venire nequeat, quin Margaritæ perserveraverint in dominio Principissæ Olimpiæ Senioris, jam amplius controverti non debet, quod anno 1637. per errorem descriptæ fuerint in inventario Principis Joannis Georgei; Non enim gravari debet Princeps Pamphilius onere probandi continuationem dominii de momento in momentum usque ad extremum diem, quo Inventarium confectum fuit, cum hoc sit pœnè impossibile, sed sufficit ad eum relevandum à dicto onere præsumptio, quam jus inducit continua-
12 tionis dominii, & quam validiorem quoque reddit, tùm circumstantia illa, quod adhùc perseverabat causa commodati, & decentioris ornatus in Principissa Hypolita, tùm dictum domesticum Inventarium anni 1634., in quo cum tali expressa causa Margaritæ adnotatæ fuerunt, juncta eanimadversione, quod Principissa Olimpia illud præoculis habuit, tamquam super Abaco proprii cubiculi repositum usque ad obitum sequutum eodem anno 1637., & ta-
13 men hanc partitam nunquam delevit, aut interlineavit, prout fecisse comperitur de Adamantibus, & de aliis Partitis minoris momenti in magno Codice Vestiarii, quod longè ab ejus oculis asservabatur, postquam res sub illis descriptæ ex ejus dominio in alios transierant, undè intrat argumentum, de quo *Surd. conf.* 313. *num.*90., *Rot. decis.* 457. *num.* 4. *cor. Priolo*, & *decis.* 13. *num.* 2. *par.*19. *rec. tom.*2., & redditur inapplicabilis *Decisio* 337. *coram Durano*, in qua casus, & circumstantiæ erant omninò diversæ, ut latè ponderatum fuit *in dicta decis. Causæ super Adamantibus* 21. *Martii* 1718. §. 40., & *seqq. cor. bo. me. Ansaldo.*

14 Quod si etiam erroris causa quæratur, illa est valdè obvia, ac probabilis, animadvertendo, quod Inventarium anni 1637. fuit quidem confectum de mandato Cardinalis Hypoliti, sed mediante opera Ciofani Procuratoris ad id constituti, qui fortassè ignarus veræ pertinentiæ, ac præcedentis commodati controversarum Margaritarum inductus probabiliter fuit ad credendum, quod illæ spectarent ad hæreditatem Principis Ioannis Georgei, ex quo inveniri dicebantur penès Principissam Hypolitam Viduam ab eo relictam, ut indicat contextus illorum verborum -- *ritrovate nell' eredità &c., e che si ritrovano, come si dice appresso dell' Eccellentissima Don Ippolita* -- undè eo ipso, quod à Vidua detinebantur, atque ipsa eas retinere non prætendebat, sicuti quasdam alias gemmas, quæ protestata fuerat -- *di ritenere come sue proprie donategli da diversi Prencipi* -- non incongruè Ciofanus opinari potuit, quod illæ spectarent ad defunctum Principem Joannem

15 Georgeum, ex ea familiari, & communi regula, quod, excepta dote, omnia quæcumque ab Uxore possidentur, Mariti esse præsumuntur, *vulgata leg. Quintus Mutius* 52. *ubi glos.* & *DD. ff. de donat. inter Vir. & Uxor.*

16 Absque eò quod inverisimile videri possit, quod, cum ageretur de rebus adeò pretiolis, vel Ciofanus non curaverit certior fieri de vera earum pertinentia, vel Cardinalis errorem, qui in dicto Inventario irrepserat, corrigere, & emendare neglexerit: Quod enim Ciofanus non curaverit de veritate certior fieri, hoc ideò contingere potuit, quia virtute clausularum salutarium in fine Inventarii additarum, opinari valuit, quod si quid etiam non describendum in dicto Inventario descriptum fuisset, nihil tamen exindè præjudicii vero Domino evenire posset. Quod autem Cardinalis errorem non correxerit, nullâ ingerere potest admirationem, dum tum primum dolore amissæ Matris, & extinctæ in Principe Ioanne Georgeo Fratre nobilissimæ, ac numerosæ familiæ; postmodùm verò oppressus morbo, quo intra annum contabuit, tantùm fortassè otii non habuit à publicis curis, & ab itinere, quo etiam interim distractus fuit, ut longum, & voluminosum

17 Inventarium perlegere valuerit: Et forrassè etiam neque de hoc sollicitus fuit confisus, & conquiescens in amplissimo Brevi præventivè obtento à san. mem. Urbano VIII., & in totiès repetitis protestationibus, quod per susceptionem Tutelæ nullum omninò propriis iuribus irrogari posset, vel minimum præjudicium, ut ad rem ponderat *dicta decisio bon. mem. Ansaldi* 21. *Martii* 1718. §.38., & *seq.*

Cæterum, neque hic solus error in dicto Inventario irrepsisse reperitur, nam non solùm controversæ Margaritæ ad Olympiam seniorem, & respectivè ad Cardinalem ejus hæredem pertinentes, sed etiam aliæ Gemmæ, Argenta, ac Mobilia in eo descripta fuerunt, quorum aliqua pertinebant ad Principissam Hypolitam, eique de facto restituta fuerunt, aliqua verò spectabant ad Ducissam Montis Dragonis, Ducem Petrum, ac Priorem Aldobrandinum;

18 undè concludi oportet, quod licet dictum Inventarium plurimi faciendum sit ad effectum, ut per se sumptum, & multo magis coniunctum cum aliis argumentis plenæ probationis gradum constituere valeat, sicuti admissum fuit respectu Adamantium in contemporanea Decisione; si tamen nulli alii uniatur probationi, ut accidit in præsenti respectu Margaritarum, probatio ex eo resultans cedere debet veritati in contrarium concludenter, & quasi per evidentiam probatæ ex actibus, & documentis alienum dominium, & respectivè errorem descriptionis præclarè ostendentibus ex anthoritatibus supra laudatis.

19 Nec dissimile ferendum est Iudicium de alio subsequenti Inventario anni 1638. facto à Principissa Olympia juniore de bonis hæredi-

reditariis dicti Cardinalis: Quod enim in hoc descriptæ minimè fuerint controversæ Margaritæ præsefert simplicem omissionem, quæ tamquam actus negativus potest quidem habere vim, & efficaciam adminiculi, sed non certam, ac positivam probationem inducere, dum maximè, & ipsum quoque munitum fuit solitis clausulis salutaribus, & nunquam de medio sublatæ fuerunt protestationes contra ejus nullitatem oppositæ à Sororibus de Aldobrandinis, juxta deducta *in dicta Decisione bon. mem. Ansaldi* 21. *Martii* 1718. §.44.

Et ità utraque parte audita, *& omnibus Dominis suffragium ferentibus* resolutum fuit.

ROMANA REPORTATIONIS PECUNIARUM.

Ven. 20. *Martii* 1722.

ARGUMENTUM.

Creditor hypothecarius super certa re sui crediti satisfactionem ex ea referre non impeditur; illius verò fructus suos facere nequit, cum specialis hypotheca, seu pignus non tituli abiles non sint ad rei dominium transferendum, sed illud penès rei dominum remanet, etsi solutionis dies advenisset.

Quartum dotale, superstitibus filiis, in usufructu tantum viduæ debetur, reservata eisdem proprietate, non uti filiis, sed si, & quatenus fuerint viri hæredes, ac in pecuniis debetur, si dos pecuniaria fuisset, istoque casu liberè in mulieris dominium pertransit, & refertur ratio; cautionem tamen de restituendo post sui obitum præstare tenetur, sique idem quartum reinvestisset, non tenetur tale reinvestimentum, pecuniarum loco, restituere, sed tantundem refundere, sicuti pari jure hæredes viri, quartum in pecuniis viduæ consignatum in reinvestimento de eis facto, illarum loco, recipere non tenentur.

SUMMARIUM

1 *Creditor posterior exactas pecunias sub obligatione de restituendo prioribus, & potioribus favore anterioris, seù potioris, tenetur restituere, cum taliter exactæ, extare dicantur.*

2 *Creditor ex cambio activo pro restitutione quarti dotalis specialiter hypothecato, eadem gaudet hypotheca, qua creditor ejusdem quarti, qui illud sibi vindicasset.*

3 *Assignatarius crediti in transactione, in qua jus succedendi ad primogenituram fuisset in suspenso relictum, non impeditur agere pro ill.us consequtione ex tali suspensione nil commune habente cum clara cessione crediti*, & num.4.

4 *Credita veniunt sub effrenata, & universali appellatione bonorum cujuscumque generis, et speciei.*

5 *Amplia quando adest exceptuatio quorundam bonorum, quod denotat, ut, illis exceptis, cætera omnia censeantur compræhensa.*

6 *Cessio juris consequendi à quibus de jure redditionem rationis de creditis ad primogenituram spectantibus, jus exigendi credita ill.us etiam comprehendit.*

7 *Fructus cambii activi in pignus simpliciter constituti favore alicujus, ob pignorantis sequuntur dominium, non vero creditoris hypothecarii.*

8 *Emens rem alienis pecuniis, sibi, et non pecuniarum domino, illam et fructus acquirit.*

9 *Quartum in usufructu tantum acquiritur à vidua existentibus filiis*, & nu.10.

10 *Quartum tali casu in proprietate reservandum est pro filiis, sed si, et quatenus fuerint hæredes Patris.*

11 *Quartum ex dote pecuniaria, in pecuniis similiter debetur*, & nu.25.

12 *Quartum in pecuniis restitutum, in recipientis pertransit dominium, ex quo pecuniarum usufructus à proprietate non distinguitur.*

13 *Recipiens quartum in pecuniis, existentibus filiis, tenetur præstare cautionem de restituendo tantundem post obitum.*

14 *Et ea præstita, potest illud etiam dispendere, vel sui commodo reinvestire, nec adventa restitutionis die, ejus hæres cogi potest ad traditionem dicti investimenti, sed solum ad refundendum tantundem.*

15 *Econtra, is, cui quartum sit restituendum de dote quantitativa, dictum investimentum in ejus causa recipere non tenetur.*

16 *Quartum dotis quantitativæ potest restitui cum dicto investimento de eo facto Judicis imperio.*

17 *Limita si, nullo cogente, fuisset reinvestitum, quo casu hæres illud non tenetur recipere, etiam si specialem hypothecam super eodem investimento acquirere procurasset pro majori sui securitate.*

17 *Hypotheca simplex super re, cum proprietate, et dominio illius, est incompatibilis.*

19 *Judicium de pecuniis investiendis idem est, ac de investimento ex eis facto.*

20 *Intellige, ut hæc regula locum habeat, quando titulus investimenti est dominii translativus in creditorem, vel alias habilis ad fructuum acquisitionem.*

21 *Limita, quando titulus investimenti non est habilis, ut in casu, ad transferendum dominium in creditorem, sed tantum tribuit particularem hypothecam super investimento.*

22 *Pignus, et hypotheca non est titulus habilis ad acquirendos fructus rei specialiter hypothecatæ*, amplia, ut in num.27.

23 *Fructus cambii non debentur cum proprietate ob simplicem super eo hypothecam, et species in facultate solvendi potius, quam obligatione stat; sed ad hoc, ut fructus debeantur, quid in obligatione,* non

non quid in solutione attendendum est; ampliā, ut in num. 25.

24 *Investimentum pro restitutione quarti hypothecatum, adventa die restitutionis, non acquiritur à creditore, tam quoad proprietatem, quam fructus*, & nu.25.

28 *Enunciativa simplex apta non est ad intervertendam, aut mutandam veritatem facti se aliter habentis.*

29 *Amplia, si talis enunciativa ad instrumentum relationem haberet, qua de re non est aliter intelligenda, quam ad tramites instrumenti relati.*

30 *Actus gestus ad unum finem, ad alium diversum effectum non est allegabilis.*

31 *Observantia ad interpretandum contractum, ex mera enunciativa, et facto extranei non desumitur.*

32 *Observantia desumpta ex univoco partium facto attendenda est, non verò ex facto extranei.*

DECISIO MCCCIV.

POstquam ex Decreto Congregationis Baronum tàm Eminentissimus D. Cardinalis, & Princeps Ioannes Baptista Pamphilius, quam Princeps Joannes Baptista Burghesius, unusquisque pro tertia parte, pro qua hæres institutus fuerat à Principissa Olimpia Iun. de Aldobrandinis eorum matre obtinuerant sibi consignari ex Patrimonio Domus Ursinæ scut. 15. m. pro residuo Capitalis Cambii ab ipsa debiti, & alia scut. 13688. 37. pro fructibus usque ad eamdem diem decursis, emissa consueta obligatione de restituendo Prioribus, & Potioribus, etiam quoad citatos: Putans D. Princeps Marcus Antonius Burghesius sibi soli debitam fuisse tam dictam quantitatem scut. 15. mil., quam aliam scut. 13688., petiit in eadem Congregatione Baronum contra D. Principem Camillum Pamphilium mandatum de reportando duas ex tribus partibus ab ipso exactas, nempè scut. 10. mil. pro Capitali, & scut. 9125. b. 58. pro fructibus, propositaque causa sub diebus 16. Maii, & 28. Novembris 1720., prodiit utraque vice rescriptum pro relaxatione mandati de reportando dicta scut. 10. mil., & quoad fructus, licèt resolutio prima vice dilata fuerit, in secunda tamen fuit capta favore D. Principis Burghesii.

In hoc statu ex speciali rescripto Sanctissimi iterum commissa causa in devolutivo respectu dicti Capitalis eidem Congregationi Baronum de Voto hujus nostri Sac. Tribunalis, subscripsi de more dubium -- *An constet de credito ad effectum reportationis pecuniarum, & an sit relaxandum mandatum pro fructibus*, eoque hodiè proposito responsum fuit -- *Affirmativè quoad primam partem, & negativè quoad secundam.*

1 Quod enim attinet ad primam, visum fuit constare de credito D. Principis Burghesii, etiam ad effectum reportationis pecuniarum à D. Principe Pamphilio exactarum pro capitali dicti Cambii in summa scut. 10. mil., quia cum idem D. Princeps Pamphilius illas exegerit, exposita solemni obligatione de restituendo Prioribus, & Potioribus, etiam quoad citatos, dubium esse non poterat, quin illas restituere deberet D. Principi Burghesio Creditori Potiori, ad ea, quæ tradit *Salgad. labyr. Creditor. par.* 1. *cap.*10. *num.*68., *Rota coram Dunozet. Jun. decis.* 250. *num.* 33., & *in Avenionen. Concursus* 23. *Februarii* 1711. §. *Præterea cor. bon. mem. Molines*, & *sæpè alibi.*

2 Quod autem D. Princeps Burghesius esset Creditor, & quidem potior, manifestè resultabat ex Instrumento transactionis inter Domum Burghesiam, & Domum Pamphiliam solemniter inita anno 1683., in qua, exceptis bonis feudalibus, & allodialibus Sarsinæ, & Meldulæ D. Principi Pamphilio assignatis, cœtera omnia bona, & credita spectantia ad Primogenituram conventionalem anni 1611. tradita, & cessa fuerunt D. Principi Burghesio. Cum igitur inter dd. Credita numeretur etiam restitutio scut.25. mil. solutorum Principissæ Hypolitæ Ludovisiæ Viduæ rel. à Principe Jo: Georgeo Aldobrandino pro ejus quarto dotali, quæ facta non fuit, nisi pro sc. 15. m., nempè pro scut.10. mil. Principissæ Olimpiæ Juniori, & pro scut. 5. mil. Domino Principi Burghesio mediante Congregatione Baronum, de plano consequebatur D. Principem Burghesium adhuc remanere eo nomine Creditorem in aliis sc. 10. mil., & quidem potiorem, cum Cambium, de quo agitur fuerit expresè, & specialitèr hypothecatum in ipsa creatione pro restitutione dicti quarti, ad *Text. in l. Creditores ff. de distract. pign.*, *Rot. post Merlin. de pign. decis.* 11. *num.*7., & *coram Emer. decis.*760. *num.*1., & *decis.* 899. *num.* 2., & sæpè alibi.

3 Minimè obstante, quod in dicta Transactione relictum fuerit in suspenso, utrum dicta Primogenitura expirasset in Principe Jo: Georgeo Auctore Principis Burghesii, vel potiùs in Card. Hyppolito Conditore Secundogenituræ possessæ à Principe Pamphilio, quia, cum in dicta transactione, & in solis eidem annexis assignata fuerint D. Principi Burghesio omnia Bona, & credita spectantia ad dictam Primogenituram anni 1611., nihil interest, quod relictum fuerit in suspenso, in cujus persona illa expiraverit, cum suspensio ejusmodi impedire non possit, quo minùs D. Princeps Burghesius, exceptis Bonis Sarsinę, & Meldulæ consequi debeat cœtera omnia Bona, & Credita ad eamdem Primogenituram pertinentia, si non ex titulo Primogenituræ in suspenso relictæ, saltem ex novo. sed non minùs efficaci titulo Transactionis inter partes celebratæ, *Bartol. in l. Si de certa in prima lectura sub num.* 2. *Cod. de transact.*, Cy-

*Cyriac. controv.*128. *num.*89., benè *Rota cor. Bich.decis.*111. *num.*5. *& seq.*

4 Idque etiamsi de dicto credito nulla in
transactione facta fuerit specialis mentio,
quoniam ad effectum, ut illud quoque assi-
gnatum censeatur D. Principi Burghesio,
satis est, quod illi assignata fuerint omnia
*Bona cujuscumque generis, & speciei pro-
venientia à dicta Primogenitura anni*
1611., *exceptis tantum iis, quę ut supra
fuerunt cessa D. Principi Pamphilio*, cum
sub adeò universali, & effrenatæ Bonorum
appellatione explorati juris sit, venire
etiam credita, & alia jura incorporalia, *l. Bo-
norum §. Neque bonis ff. de verb. signif.*,
*Merlin.de pign. lib.*2. *qu.*29. *num.*2.. *Rota
coram Buratt. dec.*687. *num.*5., *& seq.*, *&*
5 *in rec.dec.*400. *num.*19. *par.*18.. Ponderata
præsertim exceptuatione Bonorum cesso-
rum D. Principi Pamphilio, quæ operatur,
ut omnia alia non cessa dicantur sub dicta
assignatione compræhensa, *leg. Quæsitum §.
Denique ff. de fund. instruct*, *Rot.dec.*265.
*num.*5., *&* 6. *par.* 11., *& decis.* 158. *num.*5.
6 *par.*17. *rec.* Et ponderata etiam expressa
relatione habita ad folium in dicta transa-
ctione insertum, in quo cum D. Principi
Burghesio cedatur Jus consequendi à qui-
bus de jure redditionem rationis credito-
rum spectantium ad dictam Primogenitu-
ram, & in alios distractorum, longè for-
tiùs concessum dici debet jus exigendi cre-
dita ad ipsam Primogenituram pertinentia,
& in alios non distracta, juxtà regulam, de
qua *Rota cor. Emer. decis.*403. *num.* 7., *&
decis.*165. *num.*3. *par.*16. *rec.*

Sed sicut exactenùs deductis constare
videbatur de credito D. Principis Burghesii,
& de actione, quæ ipsi competit ad effe-
ctum consequendi sibi debitam satisfactio-
nem super dicto cambio in eam causam spe-
7 cialiter hypothecato, ita è converso appa-
rebat nullam ipsi actionem competere pro
fructibus exactis à D. Principe Pamphilio,
dùm aut ipse agit hæreditario nomine
Olimpiæ Matris, & nihil ultrà hoc titulo
consequi debet, cum sit hæres solum pro
tertia parte, & pro hac tertia parte jam d.i.
fructus exegerit. Aut verò vult agere vir-
tute transactionis, & nomine Primogenitu-
ræ, & hoc titulo nullam habet actionem
pro fructibus, dum sicuti per simplicem pi-
gnoris constitutionem non fuit cambium à
Dominio Debitoris alienatum, ita fru-
ctus illius non ad Primogenituram Credi-
tricem, sed ad Debitorem ipsum, & Domi-
num Cambii semper pertinuerunt, *l.*1. *&* 2.
*C. de pignor. l. Julianus §. si fructus ff. de
act. empt.*, *Rota decis.*232. *num.*2. *par.*8. *rec.*,
& in Romana immiss. super fructibus 6.
Februarii 1719. *§. Quod enim cor. R. P.D.
meo Falconerio Urbis Gubernatore*.

8 Nec subsistit, quod dominium Cambii
potiùs pertinuerit ad ipsam Primogenitu-
ram, ex quo acquisitum fuit cum pecuniis
ab eadem Primogenitura provenientibus,
quodque proindè D. Princeps Burghesius
non jure simplicis Creditoris hypothecarii,
sed jure veri, & pleni Dominij cogere pos-
sit D. Principem Pamphilium ad reporta-
tionem summæ exactę tam pro Capitali,
quam pro fructibus. Cum enim ex facto
constet controversum Cambium à principio
quæsitum fuisse à Principissa Hypolita Lu-
dovisia ejus proprio nomine, nullo modo
substineri potest, quod ejus Dominium per-
tineat ad Primogenituram, pro qua nemo
contraxit, aut stipulatus fuit, sed omninò
dicendum est, quod primò ad dictam Prin-
cipissam Hypolitam, & deindè ad Princi-
pissam Olimpiam ejus hæredem spectave-
rit, cum certi, & explorati juris sit, quod si
quis ex alienis pecuniis sibi rem emerit,
sibi rei dominium, & fructus, & non Do-
mino pecuniæ acquirit, *l. Si ex ea C. de rei
vendit. l.*1., *& l penult. Cod. Si quis alte-
ri, vel sibi* cum aliis in dicta *decis.* 232. *n.* 3.
*par.*8. *rec.*

Sed in casu, de quo agitur, Principissa
Hypolita nedùm sibi cambium, sed etiam
9 ex propriis pecuniis acquisivit: licèt enim
illæ in origine provenirent à permutatione
quorundam Casalium Primogenituræ subie-
ctorum, eique solutæ fuissent à Cardinali
Hypolito in causam quarti, quod juxta for-
mam Statutorum Urbis non quæritur mu-
lieri, nisi in simplici tantùm usufructu. Non
ideò tamen dici potest, quod illæ in ejus li-
berum Dominium non transierint, itaut eas
subindè nequiverit proprio nomine, & com-
10 modo investire. Nam licèt ex laudato Sta-
tuto Urbis, soluto matrimonio per mortem
alterius ex Conjugibus debeatur alteri
quartum in nudo, ac simplici usufructu,
quoties, ut in casu supersunt filii ejusdem
matrimonii, quibus reservatur proprietas,
non quidem uti filiis, sed si, & quatenus
fuerint hæredes illius, ex cujus Patrimonio
quartum solutum fuit, *Rot. coram Ottbob.
decis.*178. *num.* 6., *& decis.* 417. *num.* 14.,
& 15. *coram Cerro, & in Romana donatio-
nis* 4. *Februarii* 1712. §. 11. *cor. bon. mem.
Ansaldo, et in Romana Census* 23. *Febr.*
1720. §. *Infirmam cor. R. P. D. meo Her-
rera.*

Hoc tamen intelligitur, quando quartum
11 fuit traditum in specie fructifera: At quan-
do, prout in casu, quartum solutum fuit in
pecunia, quia revera in quantitate debeba-
tur, ex quo dos Principissæ Hypolitæ fue-
12 rat pariter in quantitate soluta, tunc,
quia pecunię usufructus minimè distingui
potest ab ejus proprietate, ex quo usu ipso
consumitur, & functionem recipit in gene-
re suo, dominium, & proprietas ipsius pe-
cuniæ in causam Quarti solutæ transit ple-
13 no jure in recipientem, qui solùm cogitur
cautionem prestare de tantundem resti-
tuendo, juxtà *Textum expressum in §. Con-
stituitur tit. de usufruct. l. Si tibi, et tot
tit. ff. de usufruct. earum rerum, quæ usu
consumuntur*, benè *Altograd. cons.* 90.
num.

14 *num.4., & seqq. lib.1.*, & indè sit, quod sicuti ille, qui quartum in pecunia recipit, prestita idonea cautione de restituendo, potest illam in quemcumque usum erogare, & etiam disperdere, ita etism potest suo commodo investire, & si de facto investiat, neque ipsa tenetur adveniente die restitutionis Quarti investimentum restituere, sed solùm tantumdem pecuniæ, quantum eo
15 nomine aecepit, neque is, cui restitutio Quarti facienda est, cogi potest in eam causam investimentum accipere, cum sit Creditor pecuniæ, & quantitatis, non verò speciei, ut in præcisis terminis firmavit bon. mem. *Ansald. ad decis.* 19. *sub num.*25., & respondit *Rota in Romana Quarti Dotalis* 20. *Januarii* 1702. §. *Quo verò coram Reverendissimo dell'Olmo*.
16 Et hinc nihil urget, quod pecunia usque à principio de consensu partium investita fuerit, quodque propterea perindè res haberi debeat, acsi non pecunia, sed investimentum, & species ipsa fructifera pro dicto Quarto tradita, atque assignata fuisset in simplici usufructo, remanente proprietate penès Primogenituram, ex cujus pecuniis investimentum factum fuerat, ut in similibus terminis ad effectum condemnandi ad restitutionem fructuum, decisum fuit in *Romona Quarti Dotalis, seù Locorum Montium* 20. *Januar.* 1715. *cor. Me*.

Nam quidquid sit, quando investimentum factum fuit de mandato Judicis, in quo casu
17 loquitur dicta Decisio coram Me. Hoc utique procedere nequit in præsenti hypothesi, in qua pecuniæ, nullo cogente, investitæ fuerunt ex libero placito Partium, & quod plus est cum expressione, quod investimentum stare deberet pro cautione ad formam Statutorum Urbis, quę sanè adeò notabilis circumstantia, sicuti deficiebat in casu dictæ Decisionis, ita necessario præseferr in præsenti, quod neque Principissa Hypolita adveniente die restitutionis Quarti voluit se adstringere ad tradendum investimentum, sed solùm pecuniam, dum pro ejus restitutione investimeutum ipsum obligabat,, neque Card. Hypolitus, qui tunc se asserebat unicum Successorem in Primogenitura, voluit se obligare ad recipiendam restitutionem Quarri in dicto investimento, dum illud sibi obligatum esse voluit loco cautionis ad formam Statutorum Urbis, atque ita simplicem tantum hypothecam su-
18 per eo acquirere, quæ cum dominio, & proprietate est omninò incompatibilis *l. Si rem alienam ff. de pign. act. l. neque pignus ff. de regul. jur.*

Enim verò, quamvis in abstracto vera sit regula, & propositio illa, cui innitebantur Defensores Domini Principis
19 Burghesii, quod scilicèt idem judicetur de pecunia investienda, quod de ipso investimento, æquè tamen verum est, quod ea non procedit simpliciter, & indistinctè respectu acquisitionis fructuum, sed
20 tunc solùm locum habet, quando titulus investimenti est translativus Dominii in Creditorem, vel alias habilis ad fructuum acquisitionem, cum nempè investimentum ex præcepto Testatoris, vel conventione partium pro ipso Creditore factum fuit, aut fieri debuit, tunc enim benè procedit, quod Creditori adjudicandi sint etiam fructus investimenti facti, vel faciendi, cum & ejus
21 Dominium nancisci debuerit. At verò si titulus investimenti non est habilis, ut in casu, ad transferendum Dominium speciei in Creditorem, sed illi dumtaxat tribuit particularem hypothecam super ipso investimento, tunc non idem est judicium quantitatis, & speciei respectu acquisitionis fru-
22 ctuum, quia repugnat qualitas tituli, & deest in Creditore titulus habilis ad acquirendos fructus, qualis non est hypotheca, vel pignus, ut per hęc eadem verba distinguendo casus, & conciliando authoritates alias respondit *Rota dicta decis.* 232. *nu.* 8. *par.8. rec.*

Minusque etiam urget, quod tam in secundo investimento facto de anno 1640., quam in tertio anni 1650. apposita fuerit conditio illa, & vinculum ibi -- *Quod expirato per obitum Principissę Hypolitæ usufructu, Capitale scut. 25. mil. præsentis* Cambii *liberè, & absque ullo onere spectet ad d. Excellentiss. Principissam D. Olimpiam Aldobrandinam ejus filiam juxta formam dicti Statuti, & non alias*, ex qui-
23 bus verbis pro parte D. Principis Burghesii inferebatur, quod dum Principissa Hypolita se vocavit simplicem usufructuariam, & expresè consensit, quod Capitale dicti Cambii post ejus obitum liberè spectaret ad Principissam Olimpiam filiam juxta formam statuti, necessario dici debeat, quod ipsa voluerit investimenti proprietatem acquirere pro Primogenitura, & pro se solum usumfructum.

Ut enim Domini benè ponderabant, quidquid sit, an illatio hujusmodi procederet, quando conventum fuisset, quod post obitum Principissæ Hypolitæ Cambium ipsum, & investimentum liberè spectaret ad Olimpiam filiam, cum tunc etiam dubitari posset, utrum species posita fuisset in obligatione, seu potiùs in facultate solvendi, juxtà deducta per *Rot. d. decis.*232. *n.*7. *par.*8., illud utique certum erat, quod casus, de quo agitur, extrà talem difficultatem versabatur, cum dictum non fuerit, quod Cambium, & investimentum, sed quod Capitale scut. 25.mil., quod tunc erogabatur in creatione Cambii, liberè spectaret ad eamdem Olimpiam post Hypolitæ Matris obitum ibi -- *Capitale scut. 25. mil. præsentis Cambii*: Hæc enim verba nihil aliud præseferunt, nisi quod eadem Principissa Hypolita respectu quantitatis scut. 25. mil. sibi in causam Quarti solutæ, solum habebat usumfructum, quodque eamdem quantitatem post ejus obitum restituere tenebat-

nebatur Olimpiæ filiæ, quod sanè non impedit, quominùs ipsum Cambium acquirere sibi posset, ut supra probatum fuit, neque operatur, quod ejusdem Cambii Dominium, finito pecuniæ ususfructu, in Credi-
24 torem transiret, cum etiamsi pecunia per obitum Principissæ Hypolitæ usufructuariæ aliena esse inciperet, hoc tamen aptum non erat minuere dominium investimenti, nec fructuum acquisitionem, ut sequitur *Rota d. decis. 232. num. 3. par. 8. rec.*

Quodque ita re vera fuerit ipsius Hypolitæ mens, & intentio, præclarè convincebatur, tùm ex quo addita fuit expressa relatio ad Statutum, juxta quod ex supra pro-
25 batis, cum quartum in pecunia solutum fuit, est etiam in pecunia, & non in specie restituendum; unde si conventa fuisset restitutio in ipso Investimento Cambii, quod tunc creabatur, nedum Partes nequivissent relative se habere ad formam Statuti, sed imò ex opposito declarare debuissent, quod in hac parte recedere volebant ab illius for-
26 ma, & dispositione. Tum ex quo tam in ordinibus tractis ab eadem Principissa Hypolita pro solutione pecuniæ in utroque Investimento, quam in consensu in primo præstito à Principe Marco Antonio Seniore Burghesio, & in secundo à Principissa Olimpia, semper dictum fuit, quod pecunia ipsa, & quantitas sc. 25. mil., non verò, quod species, & Investimentum post obitum Hypolitæ liberè spectaret ad eamdem Olimpiam, ac propterea etiamsi in creatione Cambii aliud expressum fuisset, nihilominus restringi, ac intelligi deberet juxtà limites præcedentis mandati litteraliter de pecunia, & quantitate loquentis. Tùm de-
27 nique ex quo in utroque Investimento conventum fuit, quod illud stare deberet *loco cautionis*, ac proindè impossibile est, quod subsequens conditio, & Vinculum accipi valeat in sensu, per quem proprietas addicatur eidem Primogenituræ, cujus favore pro cautione stare debebat, *d. l. neque pignus ff. de regul. Jur. cum aliis in Romana Concursus* 6. *Maii* 1720. §. *Rursus cor. Me.*

Si igitur utrumque Instrumentum Anni 1640., & 1650. tam in littera, quàm in ratione præseferunt, non alio pacto intelligendam esse conditionem illam in eis appositam, quàm de restitutione quantitatis, & pecuniæ facienda Olimpiæ filiæ post obitum
28 Hypolitæ Matris, parùm sane curandum est de alio subsequenti Instrumento divisionis Bonorum hæreditariorum memoratæ Hypolitæ factæ inter eamdem Olimpiam, & Ducem Flavium Ursinum illius Hæredes, quamvis enim in illo Dux Flavius enunciaverit, se alias contraxisse Cambium ad favorem Principissę Hypolitę cum declaratione, quod illud post ejus obitum liberè spectaret ad Principissam Olimpiam, tanquam proveniens ex causa dicti Quarti; nihilominus simplex ejusmodi enunciativa non potest intervertere, aut mutare veritatem
29 facti aliter se habentis, dum præsertim idem Dux statim relative se habuit ad Instrumentum, in quo dictum quidem fuerat, quod Capitale scut. 25. mil., & sic pecunia, & quantitas, non vero, quod Cambium ipsum, & species ad Olimpiam spectare debuisset, unde dicta Enunciativa non aliter intelligi debet, quam ad limites Instrumenti, ad quod relatio habita fuit, juxta vulgarum principium, de quo *Rot. cor. Emerix dec. 47. n. 4. & seq., & alibi.*
30 Quatenus vero ex eo deducatur, quod si Cambium pertinuisset ad Principissam Hypolitam, non debuisset Dux Flavius illud integre assignare per antipartem Principissæ Olimpiæ, sed solum pro medietate, pro qua Olimpia fuerat Hyppolitę Matris hæres: & hoc pariter nihil urget, quia cum Dux Flavius esset Debitor Cambii, & si voluisset hujus medietatem titulo hęreditario retinere, debuisset eodem tempore restituere eo nomine Principissæ Olimpiæ Cohæredi ex causa Quarti medietatem sc. 25. mil. in pecunia numerata, non est proindè mirum, si Cambium ipsum per antipartem integrè assignavit, dum aliàs coactus fuisset tantumdem pecuniarum sub usuris aliundè sumere. unde intrat regula, de qua *Rot. cor. Celso dec. 183. n. 14., & dec. 391. n. 11., & in rec. dec. 245. n. 7. part. 17.*
31 Quod si denique super d. Instrumento Divisionis vis aliqua fieri velit in linea observantiæ, & hęc perperam desumitur ab actu, vel enunciativa Ducis Flavii omnino extranei, & nullum in hoc interesse habentis, cum habeamus in contrarium observantiam univocam ipsarummet Partium, tum ex Inventario hæreditario Principissę Olimpiæ unitim confecto à D. Card. Benedicto, & Principibus Jo: Baptista Burghesio, & Jo: Baptista Pamphilio illius filiis, & Hæredibus, in quo inter alia Debitorum nomina ad d. hęreditatem spectantia descriptum quoque fuit residuum Cambii controversi, tum ex peritia graduatoria, & mandatis de consignando expeditis ad instantiam tàm DD. de Pamphiliis, quàm D. Principis Burghesii hæreditario nomine Olimpiæ Matris, & quidem cum specifica indicatione Instru-
32 menti ipsius Cambii, ut proindè, quatenùs etiam res in ancipiti versaretur, non aliter definiri deberet, quàm secundum adeo claram, & univocam observantiam ex positivo facto ipsarum Partium orientem, quas verisimile non est ad hujusmodi actus inconsulto devenisse, *Rot. dec. 235 sub n. 32. par. 16., & cor. Cerro decis. 706. num. 11. ubi Concordantes.*

Et ita utraque Parte acerrimè informante, & DD. una mecum suffragantibus resolutum fuit &c.

RO-

ROMANA, SEU FLORENTINA PECUNIARIA.

Ven. 20. Martii 1722.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius sub die 10. Martii 1721.

Forenses pro contractibus extra statum initis an Baronum Bulla suffragentur, aliquando istorum Sacra Congregatio negativam tenuit, aliquando affirmativam; sed verior prima.

SUMMARIUM.

1 *Observantia ut possit allegari in judicio ad instar legis, non potest desumi ex aliquibus quorundam Doctorum enunciativis.*

2 *Amplia, quando de uno ad alium casum optima nequeat fieri illatio ex disparitate rationis inter unum, & alterum.*

3 *Derogatio Bullæ Baronum à Papa dicitur facta, eo ipso, quod jusserit Creditores exteros non posse concurrere super bonis in Statu Ecclesiastico sitis pro creditis extra istum contractis, neque talis actus ad simplicem Bullæ declarationem est referibilis.*

4 *Congregatio Baronum est specialis executrix Constitutionis Clementis VIII. privative quoad alios.*

5 *Bulla Baronum sæpe admisit Creditores exteros ex contractibus extra Statum celebratis*, & num. 10. contrarium in num. 11.

6 *Observantia Judicialis in Tribunali privativo quoad certas Causas, & materias, statum super istis facere debet.*

7 *Facultas conveniendi debitorem ubique locorum operatur, ut partes sese subjecerint legibus extra naturam contractus in quocumque Loco vigentibus.*

8 *Hæredes gravati per privatas pactiones non possunt præjudicare juribus fideicommissi, vel investitura.*

9 *Actio super bonis feudalibus non datur Creditori in Bulla Baronum non comprehenso, & vide casum.*

DECISIO MCCCVI.

PRopofui hodie Causam super resolutis coram Me 10. Martii proximè præteriti, & Domini etiam in hac propositione minime concordes super germana interpretatione Textus Constitutionis Clementinæ, quæ vulgo dicitur Bulla Baronorum, ut in re dubia, & acipiti fieri debet, totum resolutionis fundamentum iterùm constituerunt in observantia, juxtà quam, cum constiterit, etiam Creditores Forenses pluries admissos fuisse ad beneficium dictæ Constitutionis, visum idcirco fuit, non posse hodie hoc nomine repelli Creditores Nummulariæ illorum de Gherardis agentes contra Bona hæreditaria Alexandri del Nero Domicelli Romani, atque ideo responderunt *in Decisis*.

1 Hujusmodi autem observantia hodie minimè desumpta fuit, vel ex iis, quę circa praxim Congregationis Baronum admittendi etiam forenses testatum reliquit modernus Lucensis in Observationibus ad d. Constitutionem *observat.* 8., vel ex pluribus exemplis prò parte Creditorum cumulatis, ex quibus deprehendi solum poterat, quod etiam Exteri aliquando in eadem Congregatione Baronum obtinuerint, quia difficultas, ad quam Causa reducebatur, non erat in genere, an Forenses beneficio Constitutionis contra Barones quandoque frui valeant, aut gavisi fuerint, sed erat in specie, an scilicet iidem Forenses dicta Constitutione uti possint, & respective usi fuerunt pro Contractibus extra Statum Ecclesiasticum celebratis, ac proinde extranea reddebantur, tum Auctoritas dicti moderni Doctoris in genere solummodo loquentis tum omnia illa exempla, in quibus Creditores, scilicet Forenses, obtinuerant, sed pro Creditis in statu Ecclesiastico contractis, cum hęc non inducerent observantiam illam specialem, & præcisam, quæ ad hunc effectum requirebatur, *Rota cor. Merlin. dec.* 825. *num.* 23. *& seqq. coram Arguell. dec.* 65. *sub num.* 27., *& coram Emer. decis.* 34. *num.* 28. *& in rec. dec.* 304. *num.* 6. *part.* 12., *& decis.* 227. *num.*8. *part.* 9. *& in Romana Assentistatus* 7. *Martii* 1719. §.

2 *Citra quod coram R.P.D. meo Cerro*, dum præferrim ab uno casu ad alium inferri non poterat proper disparitatem rationis in utroque concurrentem *leg. Omni, ubi Bartol. ff. de adopt. Surd. cons.* 375. *num* 24. *Rot. coram Bich. decis.* 55. *num.* 7. *& sæpè alibi*.

Quod igitur Dominorum Animos valdè movit, fuit primo loco Breve ejusdem Sanctæ memoriæ Clementis VIII. paulo post editam Constitutionem expeditum ad instantiam Chiappini de Vitellis, & cujus meminit præcedens Decisio §. *Cum enim*;

3 & si namque Defensores DD. de Justinianis acerrime contenderent, fuisse in eo processum per viam simplicis declarationis; ex ipso tamen contextu, non obscure deprehendebatur, quod cum idem Vitellius ob æra alienum à suis Progenitoribus occasione Sacri belli in magna summa contractum, tàm extra, quam intra Statum Ecclesiasticum à Creditoribus ita urgeretur tum Concivibus, tum Forensibus, ut illis resistere nequiret; Summus Pontifex, ut illi, & ejus Familiæ oportune consuleret de Christiana Republica adeo benemeritæ, quoad Creditores Status Ecclesiastici facultatem ipsi fecit, ut Bona Fideicommissaria in eodem Statu sita privata auctoritate venderet, ad effectum, ut pluris, quam sub hasta publica, & cogente Congregationis Imperio venirent, atque

ex

ex his dimitteret Creditores ejusdem Status. Quo vero ad Creditores non Subditos, aut urgentes pro debitis extra ditionem Ecclesiasticam contractis, relictis ad eorum comodum in Statu, quo reperiebantur ante d. Breve, cæteris Bona sub alieno dominio existentibus, quoad Bona in Statu Ecclesiastico sita, voluit, ut illi concurrere nequirent, derogando in hoc præcedenti Constitutioni, & Juri ipsis quæsito, perinde acsi Constitutio edita non fuisset: quod sane minime restringi potest ad simplicem declarationem, sed necessario supponit, quod nisi Papa dicto speciali Brevi Vitellium donasset, etiam Bona Fideicommissaria Status Ecclesiastici exposita fuissent actioni Creditorum Forensium, qui urgebant pro Creditis extra eumdem Statum Ecclesiasticum contractis, quemadmodum animadvertit mea præcedens Decisio §. *Si igitur* Et prius loquendo de hoc ipso Brevi dixerat *Rota in Romana, seu Civitatis Castelli Census* 28. *Junii* 1683. §. *His ita*, & §. *seq. coram bon. mem. Albergato*, & 14. *Maii* 1696. & §. *Minus reluctante*, *usque ad* §. *His demum cor. bon. mem. Ursino*.

Preterea Dominos quoque movit, quod
4 Congregatio Baronum, quæ executrix d. Constitutionis ab eodem san. mem. Clemente VIII. privativè quoad alios instituta fuit,
5 non dubitavit sæpe admittere, etiam Creditores Exteros pro Contractibus extra Statum celebratis, ut præsertim contigit in Concursu efformato super Bonis Marchionis Marcelli de Raymundis, & de isto met de quo nunc agitur super pretio Castri Porciliani, jam pertinentis ad Baronem
6 dei Nero; hæc enim observantia tamquam judicialis, ac descendens à facto Congregationis privativè ad hujusmodi controversias deputatæ, ita qualificata videbatur, ut omnino attendi deberet, ut ponderat præcedens decisio Causæ §. *fin.*, ubi Concordantes.

Neque obstare visum fuit, quod Forenses, qui obtinuerunt in concursu super Bonis Marchionis Raymundi egerint pro debito hic in Urbe ab eodem Marchione ratificato, quodque illi de Gallis, qui pariter obtinuerunt, licet Forenses, sibi consignari ratam prætii Castri Porciliani, per expressum pactum sibi præcaverint, quod Debitores ubique locorum tam Romæ, quam Florentiæ, Pisis, & Senis, conveniri possent: quod enim attinet ad primam objecti partem, dificultas cessabat ex facto, quia licet Contractus Cambii fuerit à Marchione Raymundo in Urbe approbatus, & rati habitus, initus tamen, & celebratus fuit Novis occasione Nundinarum, & sic extra Statum, ut etiam notavit præcedens Decisio §. *Probatur*.

7 Quod autem pertinet ad secundam, neque facultas conveniendi Debitorem ubique locorum, operabatur ut Partes sese subiecerint legibus, extra naturam Contra-
ctus in quocumque loco existentibus; ne-
8 que quatenus hunc effectum operaretur, apta esset derogare Fideicommissis, aut Juribus Investituræ, quibus certum est, quod hæredes gravati, aut pro tempore Investiti per privatas eorum pactiones, nullum inferre possunt præjudicium: quamobrem sicuti inter Privatos Baronali qualitate destitutos, & sub Bulla minime comprehensos, facultas ejusmodi Creditori concessa nullam ipsi actionem preberet contra Bona emphiteutica, vel Fideicommissaria ab ejus Debitore possessa in præjudicium Successo-
9 rum, ità pariter d. facultas nullam Exteris Creditoribus actionem parere potuisset contra Bona Feudalia, quatenus ipsi beneficio Clementinæ Constitutionis, cæteroquin uti nequivissent, ut bene animadversum fuit in præterita Decisione §. *Et ex his*.

10 Simili modo neque in facto subsistere visa fuit alia obiectio, quod nempe eadem Congregatio quandoque dubitaverit, an Forenses admitti possent, & ideo demandaverit, quod super hoc Articulo strictè scriberetur, & sæpè etiam illos excluserit, ut constare dicebatur ex pluribus decretis pro parte DD. de Justinianis hodiè noviter exhibitis.

Siquidem respectu Decretorum, quibus exclusi fuerunt Forenses, cum ex ijs minimè argui posset, prout cæteroquin opus fuisset, quod Forenses exclusi fuerint ex capite Forensitatis, nullum utique ex eis desumi poterat contrariæ observantiæ argumentum, cum potuerint excludi, vel quia essent Posteriores, vel quia contraxissent post cessatam Baroniam, vel ex aliis hujus generis causis, ex quibus excludi quoque possunt, & de facto, non semel exclusi fuerunt etiam Nostrates: quod autem Congre-
11 gatio aliquando demandaverit, ut strictè scriberetur super Forensitate, hoc potius retorquebatur, quia, cum hujusmodi rescriptum prodierit sub die 23 Novembris 1679. & postea anno 1706. eadem Congregatio admiserit Creditores, qui hodie agunt, licet Forenses, & pro Creditis extra Statum contractis, præsumi debet, quod saltem ex tunc Causa plenè cognita stabiliverit etiam Forenses beneficio Constitutionis Clementinæ uti posse, itaut propterea ejus Praxia majorem firmitatem ex hujusmodi circumstantia recipiat, ex Juribus vulgatis.

Et ità omnibus Dominis suffragium ferentibus resolutum fuit utraque &c.

ROMANA, SEU PORTUEN. TENUTARUM QUOAD PALUM.

Veneris 17. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Arbitrarium temperamentum ob Causæ dubietatem, & rerum involucrum a Judice susceptum, locum amplius non habet, & ab

ab eo est recedendum, quando ex facti evidentia veritas redeat ad lucem.

Identitas, quantitas, & confinia prædiorum ex instrumentorum enunciativis, unionibus sequtis, & simillibus æque probatur, sicuti ex diversitate confinium, & denominationum, seu vocabulorum excluduntur; in probationum verò conflictu, illius instrumenti enunciativæ standum est, quæ ex partium facto comprobata remaneret.

Reus exequtionem passus, deque excessu excipiens, in sua exceptione fit actor, cumque excessus non præsumatur, iste est ab ipso probandus, & reliqua secum fert presens;

S V M M A R I V M.

1 *Arbitrarium Judicis temperamentum in Causa involuta, & dubia, ad æquitatem, quantum fieri potest, probandam, locum habet*; Limita, ut in nn. 2. & 12.

2 *Secus, detecta veritate, ob quam factum Causæ non amplius interpretationem admittat.*

3 *Emphytheusis ad quæ bona sit directa, probatur ex investiturarum Instrumentis à Domino directo concessarum*, amplia, ut in nn. 5. & 28.

4 *Fundus certus distinguitur ab altero ex specificatione nominis, & confinium.*

5 *Fundus, quod de per se stet, & pars fundi non sit, probatur ex enunciativis instrumentorum, & investiturarum*; amplia, in n. 7.

6 *Confine idem non est cum re confinata.*

7 *Identitas, & quantitas prædii æmphitheutici probatur per testes judicialiter admissos, & formiter repetitos*, & n. 9.

8 *Diversitas unius prædii ab altero ex qualitatum diversitate probatur.*

9 *Identitas, & quantitas prædii probantur ex unionibus illius Auctoritate Apostolica factis, extra cujus limites datum non est causam à dicta unione habenti quid ultra prætendere.*

10 *Dominium unius temporis ex dominio alterius temporis non infertur, præsertim post lapsum centum annorum:*

11 *Dominia rerum facile immutantur, nec de præterito ad præsens bene arguitur.*

13 *Devolutio, ut habeat locum, necesse est, quod agens ad eam pro re emphitheutica sibi vindicanda, plene, concludenter, & quasi digito ejusdem rei qualitatem cum suis confinibus designet.*

14 *Alias, si res dubia sit, melior est possidentis conditio, & pro eo pronunciandum.*

15 *Reus in passa exequtione excessum prætendens fit actor in tali exceptione*, & n. 19.

16 *Purgatio moræ Canonum debitori conceditur.*

17 *Dominus directus, qui fundi emphytheutici possessionem cepit ob canones non solutos, emphiteuta defuncto, si prætendat lineam fuisse extinctam, adversus tertium & singularem successorem, judicium ex integro, & separatum debet promovere.*

18 *Remissio Causæ ad Rotam* tamquam in prima, *& non* in statu, & terminis, *operatur, ut judicium dicatur novum, non vero continuatiuum jam incepti.*

19 *Reus exequtionem passus, & excessum prætendens, in hoc fit actor & eum probare tenetur;*

20 *Excessus de Jure non præsumitur. & ab eum allegante probandus est.*

21 *Possessor pro vindicatione rei in judicio conventus dicitur reus, & non actor.*

22 *Confinia, & identitas prædii emphitheutici sicuti ex enunciativis in investiturarum instrumentis emissis probantur, ita æque excluduntur ex contrariis enunciativis aliorum Instrumentorum*; amplia, ut in n 34.

23 *Declara, ut tali casu in tali Instrumentorum discordia, nullum sit attedendum.*

24 *Vel potius in probationum conflictu illud attendatur, quod insertum in litteris Apostolicis, & unanimi partium consensu approbatum appareat.*

25 *Peritia erronea à Judice reprobata, & informatorum testium assertioni contraria, reicienda est.*

26 *Peritia, & planta non concludentes assumptum, similiter reiciuntur.*

27 *Dictio* -- ipsius -- *de sui natura præsefert dominium.*

29 *Dominium ex instrumentis venditionum probatur*, & n. 34.

30 *Amplia, quando adsunt verba denotantia pertinentiam* pleno Jure, ac libero dominio *penes unum, quod penes alterum possessionem excludit.*

31 *Fundus emphitheuticus si prætendatur, quod se protendat usque ad Mare, in cujus littore adsit fortalitium, si que hoc in investitura non compræhenderetur, præsumitur tantum eò se non protendere*, & vide casum.

32 *Ædificium insigne non præsumitur ab aliquo in fundo æmphytheuticò alieno constructum.*

33 *Imo in proprio solo, præsertim si probaretur, quod fundus antiquitus ab antenatis fuisset possessus.*

35 *Confinia ex antiquis Instrumentis, tamquam luce veritatis, designantur.*

36 *Tenuta enunciata pro rubris* 65. *non potest credi, quod habeat Mare pro confine, quando ex ea ad mare esset inter medius situs rubrorum* 300., & n. seqq.

37 *Quantitas fundi emphytheutici ut probetur, multum deferendum est quantitati Canonum, ducto argumento à proportione istorum cum illa.*

DECISIO MCCCVII.

CONtroversia Confinium, quam Sacra Rota proptèr magnam rei obscuritatem in præcedenti Instantia cor bo.me. Ansaldo terminandam esse censuerat mediante illo æqui-

æqualitativo temperamento, quod nempè Collegio Germanico, & Ungarico assignaretur quarta pars totius Tenimenti Pali, sumenda ex loco utrique Parti collitigaoti commodiori, ut videre est ex *Decisione cor. Eo edita 26. Martii* 1708., cum hodie in gradu Appellationis ab utraque Parte interpositæ coràm Me reassumpta fuerit, proposui congruum dubium - *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda*; & Domini sedulò, matureque ponderatis, & quid ab unaquaque Partium probandum erat, & quid de facto probatur post accuratam Causæ discussionem, tandèm convenerunt in sensu, quod rejecto memorato temperamento *Sententia esset infirmanda*.

1 Ratio resolutionis in eo potissimum stetit, quod eatenùs in præcedenti Instantia capium fuerat dictum arbitrarium temperamentum, quia nempe suppositum fuit, quod certa, & minimè dubia esset quota ad Collegium spectans, scilicèt quarta pars totius Tenimenti Pali, totaque incertitudo, & dubietas versaretur circa locum, & præcisam
2 situationem ejusdem quartæ partis; cum autem hodie tam ex antiquis documentis, quam ex aliis de novo superadditis, compertum fuerit minime subsistere dictum suppositum, nec fuisse in emphyteusim concessam quartam partem totius Tenimenti Pali pro indiviso, sed certum dumtaxat fundum denominatum *il Quarticciolo* suis propriis Confinibus distinctum, hinc planè consequebatur, non posse amplius ad Causæ Decisionem cum dicto arbitrario temperamento procedi, sed omnino oporteret juxtà Juris regulas certam proferre Sententiam dicti fundi, ejusque Confinium regulatricem ad *Text. in l. prospexit ff. qui, & à quibus Vrceol. de transact. quæst.* 64. *numer.* 18., *& seq. Rot. dec.* 465. *num.* 1., *&* 2. *ibique adden. num.* 12. *cor. Ludovis.*, *& dec.* 320. *n.* 1. *cor. Merlin.*, *& dec.* 314. *num.* 9., *& seq. par.* 19 *rec.*

3 Quod autem non quarta pars totius Tenimenti Pali pro indiviso in emphyteusim concessa fuerit, sed certus fundus suis propriis Confinibus distinctus, satis clarè primo loco evincebatur ex geminis Investituris anni 1521., & anni 1551.; ex prima enim constat, quod Cardinalis Innocentius Cybo tunc temporis Commendatarius Abbatiæ SS. Andreæ, & Sabæ, quæ postmodùm à san. mem. Gregorio XIII. unita fuit Collegio Germanico pro certo annuo Canone in emphyteusim concessit Felici de Ruere, ejusque filiis, Francisco, & Hieronymo de Ursinis, non quidem quartam partem universi Tenimenti Pali, sed quartam dumtaxat partem Tenutæ Castri diruti Pali, quæ erat certus fundus communiter appellat. *il Quarticciolo di Palo juxta suos fines sit.*, *& confinat.*, ut sunt verba dictæ Investituræ; & quamvis paulò post ob non expressos fortassè Confines inter eosdem Ursinos investitos, & Cardinalem Innocentium Dominum directum, controversia non dissimilis illi, quæ hodiè agitur, mota fuisset, cum dictus Cardinalis prætenderet ad Abbatiam spectare quartam partem Castri diruti Pali, ejusque Territorii, & de facto anno 1543. ejus possessionem, cepisset Ursini vero substinerent emphyteusim restrictam esse ad certum fundum denominatum *il Quarticciolo* suis propriis Confinibus limitatum; tamen post plures Sententias composita inter eos fuit omnis controversia, mediante nova Investitura anni 1551., in qua Cardinalis de Monte Successor in Abbatia, non amplius loquendo de quarta parte Castri diruti Pali concessit Paulo Jordano Ursino in emphyteusim perpetuam duas Tenutas appellatas *lo Quarticciolo di Palo, è Vicarello apud sua notissima Confinia, videlicet quoad Quarticciolo di Palo juxta Tenimenta Castri Cerveteris, & Ceræ, & Maris, & aliis partibus Tenimenti Pali*, ut ad literam legitur in Instrumento Investituræ per extènsum inserto in Litteris Apostolicis san. mem. Julii III., qui ad supplicationem dicti Cardinalis de Monte ejus Nepotis illam approbavit, & confirmavit: undè his stantibus quidquid sit, an ad terminos primæ Investituræ dubitari potuisset, utrum certa quota Tenutæ Castri diruti Pali concessa in emphyteusim fuisset, profecto nulla hujusmodi difficultas cadere poterat in secunda, dum in illa non quarta pars Tenutæ Castri diruti, & multo minus totius Tenimenti Pali, sed certus fundus proprio nomine, & Confinibus distinctus concessus fuit, sive melius in hac parte explicando primam concessionem, in qua nulli Confines designati fuerant, sivè illam prorsus novando, in quo posteriori sensu eam de facto accepit *Rota dec.* 1139., *coram bon. mem. Emerix. & decis.* 1188. *coram bon. mem. Emerix Jun.* Cum speci-
4 ficatio nominis, & Confinium per se ipsam præseferat separationem, & constitutionem certæ rei, & nullo pacto ad quotam applicari possit, ut bene in his terminis docuit *Bald. cons.* 420. *sub num.* 1. *lib* 1. *Rot. cor. Mantic. dec.* 142. *n.* 10., *& cor. Buratt. dec.* 367. *n.*4., *& cor. Dunoz. decis.*609. *n.* 10.

5 Rursus quod Quarticciolum Pali esset certus fundus, & non quota indivisa totius Tenimenti bene eruebatur ex Instrumento anni 1573., in quo idem Paulus Jordanus Ursinus, paulo post acceptam dictam secundam Investituram, Tenutam Pali vendidit cum pacto redimendi favore Cardinalis Farnesii tanquàm ad se pleno dominii Jure spectantem, & liberam ab omni Canone, atque inter cæteros ejusdem Tenutæ Confines expressit ipsum Quarticciolum ibi -- *ab alia Tenuta Quarticcioli* -- quod sanè ita exprimi nequivisset, si Quarticciolum non fuisset certus fundus ab ipso Tenimento Pali, quod tunc vendebatur materialiter distinctus,
6 dum Confine idem esse nequit cum re confinata, argumento *Text. in l. cum Servo in fine ff. de contrahen. empt.* quo in simili usa

fuit

fuit *Rot. decis.* 600. *num.* 7., *&* 8. *coram Merlin.*, *& cor. bo. me. Benincas. decis.* 7
n. 11., *& sæpè alibi*.
7 Coherenter ad Instrumentum hujus venditionis addebantur hodiè septem antiqui
Testes noviter reperti, & usque ab anno
1586. formiter examinati; & admissi in nostro Tribunali in *Causa Romana Casalis
Sanguinariæ coram bon. mem. Seraph.*, *ut videre est ex ejus dec.* 836., qui omnes occasione dictæ litis unanimiter deposuerunt,
Quarticciolum Pali esse distinctum, & separatum à Tenuta Pali, tunc Jure emptionis possessa à Cardinali Farnesio, & esse
qualitatis longe melioris dicta Tenuta, sicuti
refert *Rota d. dec.* 836. *num* 4. *coram Sera-*
8 *phin*, quod utique ad evidentiam excludit,
quod dictum Quarticciolum sit quarta pars
indivisa respectu totius Tenimenti Pali,
dum in hoc sensu Quarticciolum esse nequiret qualitatis diversæ, & melioris dicta Tenuta, argumento *l. si quis in fundi vocabulo ff. de legat.* 1., *& l. Testamento quidem ff. de condit.*, *& demonst. Rot. dec.* 567. *n.* 6.
part. 18. *recent.*
9 Denique hoc ipsum præferebat unio facta
favore Collegii à sa. me. Gregorio XIII. illius Institutore valdè proximè ad secundam
Investituram; cum enim in ea memoratus
Pontifex Collegio univerit non quartam
partem totius Tenimenti Pali, sed quatuor
fundos propriis nominibus distinctè designatos, & expressos ibi - *concedimus quatuor
fundos Montis Mariæ Magnæ, Montis Mariæ Parvæ, Quarticcioli de Palo, & Quarti
S. Sabæ, & Vicarelli vocatos, pro quibus
Paulus Jordanus Ursinus annuum vectigal
mille ducatorum aureorum solvere tenetur*,
jam ex hoc ipso apparet nullo modo posse
Collegium, quod Jus suum à dictis concessione incipitur ultrà illius limites quartam partem totius Tenimenti Pali Jure dominii vindicare, aut prætendere, sed solum certum
Prædium Quarticcioli in dicta unione nominatim designatum ad ea, quæ in proposito
firmat *Surd. dec.* 300. *num.* 11. *Rota in Toletana Decimarum de Capilla super Decimis
perceptis à clar. mem. Cardinali Portocarrerio quoad negocium principale* 21. *Martii*
1718. §. *Sicuti coram R.P.D. meo Cerro*:
10 Quin adversus ista adeo gravia; & solemnia documenta alicujus momenti esse posset antiquissimum Instrumentum locationis
tertiæ partis totius Tenimenti Castri Pali factæ anno 1375. ab Æconomo Abbatia SS.
Andreæ, & Sabæ cum expressione, quod
dicta tertia pars pertinebat ad Abbatiam
pro indiviso cum aliis duabus partibus; ultra
quod enim dictum Instrumentum erat penitùs illegale, & informe; fuit ulterius animadversum, quod à condominio anni 1375.
nullo modo argui poterat ad simile Condominium pro annis 1521., & 1551. quibus facta fuit Investitura Quarticcioli cum longis-
11 simo spatio 150. annorum utrumque tempus
intercedentium, rerum dominia facilè mutari
potuerint, prout de facto immutata fuisse
evincebant tot Instrumenta superiùs expensa, immo Collegium ipsum fateri cogebatur
dùm hodiè non tertiam, sed tantùm quartam
partem dicti Tenimenti ad se pro indiviso
pertinere contendebat, ut in specie dixit
Rot. dec. 1530. *sub num.* 3. *coram Penia*, *&
dec.* 28. *num.* 14. *coram Emerix*, *& dec.* 336.
num. 10. *par.* 12. *Rec.*, *& dec.* 161. *num.* 15.
& seq. par. 15.
12 Firmo itaque manente ex hactenus deductis fuisse duntaxat in emphiteusim concessum
certum fundum proprio nomine, ac propriis
limitibus distinctum, ac materialiter separatum à Tenimento Pali, non verò quartam partem indivisam totius d. Tenimenti; jam duo
exindè consequebantur, alterū nempe, quod
omninò recedendum erat à temperamento
arbitrario capto in præcedenti instantia sub
contrario supposito, quod quarta pars totius Tenimenti concessa fuisset in emphiteu-
13 sim, & alterum quod onus erat Collegii tanquàm Actoris probare Confinia, & præcisam
quantitatē fundi in emphitheusim concessi,
cum de Jure Dominus directus agens titulo
devolutionis pro vindicanda re emphiteuntica teneatur plenè, & concludenter, ac quasi
digito ostendere, & designare eamdem rem
cum suis confinibus, *Rot. coram Buratt. dec.*
132. *num.* 4., *& coram Otthobono dec.* 63. *n.*
14. *cum seqq.*, *& in Recent. dec.* 30 *num.* 6.
par. prima, *& dec.* 120. *num.* 14. *par.* 6. Aliàs
14 enim si res dubia quoquomodo fuerit, melior est conditio possidentis, & pro reo est
pronunciandum, *Rota in Recentior. decis.*
126. *num.* 11. *par.* 16., *& dec.* 297. *num.* 22.,
& seq. par. 19.; *& in Romana, seù Sutrina
Confinium* 10. *Decemb.* 1714. §. *finali*, *&*
1. *Aprilis* 1715. §. *Respectu coram Me*.
Frustrà verò Collegium ad se eximendum
ab hoc onere, partes Actoris refundere prætendebat in Dominum Ducem Balthassarem
Odescalcum sub obtentu, quod præsens Judicium nihil aliud sit, quàm prosequutio antiquæ litis ab Ursinis promotæ super excessu
executionis Mandati de associando anno
1677. super hiscemet Bonis in præsenti quæstione cadentibus à Collegio consummatæ; ut
15 enim Domini in facto animadvertebant,
quamvis verum sit, quod Dux Flavius post
expletam à Collegio dictam executionem
Mandati de associando ab eodem obtenti
ob Canones non solutos, judicium instruxerit contrà idem Collegium super excessu
dictæ executionis & in eo prodierit quoad
Paritm *coram bon. mem. Emerix dec. inter
suas fo* 1086., in qua captum fuit dictum temperamentum, ex quo Dux Flavius in dicto
Judicio non dubiè Actor eumdem excessum
non satis probare visus fuit; æquè tamen verum est, quod tota hujusmodi controversia
paulò post finem habuit, dùm idem Dux Fla-
16 vius admissus ex Sententia nostri Tribunalis
ad purgationem moræ, ut constat ex *Decisionibus* 749., *&* 1189. *coram dicto bon. me.
Emerix*, de anno 1696. recuperavit inte-

gsam possessionem omnium Bonorum, super
quibus executio consumata fuerat, ut recen-
setur in aliis *Decisionibus editis coram dell'
Olmo, & impressis post Antonell. de Jur.
Cleric. dec.34. num.35., & 36.*, ieaque hoc
medio obtenta, opus amplius non habuit
prosequi litem super excessu d. executionis,
dum per aliam viam purgationis moræ jam
fuerat in pristinum statum plenarie restitu-
tus.

Non secùs itaque, ac si executio d. Man-
dati de associando nunquam expleta fuisset
permansit Dux Flavius in possessione Castri
Pali, & controversæ Tenutæ *del Quartic-
ciolo* prout antea reperiebatur quousque
idem Castrum cum cæteris bonis eidem an-
nexis deliberatum fuit ex authoritate Con-
gregationis Baronum favore Principis Don
Livii Odeschalchi Auctoris moderni D. Du-
cis, qui illius possessionem ex dicto titulo
deliberationis actualiter cæpit; sed quia
17 paulò post memoratus Dux Flavius obiit
sine filiis, hinc aliud, & omnino diversum
à primo devolutionis Judicium fuit à Colle-
gio ex integro institutum ex capite lineæ fi-
nitæ, cujus virtute de mense Aprilis anni
1698. licet nactus fuerit possessionem qua-
tuor Tenutarum Familiæ Ursinæ in Emphi-
theusim perpetuam concessarum, nempè
*Quarto di S. Savo Monte Maria grande,
Monte Maria piccolo, e Vicarello*, nullam
tamen possessionem cæpit super controversa
Tenuta del *Quarticciolo di Palo*, prout
neque de parte Territorii Brachiani fini-
tima, quam prætendebat includi sub Tenuta
Vicarelli, & hoc quia tam ista pars, quem
Tenuta *Quarticcioli di Palo* possidebantur
à dicto Principe Don Livio, contrà quam
tamquam Tertium, & singularem successo-
rem opus erat congruum, & separatum Ju-
dicium instruere ad effectum recognoscendi,
ac firmandi vera Confinia, prout idem Col-
legium expressè declaravit in Transactione
subinde inita cum Domina Principissa Ursina
de la Tremoille Vidua relicta, & respecti-
vè hærede memorati Ducis Flavii, & prout
de facto subsequenter ex integro instruxit
mediante Monitorio in vim legis diffamari
contra Principem Don Livium exequto.

18 Quamvis igitur hujusmodi judicium, quod
est illud idem, in quo versamur, esset omni-
no novum, atque independens à primo jam
terminato per effectivam purgationem mo-
ræ, quia tamen verificatio, & recognitio
Confinium in isto facienda respectu Tenuta-
rum *Vicarello, e Quarticciolo di Palo* jam
tacta, & aliquo modo gustata fuerat *in dicta
Decisione* 1086. *edita super excessu coram
bon.mem. Emerix* occasione primæ litis jam
terminatæ; hinc propterea etiam hoc novum
Judicium remissum fuit ex rescripto Sanctis-
simi ad hoc nostrum Tribunal, non tamen
in statu, & terminis, sed cum expressa clau-
sula -- *tanquam in prima* -- ne unquam du-
bitari posset, quod præsens controversia,
quæ cæteroquin eamdem inspectionem in
substantia involebat esset prosecutio antiquæ
litis super excessu, dum revera erat omninò
nova, & quod plus est longè dispar inter
utramque ratio intercedebat, cum in illa
Dux Flavius judicialiter spoliatus possessio-
ne Bonorum emphitheuticorum, & præten-
19 dens à Collegio excessum fuisse in execu-
tione, assumere necessario debebat personam
20 Actoris, cum excessus de Jure non præsu-
matur, sed ab allegante probari debeat, è
contrà verò in hoc novo, & præsenti Judicio
Dominus Dux Odescalcus, quià jamdiu re-
21 petitur in possessione Bonorum sub lite ca-
dentium, nonnisi rei, & possessoris figuram
gerere possit, atquè ideò etiam omnibus
privilegiis, quibus de Jure gaudent posses-
sores perfrui debeat. Qui enim rem possidet
& à quo res petitur, non Actor, sed Reus est,
juxta expressum *Text. in cap. Forus §. Reus
de verbor. signific.*, de quo *Dec. in cap. Cum
inter num.15. de except., Ubert. de Citat.
cap.12. n.41., & 42*

Hoc itaque posito, procedentes Domini ad
examen probationum à Collegio inducta-
rum facilè recognoverunt non solum ex eis
minimè concludi assumptum, quod Quartic-
ciolum Pali se protendat usque ad Mare,
quemadmodum ejus defensores contende-
bant, sed immo ex opposito hujusmodi ex-
tensionem praeclarè excludi à contrariis pro-
bationibus, & documentis pro parte Do-
mini Ducis exhibitis, & non obscurè proban-
22 tibus dictum fundum emphitheuticum *del
Quarticciolo* Viam Romanam non excedere.
Enim verò Collegium ad effectum probandi,
quod Mare esset unum ex Confinibus dicti
fundi, super duobus potissimum insistebat.
primum videlicet super Instrumento Inve-
stituræ Anni 1551. reperto in Prothocollo
Sebastiani Pasquetti, in quo Confinia his ver-
bis exprimuntur -- *Quoad Quarticciolum di
Palo juxtà Tenimenta Castri Cerveteris, &
Ceræ, & Mare, & aliis partibus Tenimenti
Pali* -- Et secundò super Planta confecta à
Simeone Rotundo Petito Agrimesore occa-
sione litis super excessu vertentis inter Ursi-
num, & Collegium, & præfixa in fronte præ-
cedentis Decisionis bon.mem. Ansaldi; sed
neutrum ex hisce documentis quidquam con
cludebat ad intentum; non quidem primum,
quia licet in dicto Instrumento alligato in
Prothocollo legatur dictum verbum - *Mare*
-- in accusativo positum, atque ideò videa-
tur expressum pro Confine dictæ Tenutæ,
nullum tamen super eo certum fundamen-
tum constitui poterat, quia in alio Instru-
mento ejusdem Investituræ inserto in literis
Apostolicis sanctæ memoriæ Julii III. non
legebatur *Mare* sed *Maris*, atque ità pro
Confine dictæ Tenutæ non Mare ipsum, sed
Tenimentum, seù Campus Maris assignaba-
tur, qui erat fundus hujus nominis in Teni-
mento Pali à Via Consulari ad Mare se pro-
tendens, ut constat ex depositionibus Te-
stium formiter repetitorum in dicta Causa
Romana Casalis Sanguinaria coram bon.me.
Scra-

Seraphino, & ex duobus antiquissimis In-
strumentis annorum 1567., & 1571. Rursus
23 in minuta origiuali Brevium Apostolico-
rum non legitur, neque *Mare*, neque *Ma-
ris*, sed *Mari*; unde in tanta Instrumento-
rum discordia vel de nullo eorum ratio ha-
24 benda erat, vel potius in concursu præferri
debebat Instrumentum insertum in dictis Li-
teris Apostolicis, tanquam unanimi consensu
Partium, & Principis assertione roboratum,
ex latè deductis *in Decisione bon. memor.
Ansaldi §. Tantùm verò cum pluribus se-
quentibus*.
25 Pari modo nullum constitui poterat cer-
tum fundamentum super Planta, & peritia
Rotundi Agrimensoris, nedum quia jam ista
implicitè rejecta fuit ab hoc sacro Tribunali,
in alia causa *Romana, seù Sutrina Confi-
nium* 10. *Decembris* 1714. §. *Nec quidquam
coram Me*, ubi reprobata de directo fuit re-
latio Moretti, qui in dicta causa inter Ursi-
nos, & Collegium tanquam tertius peritior
electus cæca fide in omnibus sequutus fuit
Judicium dicti Rotundi Agrimensoris, ve-
rum præterea quia etiam hodie detecta fuit
pluribus scatere erroribus, eoque potissimum
quia ejus relationem, & Judicium fundat in
Investitura anni 1521.; & in actu possessionis
successivè captę à Cardinali Innocentio Cy-
bo de quarta parte Castri diruti Pali, quan-
do revera de hac prima Investitura nulla ra-
aio habenda erat, tanquam ex post per viam
Transactionis omninò innovata per aliam
subsequentem anni 1551., & quando insuper
procedendo etiam juxtà terminos primæ, &
coherenter ad dictum actum possessionis
captæ a Cardinali Cybo de quarta parte
Castri diruti Pali, nullo modo trahi po-
terat certa consequentia, quod Tenuta
Quarticcioli se protenderet usque ad mare,
dum quamvis ipse Peritus asserat, quod Ca-
strum dirutum existeret in Littore Maris
proximè ad arcem, seù Fortalitium, quod
etiam hodie in eodem littore remanet, ve-
ritas tamē hujus facti valde in incerto manet,
dum habemus ex depositione Notarii pu-
blici, qui in faciem loci accessit, & ex plu-
ribus aliis Testibus fabris murariis rudera,
& vestigia antiqua d. ti Castri diruti ex-
istere prope Viam Romanam, ac distare
a littore Maris, atque Arce, seu Fortalitio
per duo ferme passuum millia; unde in his
26 circumstantiis jam nemo non videt, quod
ex dicta Planta, & Peritia nulla erui potest
probatio, quæ assumptum concludat, prout
de cætero opus esset, *Rota dec.* 167. *num.* 1.
& 2. coram Merlino, & dec. 309. *nu* 9. *cor.
Dunoz. sen., & in Romana expurgationis
Fovei* 18. *Martii* 1715. §. *Atque his positis,
cor. Me*.

Verùm eo minus ratio habenda erat de
hisce æquivocis, & minime concludentibus
documentis, quia ex parte Domini Ducis
positive ostendebatur nullo modò Tenutam
emphytheuticam *del Quarticciolo* usque ad
Mare protendi posse, sed ea omninò termi-
nari à Via Consulari, sive Romana magnis
lapidibus strata, quæ ab Urbe ducit ad Ci-
vitatem Centum Cellarum; hoc enim primo
loco evincebant gemina Instrumenta em-
ptionis, & respective donationis Castri Cer-
veteris factæ à Gentili Virginio Ursino anno
1492., & 1493.; cum enim in utroque ex di-
ctis Instrumentis pro Confine Territorii Cer-
veteris assignatum fuerit Tenimentum Castri
Pali *ipsius Emptoris, & Donatoris respecti-
27 vè* sicuti dictio illa -- *ipsius* -- de sui natura
præsefert, quod Tenimentum Castri Pali jam
tunc esset de dominio Emptoris, & respecti-
vè Donatoris, ex deductis per *Rot. decis.* 69.
num. 17. *par.* 8., *& dec* 119. *num.* 23., *& seq.
par.* 19. cum aliis *in Decision. bon. memor.
28 Ansaldi §. Et hæc*, ita impossibile redditur,
quod Tenuta *del Quarticciolo* de directo do-
minio Abbatiæ, & de qua tunc temporis
nemo de Domo Ursina investitus fuerat, sed
alii investiti reperiebātur se protenderet ad
Mare, quia si res ita se habuisset nullo pacto
verificari potuisset, quod Castrum Cerve-
teris habebat ex hoc latere prò confine bona
propria Ursini emptoris, & respectivè Do-
natoris, sed omnino exprimi debuisset,
quod Castrum Cerveteris, & ejus Territo-
rium habebat ex hac parte pro confine bona
Abbatiæ, vel investitorum ab ea, ut ad
oculum ostendit pianta ipsa Rotundi, & be-
nè advertit *Decis. Causæ edita coram bo. me
Ansaldo d. §. Et hæc cum seqq.*
29 In idem collimant alia duo Instrumenta
anni 1509. in quo Julius Ursinus vendidit
Felici de Ruere Ursinæ Castrum dirutum
Pali Portuen. Diæcesis cum universo Teni-
mento, & anni 1518., in quo dicta Felix de
Ruere per viam ultimæ voluntatis sub cer-
tis legibus disposuit de dicto Castro Pali,
ex quibus nedum ad evidentiam resultat,
quod Castrum dirutum Pali cum universo
ejus Tenimento jām longè antè quamcum-
que Investituram erat in pleno dominio Do-
mus Ursinæ, sed etiam mirabiliter explica-
30 tur dicta prima Investitura anni 1521. sub
qua certum remanet comprahendi minimè
potuisse ipsum Castrum dirutum, aut ejus
tenimentum, dum ista jam ante dictam In-
vestituram erat de libero, ac pleno domi-
nio ejusdem Felicis, ut in similibus terminis
respondit *Rota dec.* 161. *num* 22. *part.* 15. *&
in dec. Causæ* 1086. *coram Emer. num.* 7. ubi
concordantes.
31 His accedit, quod quatenus fundus em-
phyteuticus controversus revera se proten-
deret usque ad Mare, juxtà prætensionem
Collegii. & Plantam Rotundi, dici neces-
sario deberet, quod Arx, seu Fortalitium
Pali esset etiam sub dicta emphyteusi com-
prehensum, quod tamen certè non subsistit,
nedùm quia in neutra ex dictis Investituris
ulla fit mentio dictæ Arcis, seu Fortalitii,
quod cæteroquin erat speciali nota dignum,
sicuti illius expresse meminit Paulus Jorda-
nus Ursinus anno 1552. occasione qua Pali
Tenimentum locavit, verùm etiam quia con-

stat in facto Palatium cùm Arce fuisse ab antiquo ædificatū longè ante primā Investiturā, cum adhuc hodiè in quodā ejus laqueari insculta inspiciantur insignia Leonis Decimi qui regnavit usque ad Kalendas Decembris anni 1521. & de cætero nimis durum, & in-
32 verisimile sit, quod quis in fundo non proprio, sed emphyteutico Palatium cum Arce adeo insigni ædificare voluerit, dum
33 maximè in eodem littore Maris compertum est, quod longe prius fundum proprium possidebat, in quo illud equè comodè ædificare potuisset ad ea, quæ in proposito tradunt *Spada cons.* 104. *num* 9. *lib.*3. *Rot.dec.* 119. *num.*21., & 22.*par.*19. *rec.*
34 Fortius autem hæc omnia urgent si addantur alia duo instrumenta anni 1553., & anni 1576., in quorum primò idem Paulus Jordanus Ursinus, qui obtinuerat ab Abbatia secundam investituram vendidit Cardinali Farnesio cum pacto redimendi Tenutam Pali (sunt verba ipsa instrumenti) *Cum Arce, & omnibus suis pertinentiis &c. jurisdictione &c. non solùm terræ, sed etiam maris, & pro confinibus ejusdem Tenutæ* ab uno latere designavit mare, & ab alio viam publicam, & Tenutam Quarticcioli, quam tanquam emphyteuticam à d. venditione nominatim excepit. In secunda verò idem Cardinalis Farnesius Emptor imposuit quemdam censum super dicta Tenuta Pali, eamque pariter designavit ab uno latere juxta Mare; unde si ex hisce instrumentis habetur, quod Mare erat confine Tenimenti Pali liberè spectantis ad Ursinos, & ab eis venditi Cardinali Farnesio, si insuper constat, quod idem Tenimentum habebat ab alio latere pro cōfine fundum emphyteuticum *del Quarticciolo*, & viam publicam, jam inde sequitur, quod Quarticciolum non poterat se protendere usque ad Mare, sed bene quidem, quod iste erat conterminus cum d. Tenimento libero Pali, atque idem terminabatur à via Consulari, seu Romana, quæ data fuit pro
35 alio Confine, cum certi, atque indubii juris sit, quod in hisce quæstionibus antiqua instrumenta tamquam lux veritatis attendi debeant, ut innuit *Bald. cons.*109. *in princip. lib.*4., quem refert, & sequitur *Rota d. dec.* 1086. *n.*15. *cor.Emerix.*
36 Et in hunc sensum Domini eò facilius convenerunt, quia ex alio instrumento ann.1577. habetur, quod Virginius Ursinus vendidit Herbas *del Quarticciolo di Palo*, additis illis verbis, *e se li montiene per rubia* 65., rursus ex planta exhibita in Actis Magistrorum Viarum, & quæ sine dubio præferenda est alteri Plantæ memorati Rotundi, tamquam confecta de mandato san. mem. Alexandri VII. usque de anno 1660 habetur, quod Tenuta controversa *del Quarticciolo di Palo*, sita est supra Viam Romanam, & non excedit quantitatem rubrorum 70., unde necessariò infertur, quod nedum dicta Tenuta attingere nequit Mare, cum in hoc sensu esset non rubrorum 65. vel 70., sed rubrorum fermè 300., ut recognoverunt ambæ Decisiones in causa editæ, oempe prima bon. mem. *Emerix la* 1086. *sub n.* 27., & secunda bon. mem. *Ansaldi* §. *Hisque omnibus*, sed imo, quod pernecesse terminari debet à Via Consulari, in quo sensu solùm verificari potest extensio restricta ad rubra 70., ut bene animadversum fuit in *d. decisione bonæ memoriæ Ansaldi* §. *Hisque omnibus.*
37 Denique hanc veritatem valdè comprobat tum denominatio ipsa *del Quarticciolo*, quæ per se ipsam præsefert diminutionem, tum, & fortius distributio Canonis facta in-entiesd. instrumento secundæ investituræ; nam si juxta illud Domus Ursina pro duabus Tenutis *del Quarticciolo di Palo, e Vicarello* solvere in totum quot annis debebat scut.311. b. 11., utique servata proportione capacitatis Tenutæ Vicarelli cum alia controversa *del Quarticciolo*, Canon pro ista solvendus transcendere nequit scut.63. 71., quæ summa bene quidem correspondet capacitati rubrorum 65. vel 70. minimè autem capacitati rubrorum 300., unde ducto argumento à d. quantitate, & distributione Canonis, prout juris esse, firmant plena manu congesti in d. Decisione bon. memor. Ansaldi, §. *Sed evidentius*; jure merito concluditur, quod fundus in emphyteusim concessus, & denominatus *il Quarticciolo*, nullo modo possit usque ad Mare protendi, sed omnino debeat limitari à Via Consulari, cum in hoc sensu, & tot instrumenta, de quibus supra sermo habitus fuit, & planta confecta de ordine Papæ, & denique quantitas Canonis adamussim verificantur.

Et ita utraque parte audita, *& omnibus Dominis suffragium ferentibus resolutum fuit.*

ROMANA, SEU PORTUEN. TENUTARUM QUOAD VICARELLUM.

Veneris 17. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Diversi sunt Termini Territoriorum, confinia denotantes ab illis, qui prædia, & possessiones inter particulares loci dividunt, atque designant. Confinia prædicta quomodo, & ex quibus distinguantur, & probentur optimè primos à secundis separando, refert sequens Summarium.

SUMMARIUM.

1 *Mandatum contra tertium singularem successorem in suo congruo, & separato judicio referri debet de novo, posthabito veteri mandato, contra defunctum expedito.*

2 *Decisiones in eo judicio, in quo de earum viribus*

viribus non cognoscatur, veniunt præsupponendæ.

3 *Reus ad effectum repellendi actorem à vindicatione rei emphyteuticæ ex capite extinctionis lineæ satis est, quod turbida illius jura reddat.*

4 *Actor ad vindicationem rei emphyteuticæ ex capito lineæ finitæ suam actionem concludenter, & strictè tenetur probare.*

5 *Confinia certi Territorii ex rivis, & fluminibus in genere vaga designatione non individuantur, neque satis concluditur de eis sufficiens probatio, cum hæc posset esse æquivoca.*

6 *Non desumantur ex quolibet lapide in terra fixa, nisi communis circumcolentium opinio cum aliis signis necessariis superaccedat.*

7 *Neque ex testibus alienigenis, collitigantibus famulatui addictis, in formibus, ac lite pendente expiscatis.*

8 *Item, neque ex designatione molendini, nuncupati de dominio certi loci, quando revera istius non esset, & ad aliam disionem pertineret.*

9 *Item, neque ex saxo de novo reperto, quod probaretur fuisse consulto à collitigante appositum de novo.*

10 *Possessio probata usque ad locum A. possessionem super d. loco A. non concludit.*

11 *Confinia Territorii non probantur ex designatione subalterna terminorum inter possessiones Particularium Loci :* ampliâ ut in n. 15.

12 *Termini confinia denotantes probantur esse tales ex magna saxum quadrata structura, & figura, quibus Accolarum depositiones cohærent.*

13 *Confinia Territoriorum desumantur à terminis constrictis ex congerie perennium saxorum, mutuo respectu terminorum inter sese,* & similibus quæ hic habes demonstrationibus.

14 *Terminorum consultò facta amotio ex quibus recognoscatur.*

15 *Confinia Territorii distinguntur à confinibus possessionum particularium loci, & qualitate terminorum, accedente opinione circumcolentium, & quæ figura esse debeant?*

16 *Amplia, quando terminis Territoriorum, antiquorum instrumentorum cohæreant enunciativa,* & num. seq.

17 *Confinia Territoriorum, ut concludenter probata dicantur multum antiquis instrumentis, atque oculari inspectione in accessu judiciali deferendum est.*

DECISIO MCCCVIII.

Sicuti expositum fuit in contemporanea decisione quoad Palum, cum Dux Flavius Ursinus din defecisset in solutione Canonum, quos rependere debebat pro quibusdam Tenutis jure emphyteutico possessis, & præsertim pro Tenuta Vicarelli, & Quarticciolo Pali, Collegium Germanicum, & Ungaricum Urbis Dominus directus acceptata omnium devolutione, atque expedito consueto mandato de allociando, quod attinet ad Tenutam Vicarelli, illius executionem explevit Brachianum versus usque ad Rivum denominat *la Fiora*, & respectu Quarticcioli *di Palo* usque ad Maris littus: hinc geminæ eodem tempore instantiæ à memorato Duce Flavio contra Collegium promotæ fuerunt, altera videlicet super excessu executionis, & altera super admissione ad purgationem moræ. Sed quoad primam, cum Rota coram bon. mem. Emerix fuisset in sensu, quod bene quidem constaret de excessu respectu Vicarelli in parte Brachiani Territorio finitima, sed respectu Pali propter rei dubietatem locum esse censuisset cuidam æquitativo temperamento, de quo latius in contemporanea decisione, propterea Dux Flavius, qui circa idem tempus ex sententia pariter nostri Tribunalis admissus fuerat ad purgationem moræ, & hoc medio redierat ad pristinam possessionem bonorum omnium emphyteuticorum, super quibus à Collegio consumata fuerat executio mandati de allociando, opus amplius non habuit litem prosequi super excessu, atque ideo illam penitus dereliquit.

Rebus ita se habentibus, Brachiani feudum auctoritate Congregationis Baronum deliberatum fuit favore Principis Don Livii Odescalchi, & paulò post memoratus Dux Flavius ultimus masculus familiæ Ursinorum sine liberis mortem obiit: quamobrem Collegium ex novo capite devolutionis ob lineam finitam iterum nactus fuit possessionem tum reliquarum Tenutarum jam ab antiquo in emphyteusim perpetuam familiæ Ursinæ concessarum, tum & nominatim Tenutæ Vicarelli, non tamen usque ad Rivum *della Fiora*, prout fecerat anno 1677. sed usque ad lineam incipientem à lapide quadrangulati, & per quasdam annosas arbores signo Crucis signatas ducentem *al Cavone*, & de-

1 inde ad lacum Brachiani; & hoc, quia ea pars quæ superarat dictam lineam, & rivum *della Fiora* possidebatur à Principe Don Livio, quem proinde tanquam tertium, & singularem possessorem in suo congruo judicio evocari oportebat, prout de facto Collegium successivè evocavit, expedito contra illum monitorio, quod nostri vocant jactationis jactationum in vim notissimæ legis *diffamari.*

Nec Princeps Don Livius judicii sortem effugit; sed quia hujusmodi controversia jam fuerat in Rota discussa coram bon. mem. Emerix occasione antiquæ litis à Duce Flavio promotæ super excessu: hinc causa ex rescripto SSmi remissa fuit ad hoc Sacrum Tribunal, sed cum clausula *tanquam in pri-*

2 *ma*, & propterea ne Collegio obicem faceret d. decisio 1086. tunc edita coram bonæ memoriæ Emerix, quæ aliàs de stylo Rotæ in hoc novo judicio fuisset supponenda, disputatum

putatum fuit dubium cor. bo. mem. Ansaldo *An esset standum, vel recedendum à decisis*, & cum responsum fuisset pro persistentia *in decisis*, idem bon. mem. Ansaldus successivè protulit sententiam, in qua pronunciavit constare de confinibus Vicarelli juxta formam d. decisionis bon. memor. Emerix, & alterius coram ipso editæ 26. *Martii* 1708., & possessionem à Collegio captam ann. 1677. occasione devolutionis ob non solutos canones, tanquam nullam, & excessivam contra eumdem Principem Don Livium allegari non posse, ut latius constat ex tenore ejusdem sententiæ: adversus quam cum postea Signatura ulteriorem causæ cognitionem mihi delegaverit cum clausula *de causis restitutionis in integrum*, proposui hodie dubium commissioni conforme, & responsum fuit -- *Constare de re judicata*.

3 Quamvis autem ad effectum ostendendi justitiam præcedentis Sententię, & rei judicatę satis esse posset generalis illa animadversio, quod Rota in antiquo judicio super excessu coram bon. mem. Emerix, in quo Dux Flavius Actoris partes sustinebat, jam firmaverat, & recognoverat, quod Tenuta Vicarelli non usque ad rivum *della Fiora*, sed intra lineam paulò supra designatam restringebatur, dum ea documenta, quę tunc approbata fuerunt favore Ducis agentis ad illum cæteroquin subsperum effectum concludendi excessum jam expletæ executionis, multò magis in præsenti judicio tueri debebant D. Principem Odescalcum, cui tanquam Reo convento, & excipienti sufficiebat aliquo modo turbidas reddere probationes Collegii agentis ex capite lineæ finitæ pro vindicatione rei emphiteuticæ, ut latè probatum fuit in *præcedenti decisione causæ coram Ansaldo* §. *Adhuc cum pluribus seqq.*, & *in mea contemporanea decisione quoad Palum* §. *Firmo itaque*.

4 Nihilominus Domini singillatim examinando quæ hinc inde in causa proponebantur, pro comperto habuerunt documenta à Collegio adducta nedum non attingere gradum illum perfectę, & concludentis probationis, quam leges nostræ ab Actore in hoc judicio exigunt, sed immo ex opposito adeo confundi, atque excludi ab aliis contrariis probationibus pro parte Domini Ducis Odescalchi deductis, ut quatenus etiam Dux esset Actor, & Collegium Reus, adhuc pro Duce pronunciari deberet: præmisso enim in facto, quod in instrumento investiturę anni 1551., ex quo jus suum metitur Collegium, pro uno ex confinibus Vicarelli Tenutam circumscribentibus assignatum fuit Territorium Brachiani, jam tota causæ difficultas in eo reducebatur, quodnam videli-
5 cet esset utriusque Confine; sed quod esset rivus ille, sive foveus denominat. *la Fiora*, perperam Collegium desumebat ex universali consuetudine constituendi confines in rivis, & fluminibus, cum hæc probatio sit nimis æquivoca, & generalis, & non omne

6 Flumen, aut Rivus, neque omnis lapis in terra positus de per se sufficiat ad constituendum confine, nisi communis circumcolentium opinio, & alia signa superaccedant, quę in præsenti casu deficiebant, ut advertunt *Surd. cons.*459. *sub n.*10., *Card de Luc. de regal. disc.*136. *sub n.*1., *Sperell. dec.*178. cum aliis in *decis causę coram bon.mem Emerix sub n.*16., *& coram bon. mem. Ansaldo* §. *Domini.*

7 Ac sane deficiebat communis circumcolentium opinio, ea enim non bene deducebatur ex depositionibus quorumdam Testium pendente lite inductorum, dum præsertim alter ex eis servitio Collegii addictus, omnes verò tanquam alienigenæ, & informes digni non erant, quibus fides ulla adhiberetur, ut in specie advertit *bon. me. Zaul. ad Statut Faventin. tom.*1. *lib.*3. *rubr.*35. *num.*14., *Mans. consult.*681. *nu.* 57., & 65, *Sperell. d.dec.*178. *num.*8. & 9., *Rot.*
8 *in rec. dec.*520. *num.*40. *p.*14. Prout quoque deficiebant alia signa, dum Molendinum ad usum olei d. Rivo, seu Foveo adjacens non ab aliis denominatur *Mola di Vicarello*, quàm à dd. Testibus lite pendente adductis, & à quodam Perito, cujus judicium, & relationem tanquam pluribus refertam erroribus, jam Sacra Rota reprobavit in alia Causa Romana, seu Sutrina Confinium 10 Decembris 1714. § *Nec quidquam coram Me*, & cæteroquin talis denominatio pręclarè confundebatur ex ipso instrumento investituræ anni 1551., ex quo sicuti habetur, quod in Tenuta Vicarelli unicum dumtaxat aderat Molendinum, ita necessariò evincitur, quod illud adjacens *Rivo della Fiora* nequit esse Molendinum Vicarelli, dum non controvertitur, quod è Regione Brachiani, & in parte contermina Territorio Trivignani prope Rivum denominatum *Dinanzi* adest Molendinum citra ullum dubium ipsius Vicarelli proprium, ut bene in proposito adnotavit præcedens decisio bon. mem. Ansaldi § *Quo verò ad Molendina, & seq.*

9 Præterea ad probandum, quod Rivus *della Fiora* esset confine inter Brachianum, & Vicarellum, nec indicii erat saxum quoddam novissimè, ut supponebatur inventum supra d. Foveum, nec legitimum faciebant argumentum quædam antiquæ enunciativæ emissæ à Ministris, & Vassallis familiæ Ursinæ, vel occasione damnorum datorum, vel in venditione herbarum, vel denique in Sententia lata in Curia Baronali Brachiani super jure, & facultate piscandi in Lacu adjacenti. Quod enim spectat ad saxum, sive lapidem terminalem, cum in accessibus factis à DD. de Rota super faciem loci in præteritis causæ disputationibus unà cum Peritis, & Ministris utriusque Partis, qui totum Territorium diligentissimè, & minutatim perquisiverunt, lapis iste nusquam visus, aut compertus fuerit, jam nemo non videt quantum fidei præstandum sit recenti illius inventioni, & respectivè descriptioni à Notorio quodam

quodam de Partibus, Duce non citato, & omnino informiter expletæ, ut aliàs in similibus terminis dixit *Rot. in Sabinen.*, *seu Civitatis Castellanæ Inundationis super articulis 4. Iulii 1698. §. Nec immorari cor. clar. mem. Card. Caprara.*

10 Quod verò attinet ad enunciativas, nullum exinde trahi potest certum, & concludens argumentum, cum aliæ ex eis supponant partem Territorii controversi in Territorio Trivignani, quod nihil proficit ad intentum Collegii, aliæ verò conceptæ sint per dictiones illas *sopra, e vicino la Fiora*, quæ de sui natura stant exclusivè ad locum, *Surd. cons. 94. num. 78.*, *Rota coram Seraphin. dec. 167. n. 1.* & melius in *rec. dec. 509. num. 5. p. 1.* Ex qua etiam ratione nihil pariter urget Sententia Baronalis Curiæ, tum quia si quid ex ea argui posset, nihil aliud concluderet, nisi quod pars controversa esset de pertinentiis Trivignani, & non Vica-

11 relli. Tum & certiùs quia illa lata fuit ad unicum effectum statuendi inter Affictuarios Lacus Brachiani, intra quos quisque limites piscari posset, ne aliàs ad arma devenirent; unde ex ea nullum trahi potest argumentum pro stabiliendis confinibus Vicarelli, dum maximè hæc tenuta nullum super d. Lacu jus habet, ad ea, quæ tradit *Card. de Luc. de jurisdict. discurs. 1. n. 16.*, *Rot. dec. 324. n. 10. part. 1.*

Sed quantum à gradu plenæ, & concludentis probationis distabant hactenus expensa Collegii documenta, aliaque ejusdem generis, jam rejecta in decisionibus causæ coram Emerix, & Ansaldo, tanto majorem ex opposito efficaciam assumebant illa, quæ adducebantur pro parte D. Ducis ad effectum ostendendi, quod linea illa secta in planta designata colore albo esset vera Terminus, & Confinis inter utrumque Territo-

12 rium Brachiani, & Vicarelli. In primis enim magno erat argumento lapis ille Terminalis in principio d. lineæ versus Bassanum in accessu Rotali inventus, qui tum ex sui figura, & compositione, tum quoque ex depositionibus Accolarum dubitari non poterat, quin esset verus Terminus Brachiani

13 Territorium à cæteris dividens. Cum autem inde iter recta via prosequendo in eodem accessu recognitæ fuerint annosæ quædam, & longo ordine distensæ arbores Sacrosancto Signo Crucis adnotatæ, & deinde repertum fuerit vestigium alterius Termini vulgo appellati *il Picciotto*, excavati tamen & amoti, ac denique prope Lacum Sabathinum Brachiani, quo linea prædicta terminato, recognita fuerit congeries quædam perennium Saxorum, quam Accolæ vocant *il Covone*, seu *Vallone*, hæc utique correspondentia, & mutua respectus primi Termini cum arboribus arborum cum Termino amoto, & tandem hujus Termini cum dicta congerie saxorum naturaliter apta ad Territoria dividenda, non dubiam constituebat probationem, quin per medium d. lineæ controversa Territoria definirentur, quemadmodum hæc omnia singillatim examinando, latius probatum fuit in decisionibus causæ coram *bon. mem. Emerix. n. 12. cum pluribus seqq.*, & *in alia bo. mem. Ansaldi §. Cæterum Domini pariter cum seqq.*

14 Minimè relevante, quod Prætor localis Trivignani, coram quo de anno 1688. compilatus fuit Processus Criminalis super amotione d. Termini intermedii *del Picciotto* fuerit successivè de mandato Sac. Consultæ anno 1692. criminaliter inquisitus, quodque nonnulli ex Testibus tunc inductis expost asseruerint, quod coactè deposuerant, quod idem Terminus amotus fuerat à Ministris Collegii: hæc enim omnia apta quidem esse possunt removere à memoratis Ministris capitale crimen amotionis Terminorum, sed excludere nequeunt, quin reverà Terminus ab aliquo amotus fuerit, quodque ideo in præsenti Judicio civili periudè habeatur, acsi Terminus ipse lapideus minimè deficeret, cum in hisce circumstantiis eadem probatio resurgat ex vestigio effossionis, ac lateribus inibi relictis, ex adductis in præcedenti decisione bon. mem. Ansaldi §. *Relictum*, & §. *Absque eo quod cum duobus seqq.*

15 Prout quoque nec urgere visa fuit animadversio illa, quod Termini componentes d. lineam, possint etiam referri ad simplicem divisionem prædiorum particularium, atque ideo minime concludant separationem Territorii Brachiani ab illo Vicarelli; ut enim bene responsum fuit in d. decis. bon. mem. Ansaldi §. *Agnoscentes*, nec qualitas Terminorum, & maxime primi compositi in figura Quadri latere, & *à punta di diamante*, neque communis circumcolentium opinio super faciem loci in accessis examinatorum hanc patitur interpretationem, ut in simili respondit *Bald. cons. 468. num. 1. lib. 3. Surd. cons. 479. num. 21.*, *bon. mem. Zaul. dict. rubr. 37. n. 18. Sperell. d. dec. 178. n. 22. cum seqq.*

16 Certius autem, quia hanc Terminorum veritatem, non unum, aut duo, sed plura comprobant antiquissima Instrumenta, quorum aliqua probant, quod tres Vineæ in parte controversa ultra lineam, Brachianum versus existente, erant in Dominio Ursinorum, longè antequam isti Investituram illam Vicarelli obtinuissent, & semper enunciatæ fuerunt tanquam sitæ in Territorio Brachiani, alia vero verificari nullo pacto possent circa confinia in eis assignata, nisi pars controversa ad Brachiani Territorium pertineret, ut accurate ponderatum fuit in *decis. bon. mem. Emerix num. 14. & seqq.* & in alia *bon. mem. Ansaldi §. Septem cum*

17 *seq.*, ut proinde Domini non immerito concluderent, quod cum in casu pro D. Duce concurrerent duo illa probationum genera, quæ in hac materia finium regundorum fortiora, & validiora de jure reputantur, nempè ocularis inspectio habita in accessu Judiciali,

ciali, & probatio eruta à publicis, & antiquis Instrumentis, nihil ultra desiderandum erat pro confirmatione rei judicatæ, ut de Instrumentis est *Text. in l. in finalibus 11. ff. de fin. reg.* juncta *l. census ff. de probat. Rot. decis. 195. num. 16. par. 8.*, & de accessu Judiciali *l. si irruptionem §. Ad offic. ff. de fin. reg. Rot. dec. 334. par. 2. rec.*, *&* *in Romana Fontanilis 1. Julii 1701. coram bon: mem. Molinet*, *&* *in dicta Romana, seu Sutrina Confinium 10. Decembris 1714. coram Me.*

Et ita utraque Parte informante, *&* *omnibus Dominis suffragium ferentibus* resolutum fuit.

BONONIEN. ASSOCIATIONIS SEU PRÆDII.

Lunæ 20. Aprilis. 1722.

ARGUMENTUM.

Pactum *Precarii* etiam ad terminos Statuti Bononiensis Census Creditori facultatem tribuit, nedum bona capiendi ad effectum ut in Salviano satisfactionem consequatur, sed etiam ad effectum subastandi, utroque remedio, virtute Hypothecariæ, etiam ad tertios, seu singulares successores per transeuntis. Census ut ex negativa fructuum solutione extinctus præsumatur, centenaria requiritur, licet etiam per urgentes conjecturas possit extinctio probari, quæ tamen à compensationis motivo, quam debitor opponere potuisset, non inducitur, & refertur ratio. Hypotheca Creditoris censua, fundo distracto, transit ad alium ex illius pecunia comparatum, & subrogatum, atque dotalis semel consumpta Hypotheca, amplius non reviviscit.

SUMMARIUM.

1 *Associatio conceditur docenti de extremis necessariis, scilicet possessione antiqua prædii penes originarium debitorem, moderna penes reum conventum, ac credito, cum hypotheca.*

2 *Binæ Sententiæ in Locis etiam Bononiæ Statuto subiectis vim trium habent.*

3 *Et hæc Statutaria sanctio ex Constitutione fun. mem. Gregorii XV. etiam ad Ecclesiasticas se extendit.*

4 *Associatio tam ad effectum se satisfaciendi de fructibus census, quam ad effectum subhastandi, virtute* Præcarii *substinetur;* amplia in n. seqq.

5 *Judicium Salviani non implicat, si intentetur cum actione hypothecaria, petendo associationem ad effectum se satisfaciendi, sive ex fructuum perceptione actione Salviani, sive mediante bonorum distractione, & subhastatione, quod est proprium hypothecariæ.*

6 *Amplia etiam si reus conventus sit persona tertia*, & quare? vide n. 7.

7 *Præcarium juxta Statutum Bononiæ expressam tribuit facultatem capiendi bona, nedum ad effectum retinendi, & ex fructibus rei hypothecatæ sibi satisfaciendi, sed etiam ad effectum subhastandi, vel in solutum recipiendi.*

8 *Amplia etiam adversus tertium, cui pendente conditione præcarii data sit possessio; adeo ut eadem actio, & remedia, quæ competunt contra principalem debitorem, competant adversus singulares successores aliosque tertios possessores*, & vide rationem in n. seqq.

10 *Extinctio census quandoque concludi etiam potest præsumptionibus, & conjecturis, quæ tamen debent esse omnino concludentes, & gradum planæ, & univocæ probationis constituere.*

11 *Extinctio census non inducitur ex negativa fructuum solutione per lapsum temporis; præsertim si originarius debitor compensationem opposuerit.*

12 *Amplia, ut requiratur lapsus centenariæ, ut per negativam fructuum solutionem census extinctio inferatur.*

13 *Extinctio census facta in parte non parit extinctionem in totum ex lapsu temporis negativa solutionis fructuum, cum, volente creditore, possit in parte extingui.*

14 *Solutio proprio debitori facta non concludit solventem fuisse ab illo satisfactum de altero credito adversus eundem.*

15 *Census sine debitoris consensu non est repetibilis, ideoque de sui natura non est compensabilis.*

16 *Ignorantia Crediti est compatibilis cum omissa petitione compensationis.*

17 *Census ex sola dubietate solutionis dici nequit extinctus.*

18 *Hypotheca, qua gravatur fundus censitus transit ad alium fundum emptum ex illius pretio, cum facta dicatur subrogatio.*

19 *Amplia, quando debitor omnia sua bona tam præsentia, quam futura cum pacto* Præcarii, *& obligatione Camerali favore Creditoris abstrinxerit.*

20 *Dotis quantitativæ in computum si assignetur prædium, remanet illud obnoxium omnibus hypothecis, cum quibus reperitur.*

21 *Dos quomodo, & in quibus rebus fuerit soluta, probatur ex capitulis Matrimonialibus.*

22 *Fundus dotalis improprius assignatus à dotante resolvitur in simplicem hypothecam favore uxoris, & supponit præexistens dominium viri super eo, ad differentiam fundi proprii, qui in proprietate semper remanet penes uxorem.*

23 *Mulier, quæ sua jura dotalia pro evictione venditionis à viro factæ semel hypothecavit, non potest eadem jura in alterum transferre in præjudicium primi*, & n. 24.

24 *Creditor Mulieris adversus bona viri dotis*

tis debitoris in locum ipsius mulieris extare dicitur:

25 *Anterioritatem, quam quis alteri cessit, non potest deinde alteri personę cedere.*

DECISIO MCCCIX.

PRO consequenda satisfactione fructuum Census, quem de anno 1622. in sorte librarum 5600. Laurentius Pacchionus imposuerat favore Conventus, & PP. Sancti Dominici Bononię, egerunt in Partibus dd. PP. Creditores contra Marchiones de Ratta Possessores Prędii positi in Communi *Vetranæ*, & *Villæ Fontanæ*, provenientis à Laurentio Debitore; & binas in Partibus obtinuerunt Sententias associationis ad effectum, vel idem Prędium subhastandi, & ex pretio retrahendo sibi ipsis satisfaciendi de annuis fructibus decursis, & non solutis pro rata Capitalis librarum 4000., vel idem Prædium retinendi Jure Salviani, donec fuissent de eisdem fructibus satisfacti: cum autem adversus hæc Judicata fuerit mihi à Signatura Justitię in gradu appellationis delegata Causa, hinc consuetum hodie proposui dubium -- *An constet de duabus*, -- & affirmatiuum habui responsum.

Quandoquidem dubitari non poterat de Credito Census per Pacchionum impositi favore dicti Conventus, & PP. Sancti Dominici, utpotè resultante ex publico impositionis Instrumento munito clausula præcarii, & obligatione bonorum præsentium,
1 & futurorum, prout neque controverti poterant cætera extrema pro intentata actione necessaria, nempe possessio Prædii, de quo agitur, penes dictum Pacchionum originarium debitorem, & moderna penes fratres de Ratta; & propterea his concurrentibus, sicuti numquam denegatur associatio, juxtà *Text. in l. leg. Creditores* 3. *ff. de pignor.*, *Rota in recent. dec.* 80. *num.* 4. *& seq. part.* 16., *& in Bononien. Bonorum super associatione* 28. *Junii* 1715. §. *Concurrere co-*
2 *ram Reverendiss. Crispo*, ita in casu binæ Sententiæ dictam associationem decernentes favore dicti Conventus Creditoris remanent validæ, ac justæ, & dubium non est, quin tàm attenta dispositione Statuti Bono-
3 niæ *in rubr. de appell.* §. *Præterea*, quàm peculiari Constitutione fan. mem. Gregorii XV., quæ eamdem Statutariam Sanctionem extendit ad Causas, & Personas Ecclesiasticas, vim trium obtineant, ut in his terminis dixit *Rota coram Benincas. dec.* 334. *num. primo coram bon. mem. Ansald. dec.* 2. *num.* 1. *& seqq.*, *& in recen. dec* 15. *n.* 1. *& seq. part.* 18.
4 Frustaque Judicatorum validitas impugnabatur per Marchiones de Ratta, ex quo contra ipsos concessa fuerit associatio non solum ad effectum sese satisfaciendi de fructibus decursis, & decurrendis controversi Census, sed etiam ad effectum subhastandi, & deliberandi; cum enim PP. Actores prosequantur bona ipsis hypothecata; & pacto præcarii subjecta, benè potuerunt utrumque remedium, licet inter se diversum pro sui Crediti consecutione cumulare, ex traditis per *Menoch. de adipisc. remed.* 3. *num.* 160., *Gratian. decis. Marth.* 208. *num.* 9.,
5 *& seq.* & Judices præcedentis Instantiæ validè pariter potuerunt super utroque ex intentatis remediis pronunciare, concedendo associationem ad effectum sese satisfaciendi, sive ex fructuum perceptione actione Salviani, sivè mediante Bonorum distractione, ac subhastatione, quod est proprium hypothecariæ, ut in puncto respondit *Rota coram Bich. dec* 250. *à num.* 45. *cum seqq.*, & apud *Posth. de Subhast. decis.* 63. *num.* 1., *& per tot.*
6 Etiamsi dd. fratres de Ratta gerant figu-
7 ram tertii Possessoris; pactum enim *Præcarii*, quod juxtà extensionem Statutorum Bononiæ relat. per *Monterent. in Gloss. de præcar. verb. alterius*, expressam tribuit facultatem capiendi bona nedum ad effectum retinendi, & ex fructibus rei hypothecæ sibi satisfaciendi, sed etiam ad effectum subhastandi, vel in solutum recipien-
8 di, operatur etiam in præjudicium Tertii, cui pendente præcarii conditione tradita sit possessio, adeout eadem actio, ac remedia, quæ competunt adversus principalem Debitorem, competant etiam adversus singulares successores, aliosque tertios possessores, ut in terminis ejusdem Statuti advertunt *Paris. cons.* 11. *nu.* 91., *&* 99. *volum. primo*, *Barz. decis.* 14. *num.* 12. *& seq.*, *& decis.* 70. *num.* 2., *Bononien. diversor. decis.* 40. *num.* 2., *Rota apud Posth. de Subhastation. dicta dec.* 63. *num.* 5. *coram Buratt. dec.* 179. *num.* 10. *coram Manzaned. decis.* 325. *num.* 3. *&* 4., *& in Bononien. Associationis* 9. *Maii* 1710. §. *Actum co-*
9 *ram bon. mem. Caffarello*; alias enim esset in potestate Debitoris sese præcario constituentis, ejusque hæredis, cedendo Jura, & mutando personas, non obstante suscepta obligatione effectum ejusdem præcarii impedire, & Creditoris negotium eludere, vel deterius reddere, quod non est admittendum, ut in proposito observat *Paris. dicto cons.* 11. *num.* 10. *& seq. volum. primo*, *Malvas. cons.* 99. *num.* 12. *& seq.*, *Barz. dec.* 14. *sub n.* 14. *&* 15., *Rota coram Cerr. dec.* 760. *n.* 3.

Similique modo inutiliter impugnata fuit Justitia dictarum Sententiarum ex defectu Crediti, ob præsumptam Census extinctio-
10 nem ex conjecturis emendicatam; quamvis enim extinctio Census quandoque concludi etiam possit præsumptionibus, & conjecturis, ex firmatis per *Rot. in Callien. Salviani* 28. *Martii* 1707. § *Deficientibus coram bon. mem. Card. Priolo*. Cum tamen Census sit de sui natura perpetuus, & regulariter ejus extinctio tamquam quid facti nonnisi per actum retrosimilem soleat expleri, absque dubio conjecturę pro hujus-

modi extinctione arguenda debent esse omnino concludentes, & univocę, adeout gradum perfectæ probationis attingant, nec aliter suffragantur ad effectum præsumendæ extinctionis, ut notant *Cenc. de Cons. quæst.* 109 *num.* 50, *Palm. Nep. alleg.* 69. *n.* 22., *de Luca de Cens. disc.* 20. *num.* 8., *Rota in Romana Census, & fructuum* 12. *Martii* 1714. §. *Minus etiam coram Reverendissimo Crispo*, cum aliis *in Romana Salviani* 29. *Novembris* 1715. §. *Quin ob esse coram Eminentissimo Scotto, &* 26. *Januarii* 1722. §. *Inaniter, cor. R. P. D. Herrera*.

Talis autem efficaciæ nullo modo visæ sunt conjecturæ per dd. Fratres de Ratta
11 deductę; quo enim ad lapsum temporis deductum ex ipsa longæva census impositione, & ex eo quod fructus diù non fuerint petiti, parum prodesse poterat ad intentum præsumendę extinctionis, siquidem in facto recognitum fuit PP. Creditores tam anno 1640., quam anno 1659. in Curia Archiepiscopali obtinuisse mandatum pro solutione fructuum controversi census, non obstante solutionis, & compensationis exceptione per Laurentium Pacchionum originarium Debitorem proposita; & propterea ex hoc facto, & Debitoris oppositione non solum detegitur agnitio debiti in statu viridi, & fructifero, juxtà firmata per *Rot. coram Ubag. dec.* 47. *num.* 4. *coram Bich. dec.* 166. *num.* 2. *coram Merlin. dec.* 254. *num.* 2. *in rec. dec.* 79. *num.* 17., *& seq.*, *& dec.* 427.
12 *num.* 3. *part* 13., sed etiam excluditur ea longæva acquiescentia, quæ reputanda sit habilis ad effectum arguendæ extinctionis census, quę ex defluxu temporis non centenario minimè inducitur *Rota coram Pen. dec.* 914. *num. primo coram Cels. dec.* 184. *num.* 14. *in dicta Romana census, & fructuum* 2. *Martii* 1714. §. *Ità univoce coram Reverendissimo Crispo, & in dicta Romana Salviani* 26. *Januarii* 1722. §. *Relevantię coram R. P. D. Herrera*.

Altera vero præsumptæ extinctionis conjectura deducta ex eo, quod per PP. Creditores fructus hodie petiti, & obtenti fuerint pro sola rata capitalis *libr.* 4000., non autem pro integra sorte *libr.* 5600., facilè
13 pariter submovetur; sicuti namque non repugnat, censum volente Creditore pro parte extingui, firmo remanente capitali in antiquę sortis residuo, ex traditis per *Cenc de cens. quæst.* 100. *sub num.* 3 *Guttierez, pract. quæst. lib.* 2. *quęst.* 174. *num primo, Rota post. Duard. de cens. decis.* 217. *n.* 2., *& dec.* 466. *num. primo coram Merlin. decis.* 822. *num.* 5., *& dec.* 840. *num.* 2., ita partialis extinctio census, de quo agitur in libr. 1600. vel à Partibus, vel à Judicibus recognita in præcedentibus instantiis, de se legitimum non præbet argumentum pro arguenda integrali sortis extinctione, ac satisfactione, ut benè ponderatum fuit in *Romana census* 16. *Januarii* 1699. §. *final. coram bon. mem. Card. Priolo, & in Perusina Immissionis* 18. *Junii* 1717. §. *Absque eo quod coram Me*.

14 Eademque facilitate destruitur altera circumstantia desumpta ex eo, quod in antiquo Judicio contra dd. PP. promoto per illos de Piazza Cessionarios Laurentii Pacchioni, dd. PP. compensationem non opposuerint cum dicto credito censuali; ultra quod enim omissa compensationis oppositio etiam generaliter sumpta reputari debet conjectura maximè debilis, ex quo solutio proprio Debitori facta regulariter non concludit, solventem fuisse satisfactum de suo credito *Rota apud Merlin. de pignor. decis.* 88. *num.* 21 *coram Dunozett. Jun. decis* 795. *sub num.* 18., *&* 19. *in recen. decis.* 272. *num.* 16. *part.* 11., *& dec.* 369. *n.* 9.
15 *par.* 16., certè in casu, de quo agitur, longè magis irrelevans reddebatur, tùm ex quo census, qui sine Debitoris consensu repeti non valet, de sui indole, ac natura dici nequit compensabilis *Bersan. de compens. cap.* 2. *quæst.* 17. *num.* 5., *& seq. Cenc. de cens. quæst.* 88. *sub num.* 6. *vers. Contrarium tamen. & quæst.* 108. *num.* 5. *Urceol. consult.* 61. *à num.* 15. *cum plur. seqq. Rota co-*
16 *ram Bich. dec.* 415. *num.* 10., *& seq.* tum etiam quia Superiores Conventus tunc temporis Administratores forsan ignorare potuerunt ipsius crediti existentiam, quę ignorantia cum sit compatibilis cum omissa compensationis petitione, præsensam extinctionem excludit, ut in proposito observat *Rota in Tudertina census* 19. *Januarii* 1699. §. *Nullum denique coram bon. mem. dell'*
17 *Olmo*; imo sufficit, quod res quoque modo dubia remaneat, ut contra pręsumptam census extinctionem sit respondendum, *Rot. in Asculanen. census* 10 *Maii* 1709. §. *Conjecturæ, & §. final. coram Reverendiss. Crispo, in Spoletana census* 20. *Januarii* 1712. §. *Minime coram Reverendissimo Aldrovando, & in Romana Salviani* 26. *Junii* 1722. §. *Et de facto coram R. P. D. Herrera*.

18 Posita ex his crediti relitate eo minus attendi meruit altera exceptio defectus hypothecæ; constitit enim in facto, controversum Prędium *Vetranæ, & Villæ Fontanæ*, ad quod petita fuit associatio, emptum, & acquisitum fuisse ex pecuniis retractis ex venditione Prędii *Bagnarolæ* alterius ex fundis censitis, de quo agitur assignatis per Pacchionum Impositorem; & propterea idem Prædium Vetranæ absque dubio remansit obnoxium hypothecæ ejusdem census, sive quia dici debet facta subrogatio Prędii noviter acquisiti ex pecuniis primævi fundi *Rota corem Bich. dec.* 310.
19 *sub num.* 15., sive quia in Instrumento census dictus Pacchionus Debitor omnia bona præsentia, & futura cum pacto precarii, & obligatione Camerali favore Creditoris obstrinxit, ut probant *Merlin. de pignor. lib.* 2. *quæst. prima num.* 17., *& seqq. Urceol. consult.* 34. *num* 9. *Thesaur. dec.* 215. *sub nu.* 7.

nu. 7., & magis in specie *Posth. dec. Bonon.* 32. *num.* 29., *&* 30., *Scapucc. de Salvian. lib.* 2 *quæst.* 15. *n.* 4., *Rota in rec. dec.* 72. *n.* 1. *part.*9.

20 Nec relevare visum fuit, quod Prædium *Bagnarolæ*, ex cujus pecuniis acquisitum supponitur Prædium *Vetranæ*, anno 1617. fuerit assignatum pro Fundo dotali quondam Virginiæ Fabæ Uxoris dicti Laurentii Pacchioni, qui debitum Census contraxit, & proindè dici nequeat obnoxium hypothecæ ejusdem Census; etenim ex Lectura Capitulorum Matrimonialium, ac Instrumenti dotalis dictæ Virginiæ, constitit Dotem eidem fuisse constitutam in pecunia ibi -- *Con Dote di scudi* 4000. Prædium autem *Bagnarolæ* fuisse traditum (sunt verba ejusdem Instrumenti) *in solutum pro soluto, & satisfactione libr.* 12800. *ad bonum Computum dictæ Dotis* -- Unde in his terminis, junctis præcipuè clausulis translativis ibidem appositis, dubitari nequit, quod dictum Prædium tamquam assignatum in computum Dotis quantitativæ, obnoxium remanserit hypothecis per dictum Lauren-

21 tium Virum contractis, & in illius Dominium plenè pertransiverit, *Rota coram Manzaned. decis.*485. *in fine coram Bich. dec.*53. *num.* 22. *in Recen. decis.*98. *num* 7. *par.* 18. *Cum aliis in Romana Concursus* 6. *Maii* 1720. §. *Ut enim*, *& seq.*, *&* 29. *Novembris* 1721. §. *Frustaque cor. Me*.

Non obstante, quod in casu restitutionis Dotis, & idem Prædium restituendum fore conventum fuerit in Instrumento Dotali; tum quia pactum hujusmodi non legitur in Capitulis Matrimonialibus, quæ potius attenduntur, ut in his terminis dixit *Rota apud Card. de Luca de Dot. decis.* 13.

22 *num.* 10. *cum. duobus seqq.* 1 tum quia posita constitutione Dotis in quantitate, dicta restitutio importare valet Constitutionem Fundi dotalis improprii; & sic pactum hujusmodi intelligendum est compatibiliter cum ipsa Dote quantitativa, quatenus scilicet de tempore restitutionis idem Prædium reperiretur in hæreditate Viri, non autem in casu jam sequutæ alienationis, ut in puncto probat *Rota apud Card. de Luca de Dot. dec.* 53. *num.* 10, *& seq. apud Balduc. Rer. Judic. tom.* 4. *de Dot. dec.*18. *n.*21., *& in d. Romana Concursus* 6. *Maii* 1720. §. *Ex his autem cor. Me*.

23 Hisque subsistentibus nullius ponderis reputatum fuit postremum diffugium retentionis, quam ipsis competere contendebant dicti Fratres de Ratta ex Juribus anterioribus præfatæ Virginiæ Fabæ; licet enim ista anno 1656. in venditione Prædii *Vetranæ*, *& Villæ Fontanæ* principaliter accesserit favore Annibalis de Sartis Auctoris eorumdem de Rattis, cedendo Jura dotalia, nihilominus eadem Mulier præcedenter, anno scilicet 1640 æque principaliter accesserat occasione venditionis dicti alterius Prædii Bagnarolæ per eumdem Laurentium Virum facta favore Aurelii Malvetii, sese in solidum obligando pro evictione ejusdem Prædii Et propterea patens redditur, quod dicti Fratres de Ratta pro effectu retentionis juvari non possint Juribus dictæ Virginiæ, quia posita ejus præcedenti obligatione favore Malvetii primi Emptoris, illa non potuerunt amplius efficaciter transferri, vel obligari in commodum dicti posterioris contrahentis *Campeg. de Dot. quæst.* 82. *num.* 1. *Saminiat. Cotrov.* 21. *num.* 15., *&* 16. *Rota in Recen. decis.* 397. *num.* 13. *part.* 18. *decis.* 252. *num.* 5., *&* 8. *part.* 19., *& in Pisauren. Associationis* 5. *Martii* 1700. §. *Vero*, *&* 2. *Maii* §. *Demum coram bon. mem. dell' Olmo*, *&* 26. *Junii* 1702. §. *Optimè namque*, *&* 15. *Junii* 1703. §. *Etenim cor. bon mem. Molines*.

24 Et quidem optima ratione, quia statim ac dicta Virginia principaliter accessit in contractu venditionis per ejus Virum expleto de anno 1640., promissa etiam Prædii venditi evictione, quidquid sit quoad Crediti substantiam, saltem quoad Anterioritatem, ejus Jura transiverunt in dictum Malvetium primum Emptorem, adeout ille ingressus fuerit Sedem dictæ Mulieris, facta locorum subrogatione, ut benè explicant *Cancer. var. resol. part.* 3. *cap.* 15. *numer.* 120., *& seq. Massin. de Confisc. bonor. quæst.* 31. *num.* 123. *cum duobus seqq. Salgad. Labyr. Credit. part.* 3. *cap.* 13. §. *Unic. à num.* 44. *cum plur. seqq. Saminiat. Controv.* 21. *num.* 17. *de Franch. decis.* 478. *numer.* 3 *Rota in Recent. decis.* 352. *num.* 1.,

25 *& seq. part.* 19 1 & proinde quatenus eadem Virginia anno 1656. iterum Jura sua secundo, ac posteriori contrahenti cesserit, ista posterior cessio, tamquam facta super Juribus jam alienatis, & consumptis, non nisi inefficax, atque inutilis censeri potest, ut probant *Massin. de Confisc. d. quæst.* 31. *sub num.* 126. *Minar. decis.* 29. *per tot. ibique Monac. num.* 11., *Rota in Recent. dec.* 352. *num.* 2., *& part.* 19. *in Romana Salviani* 26. *Martii* 1703 §. *E contra bon. mem. Molines*, *& in Firmana Immissionis* 22. *Junii* 1708. §. *Non enim coram bon. mem. Omanna*, *&* 3. *Iunii* 1711. §. *Subsistere cor. Rmo Aldrovando*.

Et ita utraque &c.

ROMANA HÆREDITATIS.

Lunæ 20. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Fideiussio strictius, quam fieri potest, interpretanda est, neque ad ea, quæ forsan facere debuisset fideiussor, extenditur, sed ad quod tantum iste promisit; atque apposito œconomo, sive sequestro super administratione rei, resolvitur.

Taxa legalis in fructibus incertis, non verò certis locum habet, sicuti sunt fructus lo-

eorum Montium, qui Principis taxam sequuntur.

SUMMARIUM.

1 *Fideiussor ad certum determinatum tempus suam fidem præstans, eo transacto, tamquam ex defectu consensus liberatur.*

2 *Petitio novæ fideiussionis expirationem primæ præsupponit.*

3 *Fideiussio pro conservandis bonis non requiritur quando deputatur æconomus, & tali deputatione superventa, cessat, si fuisset præstita*, & nu. 9.

4 *Fideiussio de sui natura non protenditur, ad ea, ad quæ obligatio non se extendit.*

5 *Fideiussio censetur restricta ad ea, pro quibus fides præstita est, neque se extendit ad ea, quæ fideiussor facere debuisset*; & quare vide in num. sequenti, & amplia, ut in num. 7.

6 *Fideiussio dicitur contractus, & extentionem non patitur, imò intelligitur, quo arctius fieri potest.*

8 *Particula* tantum *coercet, & restringit, includit tamen expressum, & reliquum excludit.*

9 *Cautio licet decreta, præstanda amplius non est, quando Judex mandavit apponi sequestrum*; & quare?

10 *Cautio est medicina sequestri.*

11 *Administrator bonus dicitur, qui factis calculis, potius creditor, quam debitor reperitur.*

12 *Taxa legalis non intrat in redditione rationis de fructibus locorum Montium, quorum fructus est certus*, & nu. seq.

13 *Taxa legalis habet locum in taxatione fructuum incertæ quantitatis, & non in locis Montium.*

14 *Regula, qua cavetur, quod sors ex sorte, & fructus ex fructibus detrahantur procedit favore heredis, ut quandoque pro legatis, & ære alieno dimittendo hereditaria corpora distrahere valeat.*

15 *Et quando nequeat in eam causam fructus erogare.*

16 *Æs alienum, & legatum ex fructibus hæreditariis solvenda sunt, cum de administratoribus agitur.*

17 *Expensæ litis sunt de bonis hæreditariis reficiendæ, si lis peracta sit pro substinenda validitate testamenti, cum testatoris favorem lis dicatur respexisse.*

DECISIO MCCCX.

VErtente controversia inter DD. de Mutis, & bo. me. R.P.D. Franciscum Mariam Carafam super manutentione in possessione bonorum provenientium à Laura Cussida de Maximis censuit Sac. Tribunal cor. clar. mem. Card. Priolo, eam dudum esse utrique parti, *juxtà modum*, nempè DD. de Mutis, quoad bona ab ipsa Laura, dum adhùc viveret, illis assignata titulo transactionis, & R.P.D. Carafæ in reliquis omnibus sub dicta transactione non cadentibus, verùm quia lis erat cum extero, & DD. de Mutis novam controversiam moverant super nullitate testamenti, quo R.P.D. Carafa hæres universalis à Laura institutus fuerat, & quatenùs illud validum declararetur, prout de facto declaratum fuit, instare proposuerant pro separatione legitimæ ipsis debitæ in bonis Aviæ. Hinc propterea eodem decreto, quo concessa fuit utrique Parti manutentio, fuit quoque dicto R. P. D. Carafæ iniunctum, ut idoneam præstaret cautionem pro conservatione Capitalium hæreditariorum, & quoad fructus per annum tantum decurrendos.

In obsequium itaque, & exequutionem rotalis hujusce decreti die 21. Decembris 1692. datus fuit à dicto R. P. D. Carafa in fideiussorem pro conservatione, & restitutione fructuum, quatenùs opus foret, Joseph Teutonicus per annum tantum, & postea arbitrio Sac. Rotæ, & subindè eadem cautio, & fideiussio renovata fuit anno 1693. ad alium annum. Sed cum isto quoque elapso, idem Carafa renuisset renovare fideiussionem, ad instantiam eorumdem de Mutis fuit per aliud decretum dictæ clar. mem. Cardinali Prioli appositus Æconomus, prout simili fermè cauthela consultum usque ab initio fuerat conservationi Capitalium, dum loco cautionis ipsa bona posita fuerant sub sequestro, exposita solùm à Carafa obligatione de illis non alienandis.

Mansit res in hoc statu usque ad præsens, quo orta inter Partes controversia super duratione, vel expiratione dictæ fideiussionis à Theutonico præstitæ, curavit D. Pompejus dicti R. P. D. Carafæ interim defuncti successor per me subscribi dubium -- *An cautio præstita per bo. me. Franciscum Mariam Carafam expiraverit, seù potiùs sit abolenda*. Eoque hodiè proposito, DD.
1 animadvertentes dictam fideiussionem fuisse expressè restrictam ad duos dumtaxat annos, nempè 1693., & 1694. facili negocio *affirmativè* responderunt cum nihil magis in jure certum sit, quam quod obligatio quæcumque, & præsertim ea, quæ in alterius gratiam suscipitur, si ad certum solummodò, determinatumque tempus suscepta fuerit, eo transacto, tanquam consensu deficiente statim expiret *l. grecè §. illud ff. de fideiuss., l. ultrà C. eod. tit., Rot. coram Merlin. decis. 183. num. 2., & in rec. dec. 72. num. 4. par. 9. & dec. 430. n. 1. par. 14.*

Certiùs autem in casu, quia, ut paulò suprà in expositione facti dictum fuit, cadente secundo anno 1694. ipsi DD. de Mutis, institerunt pro renovatione Fideiussionis, & quia Carafa eam renovare recusavit, appositus fuit à Sac. Rota Æconomus, qui fructus ab indè citrà percepit, & administravit; undè duo tanquam ex necessario antecedenti consequuntur, alterum videlicèt,

2 quod dum ipsi insteterunt pro renovatione Fideiussionis, nequeunt hodie ampliùs expirationem ejus, quę præcedenter data fuerat, impugnare, cum petitio renovationis involvat necessariam confessionem, quod antiqua expitaverat, itaùt locum habeat cēnsura vulgat *Text. in l. eum a Matre C. de prob., de quo sæpè Rot., & præsertim in Forliviern. Fideicommissi Francisci de Corbicis 27. Februarii proximè præteriti coram*
3 *Me*. Alterum vero, quod sicuti per Æconomi appositionem interdicta fuit R. P. D. Carafæ administratio, & perceptio fructuum, ità quoque exindè citrà cessare debuit obligatio per eum assumpta de conservandis, & restituendis eisdem fructibus, & consequenter cessare quoque debuit fideiussio, quæ ex propria indole ultra protendi
4 nequit, quam ipsa principalis obligatio protendatur §. *Fideiussores instit. de fideiuss., leg. si ultrà 22., ubi scribentes ff. eod tit.*
5 Nec subsistere visus fuit, quod sicuti R. P. D. Carafæ manutentio concessa fuit, sub lege, quod ipse satisdare deberet, non solum pro fructibus à dicta hęreditate per eum percipiendis, sed etiam pro conservatione omnium, & singulorum effectuum ad eamdem hæreditatem pertinentium; ità pariter subsequens expromissio Teutonici exposita censeri debeat, nedùm pro fructibus, sed etiam pro conservatione Capitalium, atque ideò tam principalis, quam accessoria obligatio tamdiù vigere debeat, quoad usque doceatur, nihil fuisse de bonis, & effectibus hæreditariis alienatum, aut pignori, aut hypothecæ mancipatum.

Ut enim DD. animadvertebant, pro dimetienda extentione Fideiussionis, non est attendendum, quid fieri debuerit, aut in quo principalis reus se obligaverit, sed unicè inspiciendum est, quibuscumque conditionibus, & intra quos limites Fideiussor de
6 facto pro alio spoponderit, cum fideiussio sit contractus, qui de sui natura nullam patitur extentionem, immò, quo strictiùs fieri potest intelligi debet *l. si pignor., & l. fideiussores ff. de fideiuss., Rot. cor. Peuting. dec. 567. nu. 2.* Neque repugnat, quod Fideiussor ità obligetur, ut minùs debeat, quam principalis dicto §. *fideiussores vers.*
7 *& ex diverso Inst. de fideiuss.* Quamvis itaque R. P. D. Carafa virtute dicti rotalis decreti, etiam pro Capitalium conservatione satisdare debuisset, & de facto ipse promiserit eadem Capitalia, nec distrahere, nec obligare, non ideò tamen inferri potest, quod Teutonicus Fideiussor pro illa quoque Capitalium conservatione obligatus remanserit, dum ex facto constat ipsum fidem suam interposuisse pro sola fructuum restitutione ibi -- *Accessit &c., & fideiussit &c. pro dictis fructibus ascendens, ut asseritur ad scu. 1600. annua circiter per annum*
8 *tantum*, quæ sanè particula *tantùm* clariùs, quam verbis dici possit, & obligationem ipsam ad solos fructus, & tempus finiendæ obligationis ad limites unius anni coercet, & restringit, ad *text. in l. qui aliena §. libertas ff. de negoc. gest., & in l. siquidem 6. de transact., & in leg. rationes, ubi Bart. num. 2. C. de probat., Rot. cor. Ubal dec. 528. num. 10. par. 2., & dec. 624. num. 16. par. 19. rec.*, & sæpè alibi.

Præterea obligatio, & fideiussio hoc modo ad solos fructus restricta neque à mente Sac. Rotæ, neque à placito partium aliena
9 fuit. Licèt enim Sac. Tribunal satisdari jussisset, etiam pro conservatione Capitalium, subindè tamen satiùs duxit pro cauthela, & indemnitate eorumdem de Mutis ipsa Capitalia ponere sub sequestro, prout de facto posita fuerunt. Undè hoc adhibito pinguiori remedio non fuit amplius locus præstationi cautionis præcedenter decretæ
10 cum ista ad eum solum effectum exhiberi soleat, nè scilicèt bona sub sequestro ponantur, *Ridolphin. in prax. par. 1. cap. 14. num. 168., & seq. Rot. cor. Buratt. dec. 595.*, ubi adden. *num. 9., & decis. 654. num. 6. par. 2. rec.*

Similiter neque etiam urgere visum fuit aliud objectum, quod nempè non dum reddita ratione fructuum à R. P. D. Carafa dd. duobus annis perceptorum, non expirata censeri possit fideiussio, nec locus esse valeat illius abolitioni. Cessat enim difficultas in facto, in quo constat, quod elapso anno 1694., instantibus DD. de Mutis pro redditione rationis dictorum fructuum, electus fuit à Sac. Rot. Peritus Calculator, ex cujus relatione compertum fuit R. P. D. Carafam nedum omnes fructus, qui ad ejus manus pervenerant, sed etiam de proprio summam scutorum 272. in beneficium hæreditatis, ac solutionem legatorum, & alie-
11 ni æris impendisse. Nulla autem melior, aut magis exacta ratio reddi potest, quam ea, in qua factis calculis, administrator potius creditor, quam debitor remansisse comperitur, ut aliàs dixit *Rot. dec. 5. nu. 10. cor. Ottob., & dec. 128. num. 4. par. 10., & dec. 591. num. 1. par. 19., & in Balneore. gien. redditionis rationis 4. Februar. proximè præteriti §. Procedendo, cor. Me.*

Absque eo quod error aliquis contra dictum Peritum impingi possit, vel quia in calculo accepti fructus cum minori summa constituerit, vel quia in alio calculo dati admiserit solutionem Legatorum ex fructibus, & expensas factas à Carafa pro subitinenda lite contra ipsos de Mutis.
12 Quod enim attinet ad calculum accepti, perperam ille impugnatur ex eo, quod habito respectu ad valorem Capitalium, annuus eorum redditus, juxtà taxam legalem, ad longè majorem summam ascendere debuisset. Etenim cum R. P. D. Carafa, non de omnibus fructibus, qui ex bonis hæreditariis percipi poterant, sed tantùm de exactis rationem reddere deberet, ac de facto Peritus ad referendum, super istis tantum, à Sac. Tribunali electus, ac deputatus fuerit, nullo

nullo pacto ipse procedere poterat cum taxa legali, dum agebatur de fructibus locorum Montium, quorum redditus, sicuti ex Principis edicto est certus, & invariabilis, ità excludit quamcumque contrariam pre-
13 sumptionem, cui quatenùs dumtaxat incertum sit, ad quam usque quantitatem fructus revera ascendant, taxa legalis innititur, bo. mem *Ansald. ad dec. 59. num.12.*, *Rot. in Pisauren. hæreditatis 27. Januarii 1696. §. sed malè cor. cla. mem. Card. Priolo*, & passim alibi.
14 Quod verò pertinet ad calculum dati, sivè partitas exitus, jure, meritoque peritus inter istas admisit solutionem legatorum. Regula enim illa, quod sors ex sorte, & fructus ex fructibus detrahi debeant, procedit quidem in suis terminis ad favorem hæredis, ut scil. ipse quandoque possit pro legatis, & ære alieno exolvendo fundos
15 hæreditarios distrahere, nec non etiam quod nequeat in eam causam fructus ab hæreditate percæptos erogare, cum imò potiùs laude, & commendatione dignum sit, si salva substantia tanquam Novus, ac diligens Pater familias Creditores, & Legatarios cum fructibus dimittat, & quandoque
16 etiam, ac maximè, cum de Administratoribus agitur æs alienum, & legata non nisi cum fructibus persolvi debeant, quatenùs id fieri possit, juxtà *Text. in leg. magis puto 5. §. si Pupillus vers. non passim ff. de rebus cor. qui sub tutel.*

Proùt etiam inter easdem partitas exitus
17 bene admissæ fuerunt expensæ litis, quam Carafa cum ipsis de Mutis sublinere coactus fuit. Præmisso enim in facto, quod lis, cujus expensæ à Perito bonificatę fuerunt, non fuit illa super separatione legitimæ longè post introducta circa annum 1698., sed alia super nullitate testamenti, in quo R. P. D. Carassa hæres institutus fuerat vigens anno 1693., & 1694., Jam indè consequitur, ut quid quid pro ea substinenda ab hærede impensum fuit, ejus credito adscribi debeat, dum ipse nedum justam, ac bonam causam fovebat, ut declaravit Sac. Rota qui juxtà eam pronunciavit, sed agebatur de substinendo testamento, quod non tantùm ipsius hæredis, quantum defunctæ favorem inspiciebat, nè intestata decessisse videretur, in quibuscumque terminis dubium non est, quin sumptus litis sint ipsi hæreditati adscribendi, juxtà *Text. in leg. fin. §. in computatione C. de jure deliberan.*, *Constan. ad Stat. Urb. annot. 59 num. 286., & seq.*, *Rot. dec. 761. num. 3., & 4. par. 18. & decis. 10. n. 6., & seq. par. 19. rec.*

Et ita utraque &c.

FERRARIEN. FIDEICOMMISSI.

Veneris 24. Aprilis 1722.

ARGUMENTUM.

Hęc est *juxta modum* confirmatoria alterius emanatæ sub die 4. Julii, 1721.

Fæminæ sub conditione - *Si sine filiis* - non comprehensę, suppletiva vocatione pietatis intuitu, ad terminos *text. in l. cum Avus ff. de condit., & demonstrat.* non suffragantur, quando Testator in eadem conditione masculos nominatim posuit, & Fæminarum non oblitus, istas legato honorasset; secus si de eisdem non cogitasset; intellige, ut conclusio a fortiori procedat in dispositione transversalis, in quo ille charitatis impulsus, qui in Patre erga filios, non pręsumitur.

SUMMARIUM.

1 *Fæminæ ad successionem non possunt aspirare, quando Testator tàm in institutione primorum hæredum, quàm in quocumque substitutionum gradu, & ubique masculos vocavit*, amplia ut in n. 4.
2 *Fæminæ non sunt admittendæ per posterius, licet nominatim non sint exclusæ, quando Testator de solis masculis sensit, cum deficiat vocationis substantia.*
3 *Vocatio certa esse debet tàm respectu eorum, qui prius, quàm respectu eorum, qui posterius sunt admittendi.*
4 *Fæminæ dicuntur semper exclusæ, quando nullibi Testator verbo aliquo indifferenti, & promiscuo usus est, sub quo illæ venire possint, sed ubique masculos ad successionem vocasset.*
5 *Voluntas testatoris desumitur ab iis, quæ ipse vel dixit, vel fecit, non vero ab aliena dispositione.*
6 *Fæminæ per posterius non dicuntur vocatæ, quando ex integro, deficientibus masculis, fuissent invitatæ.*
7 *Testamentum unius rogatum eadem die, eodem loco, coram eisdem Notàrio, & Testibus, qua fuit rogatum testamentum Fratris, ac quasi per eadem verba conceptum, eodem jure conditum censetur.*
8 *Fæminæ continentur sub conditione* si sine filiis *in exclusionem extranei ex coniectura pietatis.*
9 *Limita, quando Testator masculos in conditione posuit.*
10 *Conditio* si sine filiis *ad masculos restricta non suppletur à fæminis intuitu pietatis, quando agitur de fideicommisso transversalis, in quo ille non consideratur amor erga Coniunctos, qui in Patre erga filios*
11 *Coniectura pietatis, ut fæminæ dicantur per posterius vocatæ, illorum tantum liberorum favore inducta est, de quibus Testator non cogitavit*, amplia ut in nu. 13

12 *Testator præsumitur plura dixisse, quàm scripsisse.*

13 *Vocatio suppletiva non favet fœminis sub conditione si sine filiis non comprehensis*, ad terminos textus in l. cum Avus: *quando Testator de fœminis non est oblitus, sed eis legatum reliquit, quo casu sub eadem conditione eas non posuisse consultò dicendus est.*

14 *Amplia in terminis, in quibus hæres masculus speratur.*

15 *Masculi ex fœminis veniunt etiam sub nomine masculorum, juxta consilium 85. Fulgosii.*

16 *Persona capax succedendi expectanda est, quando agitur de fideicommisso perpetuo & adest hæres speratus, antequam fœminis locus detur.*

17 *Æconomus deputandus est ad bona fideicommissaria administranda, donec speratus oriatur hæres.*

18 *Amplia etiam in terminis, in quibus speratur hæres ex pluribus personis oriri posset, quæ sola dubietas sat est, ut nemini ex illis administratio concedatur.*

DECISIO MCCCXI.

INformantibus tantum Sororibus de Pelagattis responsum fuit sub die 4. Julii superioris anni, etiam Fœminas, vel saltem masculos ab eis descendentes vocatos censeri posse ad Fideicommissum institutum à Canonico Hercule de Signa, ac proinde cum dicti Masculi hìc, & nunc deficiant, esse interim locum appositioni Æconomi, qui bona fideicommissaria pro hærede sperato administret, ut latius recognoscere est ex decisione per me desuper extensa. Verum hodie, audita etiam Julia de Signa, resolutio quoad vocationem fœminarum non placuit, atque ideo rescriptum fuit *recedendum esse à decisis juxta modum* infra exprimendum.

Haud inquam placuit resolutio in ea parte, in qua dictum fuit, etiam fœminas censeri posse vocatas: Cum enim Hercules te-
1 stator tùm in institutione primorum hæredum, tùm in quocumque substitutionum gradu, tùm denique in ea parte, qua alienationem prohibuit, ubique masculos ex Alberto Fratre progenitos, ac descendentes vocaverit, de plano consequitur nullo pacto posse fœminas ad successionem adspirare, cum non modo destituæ sint qualitate illa masculina, quàm Defunctus in ejus successoribus adeo anxiè voluit, ac requisivit, sed imò secum ferant qualitatem omnino oppositam, & cum illa incompatibilem, sicuti ad rem advertunt *Boyat de incompat. p. 5. cap. 1. n. 20., Peregrin. de fideicommissis art. 25. nu. 11., Rota cor. Buratt. dec. 272. n. 15., & seq., & in rec. dec. 274. nu. 6., & 7. p. 12., & in Bononien. Fideicommissi de Beninis 8. Maii 1711. §. Validius verò coram bon. mem. Ansaldo*, ubi concordantes.

Minimè urgente, quod ubi, prout in
2 casu, Testator fœminas nominatim non exclusit, possint istæ, si non in concursu, & una cum masculis, his saltem deficientibus, quasi in subsidium, & per posterius ad successionem admitti. Ultra quod enim casus iste subsidii nondùm venisse dici potest, dum juxtà adhuc spes superest, quod Masculus aliquis, vel ab ipsis Sororibus de Pelegattis, vel à Julia superveniat, cessat omnino difficultas, quæ tunc quæri solet, utrum fœminæ admittendæ sint per posterius, quando vel ex verbis Testamenti aptis de sui natura etiam fœminas comprehendere, vel saltem ex conjecturis, & argumentis constat defunctum ea mente fuisse, ut etiam Fœminæ admitterentur; nam si ex diverso Testator de solis masculis senserit; tunc fœminæ etiamsi non fuerint nominatim exclusæ, nihilominus neque per posterius ad
3 successionem aspirare possunt, cum deficiat substantia vocationis, quæ omnino certa esse debet tàm respectu eorum, qui prius, quàm respectu aliorum, qui per posterius admitti volunt, *Rota cor. Buratt. dec. 272. n. 15., & seqq., & in Romana Primogenituræ de Aldobrandinis impress. ad artnat., Card. de Luc. de fideicomm dec. 27. nu. 6., & n. 11. cum seqq.* cum aliis *in d. Bononien. de Beninis cor. bo. me. Ansaldo*.

At vero in hypothesi, si verba testamen-
4 ti inspiciantur, nullus est locus, undè fœminæ vocationem suam desumere valeant, cum nullibi Testator verbo aliquo indifferenti, & promiscuo usus fuerit, sub quo illæ venire possint, sed ubique masculos ad successionem vocaverit, quorum appellatione nemo est qui ignoret fœminas nullo pacto contineri, ut pluribus adductis, late firmatum fuit in *d. Bononien. Fideicommissi de Beninis 8. Maii 1711. §. Profectò coram bo. me. Ansaldo*.

Sin autem ad conjecturas recurratur, neutra profecto ex illis, quæ in præcedenti decisione approbatæ fuerunt, assumptum
5 concludit. Quod enim Albertus Testatoris Frater, qui eadem die, & coram eisdem Notario, & Testibus testamentum pariter condidit favore masculorum, decennio post etiam fœminas in eorum defectum ad successionem invitaverit, nihil juvat pro inducenda comprehensione Fœminarum in Testamento Herculis, de quo nunc agitur. Hoc enim tanquam à dispositione Alberti Fratris longe dissimile, ac diversum, neque potest eodem jure censeri, nec ab illo ullam recipere interpretationem, cum verisimilis defuncti voluntas argui quidem possit ab iis, quæ Defunctus ipse vel dixit, vel fecit, sed non etiam ab iis, quæ ab alio disposita fuerunt, sicuti per *text. in l. Si quis arbitratu ff. de verb. signif.* advertunt *Fusar p. 1. de subst. q. 402. n. 80., & seq., Surd. dec. 66. n. 18.*

Imò vero potius retorquetur, nam si ad
6 effectum, ut Fœminæ per posterius admit-

terentur, oportuit Albertum novam omnino substitutionem in Codicillis superaddere, per quam illas, deficientibus masculis non quidem per viam declarationis, sed ex integro ad successionem vocavit, iam inde sequitur, quod inspecto dumtaxat ejus testamento fœminæ neque per posterius vocatæ erant, ut non obscurè colligitur ex decisionibus editis super eodem testamento Alberti 23. Februarii §. *Recurrente*, & 7. *Junii* §. *Itidem cor. bon. mem. Murymon.*, propterea que, si utrumque testamentum Herculis, & Alberti tamquam eadem die, 7 eodem loco, coram eisdem Notario, & Testibus, ac quasi per eadem verba conceptum, eodem jure censeri debet, sicuti in illo Alberti, ita quoque in isto Herculis fœminæ dici debent exclusæ juxta indolem earum dispositionum, quæ ad similitudinem alterius, & quasi per modum unius conceptæ sunt, *Rota cor. Peutinger. decis.* 304. *nu.* 3., & 4., *cor. Cerro dec.* 288. *nu.* 3., & *seq.*, & *dec.* 376. *n.* 12., & *seqq. p.* 17., & *dec.* 122. *n.* 12. *p.* 18. *rec.*

Non secus autem, atque ista extrinseca 8 coniectura, urget alia desumpta ex celebri *textu in l. Cum Avus ff. de condit.*, & *demonstrat.*, & *in l. Cum acutissimi Cod. de fideicommissis*, super qua plurimum insistit præcedens Decisio Licet enim in exclusionem extranei Substituti lex quandoque ex coniectura pietatis benigne suppleat conditionem illam *si sine filiis*, sub qua etiam fœminæ continentur, cum verisimile non sit, quod Testator propriæ soboli alienas successiones præterri voluerit: Hujus- 9 modi tamen suppletio, quidquid sit, an cessantibus aliis coniecturis, de quibus *Rota dec.* 132. *p.* 16 *rec.* locum habeat, quando Testator ut in casu nominatim filios masculos in conditione posuit, cum in his terminis expressa illa hominis provisio ad masculos restricta excludere videatur tacitam provisionem intuitu pietatis à lege inductam, ùbi nulla omnino conditio adiecta fuit, sicuti in puncto concludunt, antiquioribus relatis, *Faber de error. pragm. to.* 1. *dec.* 28. *error.* 8. *n.* 2., *Peregrin. de fideicommissis art.*25., & *cons.* 39. *n.*28. *lib.* 1.

Ex duplici profecto capite in præsenti 10 causa admitti nequit, primò nempe, quia non agitur de dispositione Ascendentis, sed transversalis, in quo quamvis cælibe, & sacris Ordinibus insignito, non tamen potest ea caritas erga coniunctos, quam natura Parentibus erga filios inseruit, ullo pacto considerari, ac proinde nisi aliæ simul concurrant graves, atque urgentes coniecturæ conditio illa *Si sine filiis* minime suppletur *Gloss. communiter recepta in l. Generaliter* §. *Cum autem verbo filios Cod. de instit.*, & *substit.*, & *in d. l. Cum acutissimi* §. *deinceps* Cod. *de fideicomm.*, *Fusar. de substit. quæst.* 397. *num.* 8., *Rota decis.* 170. *n.* 12. *par.* 17., & *dec.* 102. *num.* 5., & *dec.*633. *n.* 10. *p.* 18. *rec.*

11 Altera verò, quia conjectura pietatis dd. legibus commendata illorum tantum liberorum favore inducta fuit, de quibus Testator non cogitavit. Præsumitur enim plus à de- 12 functo dictum, quam scriptum fuisse, ut eruditè de more notavit *Cujac. in d. l. cum avus lib.*9. *respons. Papin. tom.*10. *per. Postb. litt. B.* & *seqq.* Quamobrem cum in hypothesi Hærcules nedùm de Fœminis sibi conjunctis cogitaverit, verùm præterea etiam quibusdam ex eis, ac præsertim Lauræ nepti legata quædam reliquerit, in dubium ampliùs venire nequit, quin dum ipse Fœminarum minimè oblitus, eas ni- 13 hilominus neque in parte dispositiva, neque in conditione posuit, consulto id fecerit, ac data opera ne fœminæ ullo tempore ad ejus successionem admitterentur: quemadmodum in hisce terminis communiter firmant Scribentes, & præsertim *Rusticus in d. l. cum avus lib.*1. *cap.*15., *num.*5., *nu.*21. 31. 37. & 41. *Altogr. sen. cons.*61. *num.*13. & *seq. lib.*1 *Fusar. de substit. quæst.*394. *n.* 85. & *num* 88. *Rot. coram Celso dec.*44. *nu.* 18. & *seqq.* & *in recent. decis.*285. *num.*1. *par.*10

14 Quod si hæc procedunt, cum agitur de excludẽdo extraneo substituto, longe utique potiori jure locum obtinere debent in præsenti, in quo justà adhuc spes superest, quod ex aliqua fœminarum, quæ hodiè frustra, ac præmature de successione contendunt aliquis oriatur masculus, qui fideicommissum occupare possit, & quidem ex judicio Testatoris, qui cum indefinitè vocaverit 15 omnes masculos ex Alberto fratre descendentes, dubium esse nequit, quo minus ad fideicommissum admitti voluerit etiam masculos, sive per unicum, sive per multiplex medium fœminarum descendentes juxta celebre consil *Fulgos.* 85., *de quo Rota in his terminis dec.*132 *num.*16. *par.*16. & *in dec. causæ* §. *Ex ista*, ubi concordantes. Quamvis enim hinc, & nunc nullus adsit masculus, cum tamen versemur in fideicommisso perpetuo, nihil obstat, quin expectari possit eventus, an scilicet superveniat persona capax successionis, argumento *Textus in l. tempus ff. de hæred. instit. Card. de Luc. de fideicommissis disc.*9. *nu.*5. & *disc.* 29. *num.*9. *disp. B. cr. juriscap.*42. *n.*25. & quin interim, 17 quousque successio manet in suspenso deputetur Æconomus, qui bona fideicommissaria custodiat, eorũque fructus investiat pro masculo nasci turo juxta praxim, de qua *Molin. de Primog lib.* 3. *cap.*10. *n.*35. *Paulucc. disser* 91. *num* 179., & *num.*201. & quam amplexa fuit præcedens decisio Causæ §. *fin.*

18 Absque eo quod Julia eõ queri in hoc possit sub obtentu, quod Administratio fideicommissi, non alteri, quam ipsi committenda sit ex quo si ex ea jam nubilem ætatem attingente masculus oriatur, iste propter lineæ prærogativam, & majorem proximitatem cum ultimo masculo sit cæteris præferendus, qui ex Sororibus de Pelagattis nasci pos-

sunt

sunt juxta deducta per *Rot. dec.* 902. *num.* 9. *coram Emer. jun.* etenim cum hodiè in incerto maneat an ex ea, vel ex dd. Sororibus sit masculus primum oriturus, hæc ipsa incertitudo exhuberat, ut interim Æconomus apponi debeat, neque opus est præmature assumere quæstionem, quatenus tam ex ea, quam ex dd Sororibus masculi nascantur, quis eorum sit præferendus, cum quodcumque super ea feratur judicium, possit subindè ex futuro eventu inutile reddi, atque elusorium.

Et ita &c.

FANEN REINTEGRATIONIS SUPER DATIONE IN SOLUTUM QUOAD RESERVATA.

Veneris 24. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Possessor bonæ fidei fructus tantùm à die motę litis, non verò à die captæ possessionis, restituere tenetur, præsertim si agatur de muliere, quæ non solum in bona fide stetisset, sed cum peritioribus simul errasset.

Curator à testatore datus cum facultate alienandi, ut possit æs alienum dimittere, sine alia Attilisni curatoris deputatione, pupillum obligare potest.

SUMMARIUM.

1 *Fructus ante motam litem percepti una cum ipsa re sunt restituendi, quando titulus adeptionis rei ad non titulum reducitur propter vitium contractui inhærens*, limita ut in num. 4.

2 *Et hæc ratio fundatur in mala fide.*

3 *Mala fides à lege præsumitur in eo, qui contra juris dispositionem contrahit.*

4 *Fructus non veniunt à die alienationis, sed motæ litis, etiam si agatur de contractu nullo in radice, quando contrahens in bona fide stetisset*, & num. 5. & 13.

5 *Possessor bonæ fidei excusatur à restitutione fructuum, quos consumpsit, quatenus ex eis locupletior non sit factus.*

6 *Contractus mulieris factus bona fide præsumitur ex circumstantia desumpta à bonis moribus ejusdem, scilicet si vidua in florida ætate remanens omnia sua bona pro dotandis filiabus erogasset.*

7 *Datio in solutum de re pupillari absque præcedenti subhastatione, & facta sine Curatoris deputatione non sustinetur*, Limita ut in n. 8. & 9.

9 *Limita quando datio in solutum processit de manu Curatoris dato à Testatore, cui iste facultatem dedisset dimittendi ęs alienum.*

9 *Executor testamentarius habens mandatum à Testatore, potest sine subhastatione, vel alia curatoris deputatione res pupillares distrahere.*

10 *Bona fides excusat mulierem à restitutione fructuum perceptorum ex re in solutum recepta pro suis creditis approbatis à Judice, & administratore hereditatis viri*, & num. 11.

11 *Error in muliere excusatur, quando cum peritioribus erraverit.*

12 *Res judicata dationem in solutum annullans non infringitur per hoc, quod declaretur fructus non deberi à die alienationis sed motæ litis, quando possessori bona fides assistit.*

DECISIO MCCCXII.

Eodem æquitatis impulsu, quo in proxima præcedenti Audientia Sac. Tribunai motum fuit ad absolvendam Annam Taurelliam à restitutione fructuum ante motam litem perceptorum ex Prædio *Rio secco piccolo*, ut habetur ex decisione Fanen. Reintegrationis super deliberatione quoad reservata 20. currentis coram R. P. D, meo Corio; hodie quoque coram me tamquam suffecto in locum Rmi Aldrovandi eandem Annam absoluit à refundendis fructibus usque ad diem motæ litis perceptis ex alio prędio *Rio secco grande*, dùm adscitis ad suffragandum in hac tertia propositione Causę quinto & sexto ex DD. post consuetum Turnum sedentibus super congruo Dubio, *An scilicet fructus d. predii deberentur à die alienationis & in qua summa*, *negativè* in omnibus responsum fuit.

1 Quamvis enim procedendum juxta re-
gulas generales in hac materia allegari so-
litas, prima facie videretur nullo justo colo-
re memoratam Annam excusari posse à re-
stitutione fructuum usque à die alienationis
perceptorum, eo ipso quod datio in solutum
qua mediante prædium acquisivit, irrita
subindè declarata fuit, tam ex capite nulli-
tatis, quam injustitiæ per rem Judicatam
Rotalem ad ipsa Anna solemniter accepta-
ram, cum quando, prout in casu, titulus redu-
citur ad non titulum propter vitium, quod ab
initio inest contractui, regula Juris sit, quod
etiã fructus ante motam litem percepti, una
cum re ipsa sint restituendi. *Rot. cor. Arguel-
les dec.* 113. *num.* 16. & 17. & *cor. Dunozz.
Jun. dec.* 818. *num.* 3. & *cor. bon me. Benin-
cas. dec.* 376 *num.* 3. & *sæpè alibi.*
2 Quia tamen Regula, & Propositio præ-
dicta omninò fundatur in ratione malæ fidei
3 quam lex regulariter pręsumit in eo, qui con-
tra Juris dispositionem contrahit, ut inquit,
*Text. in l. quemadmodum C. de Agric., &
Censitor. lib.* 11., & *in cap. qui contra de R.
I in* 6. & ad rem advertunt *Grat. discept.* 45.
num. 29. *cum seqq. Ossch. dec.* 160. *à nu.* 11.
*Rot. in Romana Pecuniaria, seù locorum
Montium* 15. *Januar.* 1706. §. *Quin imo, &
seq. coram bo: me. Muto.* Hinc fit, ut qua-
4 tenus ex peculiaribus facti circumstantiis

prudentis Judicis arbitrio in quolibet casu
extimandis bona fide, vel saltem sine mala
aliquem contraxisse constet, tunc seposito
rigore Juris etiamsi ex post nulliter contra-
xisse comperiatur, ita ut titulus ad non ti-
tulum reducatur, non ideo tamen condem-
nandus sit ad restituendos fructus jam con-
sumptos à die alienationis perceptos, cum in
hisce terminis illi suffragetur alia magis ge-
neralis juris regula, qua docemur Possesso-
5 rem bonæ fidei à restitutione fructuum,
quos consumpsit semper excusari, quatenus
ex eis locupletior factus non fuerit, *l. qui scit
25. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. §. Si quis
à non Domino Instit. de rer. divis. Rot. dec.
488. num. 6. & seqq. par. 19, & in Romana
Immissionis super fructibus 15. Martii 1717. §.
Contra verò, & §. Multoque minùs coram
R. P. D. meo de Gamaches, & alibi pluries.*
Strictè igitur examinando utrum bona,
vel mala fide contractus initus fuerit, DD.
pro absoluto, & constanti habuerunt, tum
ex generalibus, & extrinsecis, tum
ex particularibus, & intrinsecis facti cir-
cumstantiis in casu concurrentibus, vel cum
positiva bona fide, vel saltem sine mala,
memoratum Prædium *di Rio secco grande*
in solutum ab Anna receptum fuisse; & in-
6 cipiendo ab extrinsecis, non levem bonæ
fidei opinionem animis DD. ingessit ponde-
ratio illa, quod mulier licet in florida ætate
annorum 21. spretis tamen secundarum
nuptiarum illecebris in toto ejus vitæ decur-
su sese, ac bona propria obsequiis, & amori
filiorum ita addixit, ut nedum proprios red-
ditus cum eis communicaverit, & in filio-
rum educationem erogaverit, verum etiam
bona ipsa pro filiarum dote liberaliter con-
stituerit, sicut colligitur ex *dec. Fanen. ta-
xationis congruæ dotis 12. Decembris 1710.
cor. clar. me. Card. Priola*: quis autem non
dicam suaderi, sed suspicari etiam leviter
poterit, quod Mater adeo amans filiorum,
& sui indiligens voluerit eorum substantiam
malis artibus, & mala fide sibi usurpare, ut
alias in simili, sed ad effectum longè durio-
rem dixit *Rot. in Anagnina redditionis ra-
tionis 10. Junii 17 2. §. final. coram bo. me.
Ansaldo, & in Balneoregien. redditionis
rationis 4. Febr. 1722. §. Duplici cor. Me*,
Sed propius ad rem ipsam, & intrin-
7 secas facti circumstantias accedendo, ne-
gari profectò nequit quod datio in solu-
tum memorati prædii *Rio secco grande*
fuerit revera nulla tanquam facta de re
Pupilli, cui nullus fuerat ad hunc actum
à Judice deputatus Curator, & insuper fa-
cta sine ulla præcedenti subhastatione, que-
madmodum juxtà veriorem opinionem fir-
matum fuit in omnibus decisionibus, quæ
rem Judicatam Rotalem de more præcesse-
runt, sed nihil ominus etiamsi contractus ex
hisce capitibus fuerit intrisecè nullus, non
8 etiam tamen exindè dici potest, quod Anna,
quæ Prædium in solutum eo pacto accepit,
in mala fide versata fuerit, nam licet nullus
datus fuisset à Judice Curator, qui Pupilli
Personam integraret, nullaque præcessisset
Prædii subhastatio, quia tamen datio in so-
lutum explebatur a Lotrecchio, qui nomi-
natim a Testatore Curator, & Gubernator
ejus hæreditatis deputatus fuerat, cum fa-
cultate solvendi æs alienum, quo hæreditas
ipsa gravabatur & insuper explebatur non
clam, & in abscondito, sed sub oculis Ju-
dicis, qui causa cognita alienationem ap-
probavit, non immeritò sanè Mulier opina-
ri potuit contractum sine alia solemnitate
subsistere, dum in hisce circumstantiis, non
solùm Mulier in Jure minus perita decipi
poterat, credens se legitimè contrahere cum
eo, quem Testator ipse Gubernio ejus bo-
norum præfecerat, sed de facto decepti
fuerunt plures, & Magni quidem nominis
Doctores, intèr quos *Bald cons. 287. n. 4. li. 4.*
ubi quod si Executor vendidit habens man-
9 datum à Testatore, non est necessaria sub-
hastatio, sufficit namque, ut ibi subdit,
Commissio Testatoris, & fides ab eo electa
*Alexand cons. 215. à num. 2. ad 4. vol 6. Ro-
land à Valle cons. 99. num. 41. & seq. vol. 1.
Simoncell. de decret. lib. 2. tit. 8. num. 4. in-
ter tract. magnos tom. 6. par. 2. Card. de Luc.
de alienat. disc. 35. nu. 6.* qui omnes firmant
nullum alium requiri Attilianum Curato-
rem, quando alienatio fit ab Executore Te-
stamentario, cui a defuncto data fuerit fa-
cultas alienandi.
Simili modo negari nequidē potest, quod
10 d. datio in solutum fuerit etiam iniusta, ut-
pote quæ processit ex causa partim vera, &
& partim non subsistente, ut recognitum
fuit in d. re judicata Rotali; sed nihilomi-
nus neque ulla exinde mala fides in muliere
argui potest. Constat enim ex facto Præ-
dium datum fuisse in solutum pro decem
partitis Creditorum in totum constituenti-
bus summam scut. 1725. Ex his autem ho-
die amplius controverti nequit, quin ma-
jor pars usque ad summam scut. 1224. reve-
ra subsisteret, cum ita per Sac. Tribunal de-
finitum fuerit re formiter discussa in suo
congruo, & particulari Judicio, in *Fanen.
Pecuniaria 1. Februarii 1712. coram Rmo
Aldrovando* hodiè de stylo supponenda;
tota igitur difficultas reducitur circa resi-
duum consistens in quatuor partitis, nempe
quarta, quinta, sexta, & septima; sed
quarta proveniens a legato sc. 225. eidem
Annæ facto à Jacobo Taurellio in exonera-
tionem propriæ conscientiæ dici nequit in-
debita, cum super ea nulla in Rota capta
fuerat resolutio propter suffragiorum scissu-
ram; septima vero consistens in altero le-
gato ab eodem Jacobo in Codicillis relicto,
nedum non fuit à Sac. Tribunali rejecta, sed
immò ex consensu partis admissa, sicuti de
hisce geminis partitis legere est in *d. Fanen.
Pecuniaria cor. Rmo Aldrovando*.
Duas igitur reliquas, nempe quintam, &
sextam in totum componentes tenuem sum-
mam scut. 173. Sac. Tribunal duntaxat re-
jecit

jecit, sed quia ratio illas reijciendi unicè stetit in interpretatione testamenti, quoad litteram potius subscuri, non per hoc deduci potest, quod Anna cum mala fide easdem partitas sibi credito adscripserit, dum ad illam in bona fide constituendam, nedum plurimum conferebat eadem littera testamenti, juxta quam legatum saltem primo aspectu videbatur reiictum in praemium Viduitatis, sed multo etiam fortius urgebat, quod tàm Lotrecchius Administrator haereditatis, & Juris Peritus, quàm Judex Causae cognita hoc quoque creditum ejus

11 favore admisit; unde si Mulier in hisce circumstantiis erravit, errasse cum peritioribus videtur, atque ideo digna, ut à fructuum restitutione excusetur, ut aliàs in simili respondit *Rota decis.* 844. *per tot. cor. Merlino*.

12 Absque eo quod exinde obiici possit, quod hoc pacto retractetur res judicata Rotalis, quae nullam, atque irritam declaravit dictam dationem in solutum. Stat enim benè simul, & quod ad limites rei judicatae datio in solutum pro nulla, atque luiusta haberi debeat, & quod nihilominus fructus Praedii in solutum traditi non debeantur à die alienationis, sed solum à die motae litis, dum

13 ad effectum, de quo hodie agitur excusandi Possessorem à restitutione fructuum usque à principio sufficiat illum sine mala fide possedisse, etiamsi titulus possidendi fuerit à principio nullus, & invalidus, sicuti latè firmatum fuit super alio Praedio *Rio secco piccolo in Fanen. Reintegrationis* 20. *currentis cor. R.P.D. meo Coria*.

Et ita &c.

ROMANA, SEU JANUEN. PECUNIARIA.

Lunae 27. *Aprilis* 1722.

ARGUMENTUM.

Mercator transmittens cambiales litteras cum obligatione de reddendo indemnem ipsum recipientem in casu protextus, his verbis -- *ve ne starò avanti io per quella somma, che ne farete in disborso* -- debitor principalis favore istius evadit, nec talia verba ad simplicem fidejussionem, vel promissionem de veritate subscriptionis earundem extenditur.

SUMMARIUM.

1 *Evictio, seu indemnitatis promissio inter Mercatores pro solutione litterarum cambialium debetur una cum damnis, & interesse ab expromissore, cujus fidem eas recipiens sequutus est*.

2 *Amplia quando Mercator litteras acceptasset in sequelam obligationis indemnitatis factae à transmittente*.

3 *Epistolae inter Mercatores superlative probant quidquid in illis expressum reperitur*.

4 *Epistolae in re Mercantili publici instrumenti vim habent*.

5 *Mercator recusans acceptare litteras cambiales ex quo de scribente notitiam non haberet, postea que eam acceptans ob promissionem indemnitatis factam per transmittentem, istius fidem sequutum fuisse dicitur tamquam principaliter obligatum*

6 *Fidejussor simplex ad limitatam veritatem subscriptionis non dicitur Mercator se obligans de indemnem reddendo alterum, qui acceptavit litteras cambiales, quas ad istum transmisit, sed principalis debitor considera tur*.

7 *Fides Mercatorum in terminis litterarum cambii valde attenduntur*.

8 *Mercator ex quibus dicatur recognovisse debitum proprium ob litteras cambiales cum protestu reditas, quas tamen ipse cum obligatione indemnitatis à se facta transmisisset*.

9 *Si sit debitor, non remanet liberatus per simplicem transmissionem litterarum cambii ad suum Creditorem, nisi earum solutio sequatur*, & n. 10.

10 *Litterae cambiales transmisse in causam debiti transmittentis, de sui natura tacitam habent conditionem, quatenus mediante solutione, effectum habuerint*.

11 *Et si non habuerint effectum primeva transmittentis obligatio durat; praesertim si iste dixerit in casu protextus* -- Vi confermo il mio detto di starvi io d'avanti. --

DECISIO MCCCXIII.

Litteras Cambii duplarum 200. à Ruscono directas Andreanis, & Rubinis Mercatoribus Matriti, ab Urbe transmisit Marcuccius Laurentio Puteo Mercatori Januensi, cum quo alia Mercaturae negocia exercebat ad effectum illas exigendi; quia vero apud Puteum nulla aderat cognitio Rusconi, qui dd. litteras cambiales scripserat; ideo Puteus curavit à Marcuccio obtinere, prout obtinuit, obligationem relevationis, & indemnitatis occasione exactionis earumdem litterarum.

Ita re constabilita inter dd. Mercatores, Puteus dd. litteras giravit Lomeliino, a quo non solum valutam, sed etiam consueta lucra exegit; verum cum litterae praedictae Matritum transmissae, effectu vacuae redierint cum solito protextu propter denegatam solutionem ab Andreanis, & Rebinis, hinc Puteus, postquam coactus fuerat restituere Lomeliino summam exactam, una cum interesse, in judicium vocavit d. Marcuccium coram A. C. de Gentilibus non solum pro solutione duplarum 200. cum interesse ex causa d. litterae cambii, sed etiam scut. 232., quorum debitor erat ex causa Mercium, & mandatum pro utroque credito re-

por-

portavit; adversus quod Judicatum cum
Signatura (canonizato mandato cum clau-
sula *sine præjudicio* quoad creditum Mer-
cium, de quo amplius non agitur inter Par-
tes) causam in suspensivo mihi delegaverit,
quoad alterum dd. litterarum, contigit ho-
die proponi consuetum dubium -- *An man-
datum A. C. sit exequendum*, -- & affir-
mativum habui responsum.

Siquidem retenta facti serie superius ex-
1 posita, cum Puteus Mercator Januensis,
postquam in particularibus computis bonifi-
caverat favore Marcucci valutam litterarum
cambialium, coactus fuerit restituere Lo-
mellino summam exactam in causam dd. lit-
terarum propter earum protextum sequu-
tum Matriti, omnis æqui, bonique ratio exi-
gere videbatur, ut reintegrationem soluti
ab ipso Marcuccio consequatur, dum iste
expresse se obligavit eumdem Puteum in-
demnem relevare ab omnibus damnis, quæ
ex causa dictarum litterarum pati posset,
ut tradunt *Gratian. discept. 549. nn. 1., &
seq., Castald. consult. 133. n. 4., Rota co-
ram Cerro dec. 388. n.3. in rec., dec. 41. n. 1.
& seq. p. 18., cum aliis in Nucerina Pecu-
niaria 22. Januarii 1714. §. Et optime co-
ram bo. me. Barbadico, & 26. Novembris
ejusdem Anni §. Altera vero coram Rm̃o
Crispo*.

2 Nec hæsitandum censuerunt DD. de hac
obligatione Marcucci, quia compertum
fuit in facto, quod idem Marcuccius non
aliter adegit Puteum renuentem acceptare
exactionem dd. litterarum cambialium,
quam cum ea promissione relevandi eum-
dem indemnem ab omni damno ibi -- *ve ne
starò avanti io per quella somma, che ne
stareste in disborso* -- ex quibus verbis emis-
sis in Epistola responsiva ejusdem Marcucci
ad effectum, ut Puteus susciperet exactio-
nem dd. litterarum, absque dubio resultat,
quod Marcuccius directè sese obligaverit
pro indemnitate commissi mandati, ut pro-
bant tradita per *Bald. in l. Si pro ea 10.
q. 12. nu. 12. C. mandat., Bertazol. de Clausf.
clausf. 43., Gloss. 2. n. 1. ad fin., Gratian.
discept. 549. n. 16.*, & in terminis similis
promissionis optimè *Rot Lucen. in dec. re-
lata per Mansf. Consult. 195. sub n. 29.*

Maxime quia in successivis Epistolis Pu-
3 teo scriptis idem Marcuccius, supposita
emissa obligatione non semel mentionem
fecit de controversa littera cambii dupla-
rum 200., ejusque valutæ contrapositione;
Unde in his circumstantiis dubitari nullo
modo potest de ejus obligatione, quia epi-
stolæ inter Mercatores superiativè probant,
quidquid in illis expressum reperitur, ad
firmata per *Rot. cor. Emer. jun. dec. 988. n. 1.
& in rec. dec. 269. n. 18 p. 16., dec. 380. n. 4.
p. 17., & in Romana litterarum cambii 4.
Aprilis 1707. §. Quod autem cor. bo. mem.
4 Ansaldo*, itaut in re mercantili vim habeant
publici instrumenti, *Rocc. respons. legal.
tom. 1. not. de litteris camb. 45. nu. 125.,
& seq. bon. mem. Ansald. de commerc., &
Merc. disc. 61. n. 2., Rota Januen. dec. 42.
à n. 1., & seq., in rec. dec. 16. n. 11. p. 17., &
in Romana, seu Januen. Pecuniaria 22.
Januarii 1706. §. Sed facilius coram eodem
bon. mem. Ansaldo*.

5 Absque eo quod relevans visa fuerit ex-
ceptio quod Marcuccius aliam non assum-
pserit obligationem favore Putei, quàm ve-
ritatis subscriptionis Rusconi, qui litteras
scripserat, non autem, quod sese principa-
liter obligaverit favore ejusdem Putei pro
relevatione à quolibet damno ob eventum
non sequutæ exactionis; quia cum Puteus
expresè renuerit acceptare litteras à dicto
Ruscono scriptas, ex quo nullam de eo no-
titiam habebat, & tandem illas non aliter
receperit, quam sub recensita promissione,
certè in his terminis sicuti dubitari non po-
test, quod Puteus acceptare recusaverit de-
bitorem in litteris cambii assignatum, & fi-
dem Rusconi scribentis sequi noluerit; ita
promissio Marcucci referri nequit ad sim-
plicem fidejussionem, vel promissionem ve-
ritatis subscriptionis Rusconi, sed necessario
involvit eius principalem obligationem, ut
benè firmat *Rota Lucen. d. decis. relat. per
Mensf. consult. 195. sub nn. 29., & 41., &
probant tradita per Scacc. de Comm., &
camb., Gloss. 5. §. 2. p 4. n. 358. vers. tertius
casus est, & n. 365., Gratian. discept. 388.
n. 6., Rota Januen. dec 6. n. 7., & 8. decis.
19. n. 1., in rec. dec. 26, n. 2. p. 5. cor. Ottbob.
6 dec. 118. n. 9.*, juncta etiam attestatione, ac
Judicio Mercatorum deponentium ex re-
censita promissione induci obligationem
principalem, non autem subsidiariam, & li-
mitatam ad simplicem veritatem subscrip-
7 tionis, quibus in hac materia plurimum est
deferendum ex firmatis per *Rot. in Mele-
vitana Pensionum 16. Junii 1698. §. Ex
probationibus cor. bon. mem. Card. Priolo,
& in Romana Pecuniaria 17. Junii 1709.
§. Et quando cor. Reverendissimo Aldrovan-
do*.

Eoque certius inspecto tenore aliarum
8 epistolarum, quas ex post scripsit idem
Marcuccius, & signanter ultimæ, cum qua
certiorando Puteum de notitia protextus
controversæ litteræ expresè protestatus
est -- *Ricevo la di cambio &c. con il prote-
sto, e pagamento fatto da voi, che tanto del
disborso della valuta, che di tutte le spese
occorse sopra la medema ne terrese conto,
per doverveне voi in breve del tutto rim-
borsare* -- Quæ sanè verba non solum prin-
cipalem supponunt obligationem à dicto
Marcuccio emissam, sed etiam favore Pu-
tei explicitam important agnitionem debiti
ex causa dicti protextus, & expensarum,
adeout Marcuccius sub motivo deficientis
obligationis non possit amplius impugnare
debitum, quod ex ejus confessione satis di-
citur justificatum, juxta firmata per *Rotam
in Romana affictus super Associatione 26.
Junii 1702. cor. bo. mem. Muto, & in di-
sta*

sta Nuterina Pecuniaria 22. Januarii 1714.
§ finali cor. bo. mem. Barbadico.

Nihil urgente, quod Marcuccius in dicta
9 ejus Epistola ultimo loco scripta, demandaverit reintegrationem Putei cum alia simili cambiali littera scut. 1200 per eumdem Rusconum scripta, & directa eisdem Mercatoribus Matritii ibi -- *Per dovervene voi in breve rimborsare con lettera, che avete ricevuto delli scudi* 1200. *ne' medesimi Signori Andreani, e Rabini* -- Cum enim, ut in facto recognitum fuit, hujusmodi litterę simili modo redierint effectu vacuæ ob simile protextum contra illas expletum Matriti utique ex sola istarum transmissione ad exigendum non sequuta illarum solutione, non potuit Marcuccius præcedentis obligationis ac debiti liberationem reportare, ad *text. in l. si debitorem ff. de novat.*, *Marescott. var. resol. libr. 2. cap. 11. nu. 1.*, *Rota cor. Ludovis. dec. 217.*, *& cor. Buratt. dec. 497.*
10 *utrobique n. 1.*, litterarum enim transmissio facta in causam debiti transmittentis, de sui natura habet tacitam conditionem, quatenus effectum habuerint mediante solutione, *Rota in rec. dec. 716. n. 1. p. 3. dec. 47. n. 2. p. 10.*, nec proinde priorem extinguit obligationem, cujus vigore non solutis litteris bene debitor potest conveniri, ut probat *Bald. in l. litterarum n. 1.*, *Cod. de solut.*, *& consil. 348. sub n. 3. vol. 1. de Marin. ad Reverter. dec. 431. n. 3.*, *Rota in rec. dec. 47. n. 3. p. 10. cor. Ludovis. decis. 217. n. 2. cor. Cels. dec. 54. n. 1.*

Potissimè quia in eadem epistola Marcuc-
11 cius dd. posteriores litteras cambii transmisisse professus est pro ejus reintegratione absque læsione principalis obligationis, dum in casu, qui accidit non sequutę solutionis expressam adiecit repromissionem -- *E quando ciò altrimente fosse, vi confermo il mio detto di starvi io d'avanti* -- Unde in his terminis, eo minus dubitari potest, quin statim, atque etiam istæ posteriores litteræ effectu vacuæ redierunt, ipse adstringi debeat aliunde Puteum reintegrare, ut præter allegatos optimè observat *Castrens. in d. l. si debitorem n. 3. ff. de novat.*, *Rota Januen. dec. 8. n. 11. cum aliis in rec. dec. 334. n. 6.*, *& 7. p. 5.*

Et ita utraque &c.

CIVITATIS PLEBIS DECIMARUM.

Lunæ 27. Aprilis 1722.

Nec Argumento indiget, nec Summario.

DECISIO MCCCXIV.

CUM in hac Rota fecissem verbum pro expeditione hujus Causæ ad formam decisionis cor. Me editę 9. Februarii proximè preteriti, DD. animadvertentes, quod in præcedenti Instantia ab A. C. lata concessa fuerat Parocho Quatrani manutentio in quasi possessione Juris exigendi Decimas, tàm dismembratas, quam non dismembratas, quando idem Parochus revera non pretendebat, nec pretendere poterat, nisi decimas non dismembratas; mihi idcirco demandarunt, ut extenderem hanc brevem decisionem, per quã declararetur, non alium fuisse eorumdem DD. sensum, quam concedendi d. Parocho manutentionem pro solis Decimis non dismembratis, *& juxta hunc modum constare de re judicata.*

Et ita &c.

NEPESINA SEPULTURÆ.

Mercurii 29. Aprilis 1722.

ARGUMENTUM.

Jus sepolturæ una cum Cappella concessum non irritatur, ex quo in concessione sit expressa clausula *ad habendum* favore emptoris dominium denotans, quando tamquam quid sacrum nequit vendi, quia eadem clausula, & concessio, juxta naturam contractus, ad usum tantum relativa, non vero ad proprietatem intelligitur, eademque ex solo Ordinarii beneplacito substinetur, quod post lapsum quadraginta annorum ex sola acquiescientia præsumitur intercessisse,

SUMMARIUM.

1 *Jus sepolturæ cum Cappella usu concessum iniuncto onere ejus manutentionis ab Episcopo, isto adimpleto per acquirentem, controverti, nec retardari potest.*
2 *Sepoltura, quoad proprietatem, in commercio non cadit, tamquam quid Religiosum & solum potest acquiri quoad usum.*
3 *Sepultura censetur concessa quoad usum tantum, non quoad proprietatem cum concessione Cappellæ unitim facta cum Iure sepulturæ,* amplia, ut in n. 4.
4 *Clausula* ad habendum *exposita in concessione sepulturæ quoad usum tantum transferibilis, juxta naturam contractus, dominium improprium, non proprium importat.*
5 *Concessio juris sepulturę convalidatur ab auctoritate Episcopi absque beneplacito Apostolico.*
6 *Confessio propria contra confitentem plene probat.*
7 *Jus sepulturæ non venit sub concessione Cappellæ.*
8 *Dispositiva Instrumenti, & veritas actus, non enunciativa attenditur.*
9 *Concessio Capellæ facta per Capitulum non præsumitur cum licentia ad Cappellam tantum restricta, sed etiam ad sepulturam, quia non presumitur illud voluisse gerere actum proprię Ecclesię prejudicialem.*

10 Con-

10 *Consensus Ordinarii præsumitur intercessisse in contractu inito ab Ecclesia post lapsum quatraginta annorum.*

11 *Consensus Episcopi etiam verbaliter sufficit pro convalidanda concessione Cappellæ ab Ecclesia facta.*

12 *Amplius, ut consensus Episcopi etiam ex actu negativo non reclamationis per dictum temporis lapsum inducatur.*

13 *Sepultura Laicorum construenda est extra Presbiterium.*

14 *Ostium sepulturæ laicorum distare debet à scabello Altaris per sex palmos, & vacuum dicti sepulcri non potest intra re sub eodem scabello.*

15 *Cappella de novo constructa subrogata censetur in locum veteris, sic etiam Sepultura de novo ampliata in locum veteris cum eadem Cappella concessa.*

DECISIO MCCCXV.

JUS construendi Sepulturam intra ambitum Cappellæ sub invocatione SS. Virginis Assumptionis, quod oppugnante Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Nepesinę A.C. de Gentilibus competere declaravit Philippo, & aliis de Cerbeliis, canonizatum etiam hodie fuit in hoc Sacro Auditorio, dum consulti Domini super dubio -- *An liceat construere Sepulturam intra ambitum, seu situm Cappellæ sub invocatione Sanctissimæ Virginis Assumptionis in Cathedrali Nepesina -- affirmativè*, responderunt.

1 Fundamentum resolutionis desumptum fuit ex publico Instrumento, in quo de anno 1674. Capitulum, & Canonici prędicti cum licentia, & auctoritate clar. mem. Cardinalis Julii Spinulæ tunc Episcopi Nepesini ità mandantis in actu visitationis, eamdem Cappellam, quæ indotata, & necessariis suppellectilibus destituta reperiebatur, concesserunt expressè una cum jure Sepulturæ Carolo de Cerbeilis, ejusque hæredibus, & successoribus in infinitum sub onere erogandi scuta 60. in beneficium ejusdem Cappellæ, eamque manutenendi, & necessariis suppellectilibus perpetuo providendi, ac propterea, cum non controvertatur in facto, quod ex parte dictorum de Cerbeliis satisfactum fuerit oneri ipsis injuncto, omnis æqui, boniquè ratio postulat, ut ad tramites initi contractus uti, & frui debeant eadem Cappella etiam cum jure Sepulturæ correspectivè ad onus assumptum eisdem elargito, *l. Jurisgentium §. Prætor ait ff. de pact.*, *coram Priolo decis. 18. num. 10., & 11.*, *& coram Duran. dec. 285. n. 73.*, *& in Colonien. Fundationis Monasterii 11. Iunii 1717. §. Pro eo enim cor. R. P. D. meo Foscaro.*

Absque eo quod Capitulum impugnare possit hujusmodi concessionem, sive ex eo, quod per eam translatum fuerit dominium Sepulchri, quod est inalienabile, sive ex eo, quod non intervenerit Beneplacitum Apo-
2 stolicum. Non quidem ex primo, quia quamvis Sepulchrum, tamquam quid religiosum, quoad proprietatem sub commercio non cadat, & nequeat esse in bonis nostris, adhuc tamen est in commercio, & acquiri potest quoad usum, remanente dominio, & proprietate penes Ecclesiam, ut communiter notant *DD. in cap. Abolendæ de Sepultur.*, & dixit *Rota dec. 145. num. 1.*
3 *cor. Ludovis., ibique Adden. n. 5.*; ac propterea cum in recensito Instrumento, nulla facta mentione proprietatis concessa legatur Cappella etiam cum jure Sepulturæ, concessum censeri debet illud tantum jus, quod concedi potuit, & sic jus Sepulturæ quoad usum, qui tantum per hujusmodi contractus transfertur, *Card. de Luc. de alienat. disc. 22. n. 5., & seqq.*, *Ventrigl. in Prax. Iurispatr. par. 1. annot. 2. n. 25., & par. 2. annot. 1. §. 4. num. 5.*, *Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 4. n. 10*, *Rot. dec. 1566. n. 2. cor. Pen.*, *& dec. 291. n. 2. cor. Coccin.*

4 Quin contrarium erui valeat ex clausulis *ad habendum*, aliisque importantibus translationem dominii adiectis in Instrumento concessionis; istæ enim referendæ sunt ad dominium illud improprium, & usuale, quod translatum fuit per concessionem controversi juris Sepulturæ, juxta naturam contractus, cui famulantur, & quem immutare, vel alterare non valent, *Rot. dec. 34. n. 13. par. 11.*, *& dec. 371. n. 5. par. 16.*, *& dec. 618. n. 5. par. 19. rec.*, *& in Fanen., seu Senogallien. Castri, & Bonorum Montis Portii 4. Aprilis 1710 §. Nec capax cor. R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore.*

5 Minus etiam ex secundo, videlicet ex defectu Beneplaciti Apostolici; cum enim auctoritas Episcopi de jure sufficiat ad validandam concessionem juris Sepulchri *Gratian. discept. forens. 210. nn. 3.*, *Lovor. Incubrat. tit. 2. cap. 8. n. 8.*, *Barbos. de Offic. Paroch. par. 3. cap. 26. n. 9.*, *Francesc. de Eccles. Cathedr. cap. 17. n. 46.*, *Genuens. in Prax. Archiepisc. cap. 41. n. 16.*, *Cortiad. dec. 160. n. 2.*, *Rota coram Cavaler. dec 15. n. 2., & dec. 163 n. 13. par. 17. rec.*, satis in
6 facto doceri visum fuit de illius interventu ex assertione in memorato Instrumento emissa ab ipsomet Capitulo, & Canonicis, qui expressè professi fuerunt devenisse ad concessionem Cappellę *etiam cum jure Sepulturæ virtute licentiæ sibi ipsis specialiter concessa, & attributæ ab Ẽmo Cardinali Spinula Episcopo Nepesino*; hujusmodi enim assertio dubitari non potest, quin contra ipsum Capitulum, & Canonicos asserentes, plenum gradum probationis constituat, ad firmata per *Rot. dec. 644. n. 4. coram Dunoz. jun.*, *& in rec. dec. 421 n. 7. par. 18*

7 Non attento, quod in parte proœmiali Instrumenti, in qua refertur facultas elargita Capitulo, nulla omnino fiat mentio de jure Sepulturę, sed tantum de Cappella, unde Capitulum inferebat sub ea comprachensam non fuisse facultatem distrahendi etiam jus Sepulchri, quod de jure sub conces-

cessio-

cessione Cappellæ non venit, juxta deducta per *Lotter. de re benefic. lib.2. quæst 4.n.7., & 21., Tondut. quæst. benefic. tit.1. cap.73. n.1., Adden. ad dec. Ludovis. 145. n. 8., Rot. dec.352. n.2. coram Ubald., & dec.653. n.5. coram Cerro, et dec.163. num. 12. part. 17. rec.*

8 Perpensum namq; fuit, quod in memorata parte procemiali relatus non legitur per extensum tenor ipsius licentiæ, sed tantùm substantialiter, quodque statim in parte dispositiva apertè concessa fuit Cappella etiam cum jure Sepulturæ sub specifica, & de novo prolata expressione, quod actus gerebatur vigore licentiæ eidem Capitulo specialiter concessæ, & tributæ ab Episcopo; in hujusmodi autem concursu declaratio enunciatæ facultatis potius ab actu gesto, & à parte dispositiva, quæ etiam jus Sepulchri compræhendit, quam à procemiali, quæ litteraliter illud non excludit, desumenda est, juxta regulam, de qua *Rot. dec. 542. n 4 coram. Ludovis., ibique Adden. n.12., et dec.265. n. 4. coram Otthobon., et in rec. dec. 292. n 11. par.10., et dec. 125. n 12., 26.*

9 *et 27. par.17.*; dum maxime non agitur contra Tertium, sed contra ipsum Capitulum, & Canonicos, qui sub assertione demandatę licentię Episcopi una cum Cappella, etiam jus Sepulturæ expresse concesserunt, quod utique fecisse ultra terminos delatę facultatis, ac in præjudicium jurium propriæ Ecclesiæ, præsumi non debet, *Spad. cons. 58. n.21., et seqq. lib.1., Rot. coram Cæsar. de Graff. decis.1.n.2. de reb.Eccles. non alienan., et dec.249. n 16. coram Dunoz. sen., et dec.528. n.7. cor.Seraphin., et dec.60.n.2. cor. Merlin.*

10 His omnibus accedit lapsus longissimi temporis quadraginta, & ultra annorum post celebratum contractum, quo stante intrat præsumptio interventus legitimæ facultatis, & consensus Ordinarii, ut in fortioribus terminis firmavit *Rot. coram Pen. dec.908. num.6., et coram Duran. dec.407 n. 9., et coram Cerro dec. 502. num. 12., et 13.*, dum

11 prsertim consensus prstari poterat ab Episcopo per actum separatum, quin imo

12 etiam præstitus verbaliter, sive tacite per actum negativum non reclamationis fuisset sufficiens *Card. de Luc. de alienat. disc. 22. n.4., Rot. dec. 222. n. 2., et 3., et dec. 223. n.3. par.1. d.vers., et in rec. dc 163. nu. 14. par.17.*

Denique nec retardari poterat constructio controversæ Sepulturę ex duplici alia

13 objectione, altera nempe, quod Cappella sita reperiatur in Præsbyterio, ubi congruū non est, quod Laici sepelliantur, & altera, quod in eadem Cappella desit extensio situs, & profunditas necessaria pro effodienda Sepultura; quod enim attinet ad primam, cum ex depositione plurium Testium compertum fuerit, quod Cappella licet constructa in eminentiori parte Ecclesię, itaut soli superficies planum pavimenti Presbyterii adæquet, adhuc tamen per intermedios parietes ab ipso Presbyterio intersecatur, ac dividitur, jam inde sequebatur, nullum considerari posse absurdum, quod in ea, utpotè extra Presbyterium consistente Laicorum

14 cadavera tumulentur: quod vero pertinet ad secundam, quidquid dictum fuerit in relatione Ordinarii, Domini censuerunt minime deficere situm sufficientem, dum Cappella usque ad fornicem Ecclesię subterraneæ, etiam juxta relationem Episcopi, est longitudinis palmor. 26., & latitudinis palmor. 17., ideoque demptis palmis octo cum tribus quartis, quos occupant Altare, & Scabellum, seu Suppendaneum ejusdem Altaris, remanet spatium palmor.17., & ultra, in quo satis commodè fodi potest Sepulchum, itaut juxta decreta Sacræ Congregationis Rituum, ejus ostium distet à scabello Altaris per sex palmos, & vacuum ipsius Sepulchri non intret sub eodem scabello: deferendo in hoc depositioni Testium Peritorum, qui Ecclesiam, & Cappellam ædificarunt, juxta deducta per *Rot.dec 959. n.3. cor. Dunoz., et dec. 773. n.2., dec.956. n.4. cor. Emer. jun.*

15 Non obstante, quod Cappella tempore concessionis non esset ejusdem capacitatis, quia dum ex nova ampliatione effecta fuit habilis pro Sepulchro, hoc sufficit, ut considerato præsenti statu perduci debeat ad effectum conventio inter Partes tunc inita, cum nova Cappella haberi debeat pro subrogata in locum antiquæ cum omnibus juribus, & prærogativis, & sic etiam cum jure Sepulturæ in ejus concessione nominatim, atque expresse elargita, ad tradita per *Rotam dec 463. per tot. coram san. mem. Gregor.*, ac benè probat *Posth. dec. Bonon. 57. n.6. et seqq.*

Et ita utraque.

ROMANA IMMISSIONIS. SUPER FRUCTIBUS.

Merc. 29. Aprilis 1722.

ARGUMENTUM.

In sequelam reportatæ victoriæ in Judiciis possessoriis fructus debentur à die reproductionis Monitorii, per quam reus in mala fide constituitur.

SUMMARIUM.

1 *Fructus veniunt in sequelam immissionis reportatę.*

2 *Amplia, si condemnatio ad fructus in sententia comprahendatur.*

3 *Fructus debentur à die reproductionis monitorii, ex quo succumbens ex introductione judicii in mala fide dicitur positus.*

4 *Fructus locorum Montium juxta Principis taxam liquidantur.*

5 *Fru-*

5 *Fructus Habilium ad tramites pentionnm, seù affictuum liquidantur,*

6 *Calculus aritmethicus probata probationis documentum constituit.*

D E C I S I O MCCCXVI.

Consecutivè ad immissionem super locis decem, & octo, ac centesimis 71. cum dimidio diversorum Montium, nec non etiam super fenili sito in ascensu S. Petri ad montem aureum, quam Conservatorio Puellarum S. Philippi Nerii, & SS. Sagramenti Urbis, tanquam vocato ad fideicommissum institutum à Laura Vulcana, prius obtinuerant ab A. C. Cincio, & deindè in hoc Sac. Auditorio in audientia diei 19. Febr. 1720. cor. Me adversus S. Pauli & alterum S. Mariæ Magdalenæ in Monte Quirinali detentores dictorum bonorum, congruum hodiè proposui dubium super fructibus, ad quorum restitutionem secundò dicta Monasteria tenentur, & Domini responderunt *liquidandos esse juxtà modum* infrà exprimendum.

1 Pro eo enim quod attinet ad obligationem in genere restituendi dd. fructus, nulla cadere poterat legitima dubitatio, tum quia illi debentur ex natura Judicii Immis-
2 sionis, in quo actum fuit, tum, & fortiùs, quia ad illorum restitutionem expressa adest condemnatio in sententia A. C. Cinci, quæ successivè in Sac. Rota confirmata fuit, undè cum succubentes liti renunciando memoratam sententiam, ac decisionem rotalem acceptaverint, nequit ampliùs in controversiam venire, quin ad illorum restitutionem adstringi debeant, ut aliàs respondit *Rota in Bononien. Fideicommissi de Grifonibus super fructibus* 1. *Julii* 1709. §. *Quo verò cor. R. P. D. meo Falconerio, & in Eugubina bonorum super fructibus* 27. *Maii* 1715. §. *Et quidem cor. Me*.

3 Tota itaque difficultas reduci poterat circa tempus, & quantitatem, sed quoad tempus, cum Domini in facto compererint, usque à die 2. Decembris 1715. fuisse reproductum monitorium, & exhibita in actis documenta, ex quibus succumbentes de jure actorum edocti fuerunt, facilè convenerunt in sensu, quod sicuti ab ea die per hujusmodi litis contestationem orta fuit in eis mala fides, ità quoque ab eo tempore fructus restituere tenentur, *Rot. in Romana restitutionis fructuum Junii* 1708. §. *Cæterum cor. bo. me. Ansaldo, & in Romana, seù Sutrina confinium super fructibus* 2. *Julii* 1707. §. *Quo enim cor. R. P. D. meo Herrera*.

4 Pari modo facilis quoque visa fuit liquidatio quantitatis, nam respectu locorum Montium, ducto calculo, à die motæ litis usque ad diem dimissæ possessionis juxta taxam, quam habent ex destinatione Principis statim apparebat illos ascendere ad
5 summam scut. 282. 63. respectu verò fenilis, cum ex Instrumento emptionis de eo factæ ab ipsa fideicommittente constiterit illud fuisse locari solitum pro annua pensione scutorum decem, meritò Domini censuerunt ad hanc quoque rationem esse condemnandos succumbentes in aliis scutis 50., itaùt illæ duæ partitæ unitim sumptæ, consti-
6 tuant in totum summam scut. 332. 63. juxtà calculum aritmeticum, qui probatæ probationis documentum constituit, ut inquit *Rot. in Fanen. Fideicommissi* 11. *Decembris* 1716. §. *Nec variationi, & in dicta Romana, seù Sutrina Confinium*, §. *Hic firmatis cor. R. P. D. Herrera*.

Et juxtà hunc modum, Monasterio S. Mariæ Magdalenæ non informante, & altero S. Pauli dilationem frustrà petente, responsum fuit.

LEOPOLIEN. MATRIMONII SUPER REMISSORIA, & POSITIONIBUS.

Lun. 4. *Maii* 1722.

A R G U M E N T U M.

Remissoria, si materia articulata non sit profutura, semper denegatur; sicut è contrà positiones, quando loco probationum stant, semper sunt admittendæ; quid verò agendum in materia gravi, utrum vel sub sygillio impressæ, vel apertæ dandæ sint, decidit sequens.

S U M M A R I U M.

1 *Articuli, quando non sunt profuturi, non sunt admittendi*.

2 *Testis unicus, & singularis in dicto, licèt formiter repetitus, ac si esset nobilis, & in dignitate constitutus nil probat*, & num. 4.

3 *Matrimonium consumptum, ut dicatur nullum, probationes undequaque certæ, & concludentes requiruntur*.

4 *Fides Parochi in re ad ejus Officium spectante plenæ probationis gradum constituit, & cuicumque privato testi præfertur*.

5 *Matrimonium non irritatur, si actui desponsationis unus ex testibus subscriptis non adfuisset, quando probatur adfuisse alter testis, cum fœmina, cujus præsentia illius absentiam supplet*, & nu. 6.

6 *Testis in actu Matrimonii potest esse qualibet persona rationis compos, & sic etiam fœmina*.

7 *Positiones, quando stant loco probationum, sunt admittendæ, cum probationes non sint angustiandæ*.

8 *Sunt admittendæ clausæ, ne alias, edita copia, respondens instruatur*; Intellige, ut in num. 10.

9 *Ampla etiam si agatur de muliere nobili, quando versantur in facto proprio respon-*

den-

dentis, paucis etiam actibus expleto.
10 *Ista praxis hodie servatur tantum in foro Capitolino.*
11 *Positiones captiosæ, oscuræ, & impertinentes sunt resecandæ.*
12 *Si captiosa ex parte dantis esse possent, & respondens posset instrui in responsionis actu, congruum est, ut prius sub oculis Judicis pertranseant, & postea sub sigillo impressæ respondenti exhibeantur.*
13 *Positiones, licet admissæ, quando causa cursum non debeant retardare?*

DECISIO MCCCXVII.

CUm Defensores Regii Principis Constantini in Audientia die 6. Martii proximè præteriti, non curantes informare super meritis causæ principalis, peterent per memoriale Remissoriam, & admissionem positionum ab eodem Domino Principe exhibitarum, Domini sequendo stylum à Tribunali servari solitum, rescripferunt in hac parte -- *Ad mentem*, quæ fuit, ut disputaretur super eis opportunum dubium, ut constat ex *decisione dicta die edita coram me § finali*. Parendo itaque mandatis Sacri Tribunalis, subscriptum fuit dubium -- *An sit concedenda remissoria, & an, & quomodò sint admittendæ Positiones*: Eoque hodiè proposito, responsum fuit -- *Quoad primam partem negativè, quo verò ad secundam affirmativè juxtà modum* infrà exprimendum.

1 Ratio, ob quam denegata fuit remissoria, in eo potissimùm stetit, quod probatio per eam facienda nihil proficere poterat Domino Principi ad causæ Victoriam, quo stante, nè aperiatur aditus inutilibus dilationibus, tàm in jure, quam in praxi receptum est, quod articuli non admittantur *leg. Probationem, ubi Paul. de Castr. num. 5. C. de probat.*, *Rot. dec. 56. num. 8. par. 15., & dec. 653. num. 7. par. 18. rec.* cum aliis *in Melevitana Successionis super Articulis 27. Junii 1701. §. Secundus coram bo. mem. Molines*, & in præcisis terminis *in Leodien. Matrimonii super Remissoria 29. Aprilis 1699. cor. cl. mem. Card. Priolo.*

2 Quod autem remissoria non esset profutura illicò evincebatur, ex quo res erat de unico teste, & singulari, qui licet formiter examinatus regulariter in Judicio nihil probat etiamsi fuerit nobilis, & in dignitate constitutus, ut pluribus adductis dixit *Rota in d. decis. Causæ super negocio principali §. Quod verò*. Longè autem minus quidquam relevare poterat in præsenti

3 casu; tùm quia cum agatur de materia gravissima, ac irritando matrimonio jam consumato, requiruntur probationes undequaque certæ, & concludentes *Rota dec. 630. n. 3. par. 3., & dec. 40. num. 10. par. 16. rec.*

4 Tùm quia depositio dicti Testis de diametro in hac parte adversatur Testimonio Parochi, quod in re ad ejus officium spectante, p'ene probationis gradum constituit, atque ideò cuicumque privato Testi præferri debet, *Rot. dec. 750. num. 10. par. 1. divers., & dec. 374. n. 3., & 7. par. 3., & dec. 779. n. 9. par. 18. rec.*

5 Tùm dènique quia, cum idem Testis fateatur, se fuisse præsentem actui celebrationis matrimonii, & una cum D. Comitissa Wesel, adfuisse etiam *una Damigella amica sua*, & ex fide matrimonii habeatur, illud contractum fuisse coram duobus testibus subscriptis, & aliis, quatenùs etiam probaretur non fuisse revera præsentem in præciso actu desponsationis Parisettum, alterum ex dictis duobus Testibus subscriptis, non indè tamen matrimonium irritari posset, dum istius defectus suppleretur eo casu ab interventu dictæ mulieris, ut in simili respondit *Rota dec. 374. n. 5. & 6. par. 3.*, quælibet persona rationis compos, & sic

6 etiam fœmina sit idoneus Testis in contractu matrimonii, *Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 41. n. 5., & seq.*, *Barbos. de Episcop. par. 2. alleg. 32. n. 138., & seq.*

Atque ex his absoluta prima dubii parte,

7 quod ad secundam attinet, nulla esse poterat difficultas, quo minùs positiones essent admittendæ, cum enim istæ stent loco probationum, & probationes nullo modo sint restringendæ *cap. Statuimus de confess. in 6.*, *Scacc. de judic. lib. 2. cap. 7. n. 84.* Hinc est, quod in praxi nunquam, aut ferè nunquam denegari soleant, ut tradunt *Scacc. loc. cit. num. 73.*, *Michalor. de Posit. cap. 32. num. 11 Rota dec. 783. num. 13., & seqq. par. 18. rec.*

Unica itaque difficultas, quæ in hoc superesset versabatur circa modum illas ad-

8 mittendi: Cum Defensores Domini Principis peterent illas transmitti clausas, & sigillo munitas, nè alias edita copia D. Comitissa ad respondendum instrueretur, juxta doctrinam *Bald. in l. Supplicare sub nu. 8. C., ut lit. penden.*, quam sequuntur plures lato calamo congesti per *Michalor. de Po-*

9 *sition. cap. 33. num. 1, & 2.*, quæ quidem juris communis dispositio locum habet etiam quando agitur de muliere, ut in casu, nobili, & Positiones versantur circa factum ejus proprium non involutum, aut intricatum, sed brevi tempore, & paucis actibus explicitum, juxta *decis. Perusin. Ludovic. 81. per tot.*

10 E converso verò defensores D. Principissæ sustinerent Positiones non aliter admittendas esse, quam apertas, & exhibita priùs in actis illarum copia, juxta inconcussam praxim servari solitam in omnibus Tribunalibus Urbis, Capitolino tantùm excepto, & præsertim in hoc Sacro Auditorio, sicuti testantur *Vestr. in prax. lib. 5. cap. 14. nu. 9. & 33.*, *Ridolphin. in prax. par. 1. cap. 10. num. 81.*, *Constantin. ad Statut. Urb. annot. 8. num. 183.*

Sed Domini pro eorum maturitate, & prudentia considerantes ex una parte, quod age-

agebatur de Muliere Nobili, & virilis animi, ac respondere debentis circa factum proprium respectu ipsius præ cæteris omnibus ejus gestis memoratu dignum, & ex alia, quod quatenùs in praxi receptum fuit, quod edatur copia Positionum, quia nempè
11 quatenùs illæ sint captiosæ, obscuræ, vel impertinentes, possint ad instantiam defensorum rei, & respondere debentis à Judice reservari, declarari, vel reiici, ex deductis per *Ridolphin. d. par. 1. cap. 10. nu. 9.* Hinc
12 propterea utendo arbitrio illo, quod Judicibus à lege tribuitur tùm in cæteris causis, tùm quoque in ista, de qua res est, ut notauit in specie *Constantin. d. adnot. 8. nu. 187.* magis congruum duxerunt ad effectum, ut sincera facti veritas ex responsionibus D. Principissæ eruatur, admittere positiones clausas, & sigillatas, postquam tamen ab aliquo ex Dominis, & Me tanquam Ponente examinatæ, & recognitæ fuerint, cum mediante hoc temperamento indemnitati utriusque Partis uberrimè consultatur;
13 & nè sub obtentu harum positionum longiùs quàm par est, resolutio principalis negocii protrahi debeat, addiderunt etiam rescripto clausulam illam -- *Non retardato cursu causæ*, ut alias in simili servavit *Rot. dec. 582. par. 1. rec., & cor. Carillo dec. 160, & coram Benincasa decis. 53.*, & sæpè alibi.

Et juxtà hunc modum partibus auditis, & omnibus Dominis una mecum suffragantibus responsum fuit.

NULLIUS, SEU SUBLACEN. IMMISSIONIS SUPER ARTICULIS.

Mercurii 6. Maii 1722.

ARGUMENTUM.

Remissoria, quando materia articulata est relevans, etiam post rem judicatam admittitur, præsertim si ista ex mero lapsu fatalium supervenerit, nec non succumbens extra locum permanserit, eademque materia in causæ cursu non fuisset discussa.

SUMMARIUM.

1 *Articuli in materia prophana semper sunt admittendi*; & ex quibus relevantes dicantur, & nn. 3. & 8.
2 *Testamentum nuncupativum, ut sit validum per relationem ad schedulam requiritur, quod hæc appareat consignata à defuncto, qui dixerit in ea contineri suam voluntatem coram septem testibus.*
3 *Articuli sunt admittendi tamquam relevantes adversus testamentum nuncupativum, si testes in eo adhibiti dicerent, neque schedulam fuisse à testatore consignatam Notario, neque ab illo ullum verbum prolatum circa continentiam suæ voluntatis in illa.*
4 *Remissoria adversus rem indicatam ex mero lapsu fatalium inductam facilius conceditur, quàm adversus rem judicatam ex merito exortam.*
5 *Amplia, si eadem articulata materia numquam fuisset discussa, aut examinata in præcedenti cursu causæ.*
6 *Subamplia, si exhibens articulos absfuisset à loco peractæ litis, adeout credi possit, quod probationes cumulare non potuerit.*
7 *Fides nuda Notarii in testamento nuncupativo non sufficit, quando in eo subscripti testes contrarium deponunt.*
8 *Amplia, si Testator dixisset, se nullum aliud condidisse testamentum.*

DECISIO MCCCXVIII.

Postquam Fratres de Bencivenchis impugnaverant Testamentum Mariæ Dominicæ sororis nuptæ quondam Bernardino Lucido ex duplici capite, altero nempe, ex quo idem Bernardinus hæres primo loco institutus ante ipsam Testatricem fato cesserat, & altero, ex quo ead Maria Dominica paulò ante ejus obitum coram Notario publico, & duobus Testibus, nullas, & invalidas declaraverat quascumque antecedentes dispositiones, quæ per ipsam factæ reperirentur in præjudicium hæredum legitimorum, & in utraque exceptione succubuerant per Sententiam Rotalem à R.P.D. meo Herrera latam, prævis Decisionibus, & ob lapsum fatalium iu judicatum transactam, promoverunt hodie aliá exceptionem circa identitatem schedulæ Notario consignatæ; ad quam probandam, exhibitis depositionibus quatuor Testium lo dicto testamento subscriptorum, opus fuit una cum dubio super negocio principa-
1 li, consulere Dominos, *An sint admittendi articuli*, qui, cum ageretur de materia profana, & relevanti, *Affirmativè* responderunt, juxta deducta per *Rot. dec. 149. n. 1. cor. Coccin., & dec. 152. nu. 1. cor. Merl., & dec. 826. n. 2. cor. Cerro*, & sæpe alibi.

Quod autem materia articulata esset relevans, vix erat ut in dubium venire posset.
2 Cum enim pro validitate testamenti nuncupativi nuncupatione implicita per relationem ad schedulam omnino de jure requiritur, quod defunctus illam Notario consignaverit, atque in ea asseruerit suam contineri ultimam voluntatem coram septem testibus, juxta *Text. in l. Hac consultissima §. Per nuncupationem Cod. de testam., Rot. cor. Cerro dec. 854. n. 7., & dec. 885. num. 6. & cor. bo. me. Ansald. dec. 22. n. 2., & in rec. dec.*
3 *149. n. 2. seqq. p. 17.* Jam ex inde de plano consequebatur non nisi relevantem dici posse materiam articulatam, dum dd. Testes deponunt, & articuli quoque continent, neque schedulam fuisse à Testatrice Notario consignatam, neque ullum ab ea prolatum fuisse verbum, quod in eadem schedula ejus ultima voluntas contineretur, ut in specie dixit *Rota d. dec. 826. sub n. 4., & decis. 854. n. 7. cor. Cerro.*

Neque obstare visum fuit, quod remisso-

ria peteretur post inductam in causa rem
judicatam, vel quod materia articulata de
directo adversaretur assertioni factæ per
Notarium in rogitu consignationis. Quod
4 enim attinet ad primam objecti partem, duplex occurrebat responsio, altera nimirum, quod in casu non agebatur de re judicata inducta ex tribus sententiis conformibus, sed de re judicata exorta ob non interpositam in tempore appellationem, in quibus terminia, mitius cum succumbente agendo, facilius concedi solet remissoria, ad ea, quæ distinguendo inter unam, & alteram rem judicatam tradit *Rot. dec.409. n.3. p.3. recen.*
5 Altera verò quod materia articulata nunquam discussa, aut examinata fuerat in præcedenti sententia, & re judicata, unde nulla esse poterat suspicio calumniæ, aut quod admissio articulorum peteretur ad differendam causæ expeditionem, ut aliàs dixit *Rot. dec.979. sub num.8., & seq., & dec. 995. n.18. cor. Dunoz. jun.*
6 Certiùs autem, quia Fratres de Bencivenchis non adeo promptè de veritate rei gestæ instrui poterant, cum semper absuerint à Terra Sublaci, in qua testamentum factum fuit, ac præterea in prima instantia coram A. C. opus minimè habuerunt super hujusmodi exceptione exactiores facere diligentias, dum ex capite caducationis favorabilem in d. Tribunali sententiam obtinuerunt, unde non erat illis imputandum, quod nonnisi post sententiam R. P. D. mei Herrera hanc exceptionem allegaverint, ut in specie aliàs respondit *Rot. dec.354. n.7. p.8. rec.*

Quod verò pertinet ad secundam objecti
7 partem, DD animadvertebant, in hac materia testamentorum, tamquam fraudibus valde exposita, leges non adeo confidere de Notario, ut ejus sola assertione sint contentæ, ac propterea, quatenus testes in eodem testamento adhibiti, & subscripti contrarium deponant, soli Notario deferendum non venit, *Rot. cor. Priolo, dec.315. n.2., & dec. 360. n.7., & dec. 404. num.12., & seqq.*
8 *p.13., & dec.149. n.4. p.17. rec.* Dum præsertim in casu contra assertionem Notarii urget etiam declaratio à Maria Dominica solemniter emissa, quod ipsa nullum condiderat testamentum, ex qua sane, sicuti non levis exoritur fumus, quod ita re vera se res habeat, ita quoque facilior sternitur via pro admissione articulorum, *Rot. coram Seraph. dec.298. sub n.3., dec. 217. nu.1., & dec 249. n.9. p.18. rec.*

Et ita utraque &c. audita. ac dilata interim resolutione quoad aliud dubium contemporaneè propositum super negocio principali responsum fuit &c.

URATISLAVIEN. JURIS APPROBANDI CONFESSARIOS,

Lunæ 11. Maii 1722.

ARGUMENTUM.

Hæc est aliarum duarum confirmatoria, unius nempe sub die 17. Junii 1720., & alterius sub die 10. Decembris 1721. emanatorum.

Confessariorum approbatio, sive sint electi ad audiendas confessiones laicorum, sive Regularium personarum ad Episcopum pertinet, privativè quoad quascumque alias inferiores Ecclesiasticas Dignitates, etiamsi essent Confessarii, qui ab illis institui, & ad nutum destitui solerent.

Papa, quando per posteriorem Constitutionem legem universalem indicere intellexit, cuicumque, & si speciali mentione digno privilegio derogasse censetur.

Quadragenaria præscriptio satis non est, sed requiritur centenaria ad abrogandas facultates Episcopi super approbatione Confessariorum; & immemorabilis ut per testes dicatur concludenter probata, quid requiratur, declarat sequens

SUMMARIUM.

1 *Approbatio Confessariorum pertinet ad Episcopum.*

2 *Etsi sint electi ad audiendas confessiones Secularium, sive Regularium, atque Monialium, juxta Concilium*, & n.5.

3 *Amplia, ut talis approbatio Confessariorum Regularium, sive Monialium, neque spectare possit ad Abbates, sive Superiores istorum Ordinis*, & nn.4., 5., & 9.

6 *Privilegia Apostolica posteriora anterioribus privilegiis derogare censentur*; amplia, ut in n.seq.

7 *Derogatio concepta sub expressione, ut etiam privilegia illa, quæ speciali, & individua mentione indigerent abrogata remanerent, ad quæcumque, cujusvis generis privilegia, censentur extensa.*

8 *Amplia, si Papa professus sit cum tali posteriore Constitutione legem universalem indicere, quæ derogationem specificam secum fert.*

9 *Confessarii Monasteriorum etiamsi ab Abbatibus istorum possint institui, & destitui, non inde tamen sequitur, quin eorum approbatio spectet ad Ordinarium, & quare?*

10 *Approbatio Confessariorum non adempta in litteris Apostolicis, censetur reservata Episcopo.*

11 *Privilegia Apostolica sunt ita interpretanda, ut Ordinarii jurisdictio minus diminuatur.*

12 *Transactio per simplices illationes non extenditur ad ea, de quibus non esset loquuta, cum transactionis natura sit, strictiorem interpretationem recipere.*

13 *Actus particulares simplicis dignitatis, vel jurisdictionis Episcopalis, mediante præscriptione possunt fieri separabiles ab Episcopo favore Prælati inferioris, vel Abbatis Regularis.*

14 *Præscriptio non est allegabilis adversus jus approbandi Confessarios privativè pertinens ad Episcopum.*

15 *Præscriptio non habet locum, quando fundatur super titulo colorato, & expresso, ex quo potiùs mala fides oriatur, quæ numqaam præscriptionem induceit.*

16 *Amplia, quando præscriptioni actus pertinentis ad Episcopum obstat iuris communis dispositio.*

17 *Præscriptio quadragenaria cum titulo colorato non sufficis adversus Constitutionem Apostolicam eum decreto irritanti conceptam.*

18 *Consuetudo immemorabilis non potest allegari adversus Constitutionem Gregorianam, attento decreto Concilii*, quod hìc refertur.

19 *Ut cum alleganti prosit, iste tenetur eam concludenter probare.*

20 *Non probatur per testes inducentis servitio addictos.*

21 *Neque per eos, qui non deponerent eum requisitis* Glossæ in cap.1. verb. memoria de præscript., & quę ista sint requisita, habes in num.seq.

22 *Probatur bene per testes contestes deponentes ita servatum vidisse quadraginta annos ante motam litem, ito audivisse à maioribus, nilque in contrarium umquam vidisse, aut audivisse firmatum, & hanc esse publicam vocem, & famam.*

23 *Limita, si non essent contestes, vel se referrent ad privilegia, quæ in facto non subsisterent, vel per verbum* nescio *responderent, vel coarctatam negativam non concluderent.*

24 *Prescriptio ex quolibet actu adversativo non solùm, sed etiam ex simplici rumore in contrarium interrumpitur.*

25 *Consuetudo immemorabilis ad quadraginta annos restricta, satis non est ad restringendam Jurisdictionem Episcoporum: sed requiritur centenaria.*

DECISIO MCCCXIX.

TRiplici concordi resolutione definitum fuerat, jus approbandi Confessarins pro audiendis Confessinnibus Monialium Monasterii Trebinicensis spectare ad Rm̃um Episcopuus Wratislaviensem, non vero ad Abbatem Lubensem, plenè discussis etiam juribus prætensæ immemorabilis, super qua idem Abbas, obtenta remissoria, examinatiiq e formiter Testibus principaliter insistebat in postrema propositione, *ut ex decisionibus editis diebus* 3. *Februarii* 1719. *cor. bon. mem. Ansaldo*, 17. *Junii* 1720., & 10. *Decembris* 1721. *coram Me.* Verùm, ut in præsenti controversia Votum nostri Auditorii Sacr. Congregationi Concilii extradendum non sine matura discussione, ut par est, prodiret, concesia per DD. nova audientia eidem Abbati Lubensi, iterum proposui dubium -- *An sit standum, vel recedendum à decisis* -- & cum fundamenta editarum decisionum undique subsistentia comperta fuerint, responsum habui pro persistentia *in decisis*.

1 Siquidem etiam hodie recognitum fuit, Reverendissimum Episcopum fundatam habere intentionem in juris assistentia generalem ipsi tribuente facultatem approbandi in ejus Diœcesi idoneos Sacerdotes, qui Christifidelium Confessiones recipiant, prout cautum est *in cap. inter cætera* 15 §. *Unde præcipimus de offic. Jud. Ordin.*, & *in Clem. dudum* §. *Ac denique de sepultur.* Et magis
2 distinctè pro approbandis Confessariis sive Sæcularibus, qui excipere valeant Confessiones tam Sęcularium, quàm etiam Monialium, Episcopus fundatam habet intentionem, tum in dispositione Sacrosanctæ Synodus Tridentinæ *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.*, & *sess.*25. *cap.*10. *de regul.* tum, & clarius in notissima Constitutione *sa. mem. Gregorii XV.*, quæ incipit *Inscrutabili Dei Providentia la* 18. *inter suas Bullar. tom.*4. Et
5 propterea his stantibus Abbas Lubensis in præjudicium Reverendissimi Ordinarii nullo modo valet sibi arrogare jus approbandi Confessarios d. Monasterii Trebinicensis, ut inhærendo dispositioni Conciliari firmat *Borbos. in collect. ad d. cap.*15. *n.* 2. & *seq.*, & *de offic.*, & *potest, Episc. p.*2. *allegat.*25. *à n* 1., & *per tot.*, *Tamburrin. de jur. Abb. tom.*2. *disput.*6. *q.*12. *à n.*1. *cum plur. seqq.*, & in terminis dictæ Constitutionis *Antonell. de regim. Eccles. cap.*12. *n.*10., *Pax Jordan. Lugub. lib.*7. *tit.*12 *de Monial. n.*201. *Card. de Luc. de jurisd. disc.*32. *n.*3.

4 Quod absque difficultate procedit, etiamsi dd. Moniales Monasterii Trebinicensis sint subjectæ d. Abbati Lubensi, ac Ordini Cisterciensi, quia licèt aliàs controversum fuerit, an ex iuris dispositione, & ex Concilii Tridentini decretis Ordinarius possit approbare Confessarios Monialium, quæ subjectæ reperiuntur Regularibus ex traditis per *Barbos. de offic. & potest. Episc. p.*2. *allegat.*25. *num.*68. *cum trib. seqq.*, & *de jur. Eccles. univ. lib.*1. *cap.*44. *nu.*181., & *seq.*,
5 ex dicta tamen Constitutione Gregorii XV. sublata fuit quęlibet dubietas servata Ordinariis facultate approbandi Confessarios etiam quoad Moniales Regularium Ordini subjectas, ut expressè sancitum legitur in §. 5. *einsdem Constitutionis vers. Confessores verò*, & consentaneè ad illam notat *idem Barb. de offic. & potest. Episc. p.*2. *alleg.*25. *n.*71. *cum duob. seqq. de Jur. Eccles. univ. lib.*1. *cap.* 44. *nu.* 183., *Lotter. de re benefic. lib.*1. *q.*24. *n.*70. & *seq.*, Antonell. *de regim. Eccles. lib.*7. *d. cap.*12. *n.*10., *Pauimoll. decis.*84 *adnot.*1. *n.*29.

Absque eo quod ad destruendam intentionem

tionem ex his constabilitam favore Reverendissimi Episcopi relevare possint tituli per d. Abatem Lubensem desumpti, sive ex privilegiis Ordinis Cisterciensis, sive ex antiqua transactione inita de anno 1677. cum clar. mem. Card. Langravio de Hassia tunc temporis Episcopo Wratislaviensi, sive demum ex legitima præscriptione deducta, vel ex quadragenaria cum titulo colorato, vel ex immemorabili.

Etenim DD. distinctè reassumentes discussionem singularum exceptionum, quod
6 attinet ad allegata privilegia, ex illis ademptum dici non posse putarunt jus Reverendissimi Ordinarii; procedendo enim cum temporis distinctione in præteritis causæ resolutionibus adhibita, nullo modo prodesse visæ sunt litteræ Apostolicæ Honorii III., Innocentii V., S. Pii V., & Gregorii IX., cum namque istæ sint anteriores Gregoriana Constitutione, absque dubio cadunt sub ejus revocatione, quia in illa Summus Pontifex generaliter, & amplissimè derogavit quibuscumque privilegiis, quę per Superiores Regulares etiam exemptos possent adduci, ut patet ex *littera ejusdem Constitutionis*, *&* *tradunt auctoritates superiùs recensitę*.

7 Et huic generali Privilegiorum revocationi certè subiacent præfatæ prædecessorum Pontificum Constitutiones, etiamsi san. mem. Gregorius IX. Ordinem Cisterciensem eo jam decoraverit Indulto, quod ex litteris Apostolicis nullum eidem Ordini præiudicium irrogatum censeatur, nisi in eis specialis ejusdem mentio facta fuerit; cum enim in derogationum materia totum operetur ipsa Pontificis mens, utique eo ipso, quod san. mem. Gregorius XV. in ejus posteriori Constitutione devenit ad revocationem quorumcunque Privilegiorum ibi -- *Etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis specialis, ac individua mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset* -- ex hac verborum amplitudine dubitari non potest, quin sufficientèr derogatum fuerit Privilegiis per dictum Abbatem exhibitis, etiamsi de istis specialis expressio facta non fuerit, ad tradita per *Felin. in cap. nulli n. 4. de rescript. Card. Albit. penes Card. de Luc. de jurisdiction. disput. 2. quæst. 9. num. 5. Rot. coram Mohedan. dec. 1. de rescript.*, *& coram dicto Summo Pontifice dec.* 109.
8 *n. 10. & sequen.* Maximè quia dictus Summus Pontifex in ejus posteriori Constitutione indicere professus est legem universalem, quo casu ipsa lex universalitèr promulgata, sicuti operatur, ut de Principis derogantis voluntate dubitari nequeat, ita pariter necessitatem remover specificæ derogationis, *Card. Albit. penes Card. de Luc. de Iurisd. disput. 2. d. qu. 9. nu. 2.*, *Rot. coram Put. dec. 164. n. 2. lib. 2. coram Buratt. dec.* 390. *n. 5. in recent. dec. 8. n. 9. par. 1. cum aliis relatis in præcedentibus Causæ decisionibus*, *& signanter in secunda §. Neque obstat*, *& in postrema §. Quantum attinet coram Me*.

9 Privilegium vero desumptum ex Indulto *san. mem. Alexandri VII.*, qui ut legitur *in Constitutione la* 168. *inter ejus impressas in Bullar. tom. 6.* PP. Cisterciensibus impartitus est facultatem *instituendi*, *ac destituendi* Confessarios pro Monialibus eorum Ordini subiectis, nihil pariter ad intentum Abbatis concludere visum fuit, quia licet dicta Constitutio sit tempore posterior altera Gregoriana superius recensita, nihilominùs perscrutata littera, per eam nil aliud sancitum fuisse videtur, nisi quod liceret Abbati Generali, & quatuor primariis Abbatibus instituere, & destituere Confessarios pro Monialibus eorum Ordini subiectis: quæ sane facultas bene quidem dat illis potestatem deputandi Confessarios ad eorum nutum quandocumque amovibiles, sed non etiam adimit Episcopo actum auctorizabilis approbationis, quæ illi privativè quoad omnes à SS. Canonibus, & Pontificiis Constitutionibus reservatur, ut probant tradita per *Lotter. de re benefic. lib. 1. quæst. 25. num. 24. & sequen. Rot. in recent. dec. 287. num. 19. cum duob. seqq. par. 18.*, & in præcisis terminis facultatis instituendi, ac destituendi dixit eadem *Rot. in rec. dec. 181. n.* 28. *par.* 12.

10 Quinimo dum actus controversæ approbationis expresse adeptus non fuit in dicta posteriori Constitutione Alexandri VII., potius censeri debet favore Episcopi reservatus, ut monent *Ancharan. in cap. postulasti n. 45. vers. quidquid de for. comp. Marant. respons.* 81. *n. 44. Francesc. de Eccles. Cathedr. cap. 30. n. 129. Rot. apud Tamburr. de Iur. Abb. dec. 55. n. 7. in recentior. dec.* 70. *nu. 32. par. 13. cum aliis in Tarraconen. Iurisdictionis* 10. *Maii* 1700. *§. Multoque*
11 *minus coram bon. mem. dell' Olmo*; cum in hujusmodi Privilegiis semper ea sumenda sit interpraetatio, per quam Ordinarii Jurisdictio minus diminuatur, *ad Text. in cap. sane 9. ubi DD. de privileg. Franc. de Eccles. Cathedr. cap. 30. nu. 130. & sequen. Pignatell. consult. 164. n. 7. tom. 4. coram Coccin. decis. 2252. num. 7. coram Ottbob. dec. 175. n. 12. & in rec. dec. 287. n. 23. par. 18.*

12 Nec majoris efficaciæ reputari poterat alius titulus desumptus ex concordia anni 1677., quia, ut admittebant Defensores ipsius Abbatis, ejus littera non comprehendit Confessarios approbandos pro audiendis Confessionibus Monialium, unde vanum erat per simplices illationes contendere de comprehensione etiam dicti Juris in contractu minimè expressi, quia tam attenta qualitate rei, quam etiam ipsa Indole, ac natura transactionis strictiorem recipientis interpretationem, sat est, quod de controversa approbatione nulla habita fuerit mentio, quodque Jus Ordinario assistens explicitè non legatur dimissum, ut apud ipsum illæsum remaneat, ut in terminis similis concor-

cordię bene respondit *Rot. in recentior.*
*dec.*62. *n.*3. *& sequen.*, *& dec.* 168. *per tot.*
par. 1. *dec.*181. *n.* 22. *& seq. par.* 12. *& cor,*
*Royas dec.*218. *n.*11.
13 Ejusdemque irrelevantiæ visum quoque
fuit postremum præscriptionis præsidium;
licet enim regulariter actus particulares,
qui non sint Ordinis, sed simplicis Dignita-
tis, vel Jurisdictionis Episcopalis, sint, me-
diante præscriptione, separabiles ab Episco-
po favore Prælati inferioris, ut de Abbate
Regulari docet *Textus in cap. cum olim.*18.
de præscript. Murg. de Benefic. quæst. 3. *n.*
101. *Barbos. de offic. & potest. Episc. par.* 3.
*allegat.*72. *n.*185. *cum aliis in Burgen. Iu-*
risdictionis super commissione Curæ 26. *Iu-*
nii 1715. §. *Et quidem coram Reverendiss.*
14 *Crispo*; nihilominus in casu, de quo agi-
tur, inutiliter sub hoc clypeo laborabat
Abbas Lubensis, dum seposita pręscriptio-
ne, quæ ejus favore inducta dici posset *ante*
dispositionem Sacrosanctæ Synodus Triden-
tinæ, & Gregorianæ Constitutionis, quevè
tamquam litteraliter cadens sub explicita
derogatione utriusque sanctionis, procul du-
bio opponi non poterat, ex notatis per *Bar-*
bos. ad Concil. d. cap. 15. *num.* 54. *de refor.*
mat. Rot. in recent. dec. 332. *n.*2. *par.* 1. *de-*
cis. 655. *nu.* 2. *&* 3. *par.* 3. *& dec.*287. *n.*10.
par. 8.
15 Strictè quod attinet ad assertam pręscri-
ptionem inductam *post dictam Constitutio-*
nem san. mem. Gregorii XV., utique sive
inspecta quadragenaria cum prętenso titulo,
sive etiam immemorabili, undequaque de-
bilis remanebat prætensio dicti Abbatis:
quod enim attinet ad quadragenariam, ultra
quod tam Constitutio Alexandri VII, quam
dicta concordia inita de anno 1677. allega-
ta pro titulo colorato, & putativo de se satis
continent titulum expressum absque exten-
sione ad actum controversæ approbationis,
quo in casu pro effectu præscribendæ Juris-
dictionis titulus putativus ob malam fidem
ex ejus lectura resultantem non suffragatur
ad notata per *Gemivian. cons.* 96 *n.*4. *vers.*
sed quoties, *Gratian. discept.* 918 *num.* 41.
& 49., *Rot. in recentior. dec.* 324 *num.* 7.
& sequen. par. 1. *dec.* 468. *n.* 7. *part.* 5. *cor.*
Bich. dec. 221. *n.*17. *& seq. dec.* 334. *nu.* 24.
cum seqq. cum aliis in Burgen. Iurisdictio-
nis super remissoria 19. *Februarii* 1714. §.
Quadragenaria cor. R. P. D. Falconerio.
16 Cessabat insuper in casu quælibet difficul-
tas, quia quidquid sit quando præscriptioni
actus ad Jurisdictionem Episcopalem perti-
nentis solum resistit Juris communis dispo-
17 sitio, illud utique certum est, quod quan-
do, prout in hypotesi resistit etiam aliqua
specialis Constitutio cum decreto irritanti,
tunc absque dubio quadragenaria cum titu-
lo colorato non suffragatur, ad *Text. in cap.*
cum personæ, *& ibi glos. verb. canonicam de*
privileg. in 6. *Abb. in cap. Auditis* 25. *nu.*
23. *de pręscript. Gratian. discept.* 918. *n.*43.
Rot. coram Bich. decis. 221. *n.* 19. *cum aliis*
in Abulen. Cappellaniæ 31. *Ianuarii* 1718. §.
Ex quibus coram Me, cum ejusmodi de-
cretum de sui natura inficiat usque à princi-
pio quemcumque actum, ex quo Inferior
initium præscriptionis deducere valeat, ut
in proposito tradit *Garz. de benef. quæst* 5.
*cap.*4. *num.* 177. *coram Baratt decis.*6. *n.* 3.
*in recent. dec.*618. *n.*24. *par.* 5. *dec.* 105. *sub*
n. 16. *et sequen. par.* 17. *cor. Emerix iunior.*
dec. 1241. *n* 8., *et in Colonien. Canonicatus*
S. Ursulę. 10. *Ianuarii* 17 8. §. *Haud rele-*
vante cor. R. P. D. Foscaro.
18 Quod vero pertinet ad prætensam imme-
morabilem, omissa quæstione, an ea oppo-
ni valeat adversus Constitutionem Grego-
rianam, attento præsertim decreto Sac. Con-
gregationis Concilii *in Carducen* 12 *Iunii*
1658. *relat. per Monacell. in Formul. legal.*
tom. 2. *formul.* 15. *tit.* 15. *num* 6. *fol.* 190.,
DD. denuo censuerunt Abbatem Lubensem
in hoc puncto necessariis deficere probatio-
19 nibus; retenta enim regula, quod allegan-
ti immemorabilem consuetudinem incum-
bit onus eam concludentissime justificandi
Rot. coram Bich. decis. 324. *num.* 8. *coram*
*Dunoz jun. dec.*454. *n.*7. *et in rec. dec.* 334.
n. 11. *par.* 18.
20 Profecto huic oneri minime satisfecisse
videbatur Abbas mediante *examine for-*
mali octo Testium contentorum in Processu
Remissoriali; etenim ultra personales ex-
ceptiones, quas patiuntur, ex quo duo sunt
abiectæ conditionis Artifices, & reliqui
sunt Moniales, & Monaci ejusdem Ordinis
Cisterciensis, & sic personæ eidem Abbati
21 subiectæ; pręterea minime deponunt cum
requisitis notissimæ *glossę in cap.* 1. *verb.*
memoria de pręscript. in 6., quod scilicet ipsi
22 ita servatum viderint per annos 40. ante
motam litem, quod ita servatum audierint
à suis Majoribus, qui ab aliis idem audierint,
absque eo quod quidquam in contrarium
audiverint, aut firmari intellexerint testan-
tes de publica voce, & fama per verba tam
præsens, quam pręteritum tempus compre-
hendentia, & propterea his deficientibus
vana redditur exceptio immemorabilis ex
testibus deducta, ut consentaneè ad *Gloss.*
*notant. Adden. ad Baratt dec.*673. *sub n* 7.
in recent. dec. 430. *n.*5. *par.* 18. *coram Bich.*
*dec.*328. *nu.*8. *& in Brundusina Præemi-*
nentiarum 20. *Martii* 1719. §. *Probationes*,
& §. *Super cæteris coram R. P. D. Her-*
rera.
23 Enim vero sicuti plenè ponderatum fuit
in postrema decisione hujus Causæ §. *Quam-*
quam cum seq. alii ultra defectum legitimæ
ætatis sese retulerunt ad Privilegia Ordinis
Cisterciensis, alii interrogati circa modum
faciendi controversas approbationes, fassi
sunt nescire; unde nequeunt concludere im-
memorabilem, quæ non admittit initii me-
moriam, exigitque probationem undequa-
que completam, & testes in omnibus con-
testes, ac univocos, ex traditis per *Rot. in*
Carpentoraten. Jurisdictionis 15. *Martii*
1706.

1706. §. *Non ommittentes coram bon. mem. Omanna, & in Policastren. Subventionis 27. Junii 1707. §. Agnita, & §. Mandata cor. Emo Scotto.*

24 Prætereà ex dd. Testibus desumi nullo modo potest negativa coarctata, nimirum, quod per annos 40. non viderint, nec audierint quidquam in contrarium; cum namque à 20. circitèr annis ultimo loco effluxis habeantur positivæ licentiæ per ipsum Reverendissimum Episcopum in scriptis emissæ pro Confessariorum approbatione, cum explicita clausula -- *Exceptis Monialibus* -- præservatio hujusmodi absque dubio destruit d. necessarium requisitum Immemorabilis, quæ, ut certum est, non solum ex quolibet actu adversativo, sed etiam ex simplici rumore in contrarium remanet exclusa *Rot. coram Emerix Jun. dec. 395.n.17.cor. Bich. dec. 290. n. 3. in Carpentoraten. Jurisdictionis 15. Martii 1706. §. Non omittentes coram bon. mem. Omanna, & in Brundusina Præbeminentiarum 20. Martii 1719. §. Cujus profectò coram R.P.D. Herrera.*

25 Et denique omnis in hac re dubietas removetur, quia cum agatur de acquirenda Jurisdictione Episcopo, ut supra, præservata, certe immemorabilis non aliter concludi potest, quam per actus centum annorum metam attingentes, *ad Text. in cap. unica de consuetud. Card. de Luc. de Regul. disc. 7. n.5., Rot.in rec. dec.91. n. 10.par.14.*, & tamen in casu præsenti, sumpto initio à dicta Gregoriana Constitutione edita de anno 1622., apertè deficit lapsus iste centenarius, quia dempto tempore moræ litis, ac alio quo Reverendissimus Episcopus in Confessariorum approbationibus adhibuit d. clausulam -- *Exceptis Monialibus* -- vix numerantur anni 80., qui propterea nequeunt allegari pro verificanda Immemorabili, ut præter allegatos *in d. postrema causæ Decisione §. fin.* optimè advertit *Rot. in Illerden. Juris mulctandi super negocio principali 23. Ianuarii 1702. §. Minus acquirere cor. bon. mem. Muto, & in Salisburgen., seu Chiemen. Testimonialium 20. Iunii 1704. §. Restricta igitur coram Eminentissimo Scotto.*

Et ita utraque &c.

BONONIEN. MANUTENTIONIS.

Ven. 15. Maii 1722.

ARGUMENTUM.

Legitimæ, & Trebellianicę prohibitio, etsi effrenatis verbis à testatore iniuncta, ad propria tamen credita hæredum adversus eundem non extenditur.

Dos, quando super bonorum fructibus assignatur, isti illius loco stare dicuntur, adeout, soluto matrimonio ad eos omnes restituendos viri hæreditas teneatur; secus vero si Dos in mero jure illos percipiendi consistat, quo casu ad virum pertinent, nec eos unquàm tenetur restituere, nec non quando, & ex quibus dotans de primo dotandi modo non intellexerit, sed de secundo, hic distinctè refertur. Legalis ususfructus in bonis fideicommissariis filio obventis, ex onere isto imposito testatoris nomen & insignia assumendi, an dicatur Patri prohibitus?

SUMMARIUM.

1 *Prohibitio quidquam detrahendi ex sua hæreditate à testatore hæredibus continuo iniuncta post prohibitionem legitimæ, ad deductiones quotitativas, & similes refertur, non vero ad credita, & jura propria hæredum*, & num. 3.

2 *Amplia, quando testator omnia de genere detractionum accidentalium, & quantitativarum nominatim præservasset, itaut exceptio declararet regulam*, & n. 3.

4 *Manutentio multo magis danda illi est, cui, si ageret ad immissionem, hac ratione boni juris eidem denegari non posset.*

5 *Dos constituta super jure incorporali exigendi fructus, operatur, ut, soluto matrimonio, nil sit per virum restituendum.*

6 *Fructus bonorum dotalium ad virum pertinent.*

7 *Dotis augmentum censetur assignatum super commoditate exigendi fructus tantum, quando dotans se relative habuit ad testamentum illius, qui talem commoditatem revera reliquit, licet diversimode esset loquutus*, & quare?

8 *Actus subsequens primo relativus, ab isto declaratur.*

9 *Ususfructus fundi dicitur in legatum relictus, si testator dixerit se deferere legatario omnes suorum bonorum fructus illius vita durante.*

10 *Legatum super fructibus relictum, ut plurimum, in ore testatorum stat pro legato ususfructus*, & num. 11.

11 *Testator fructus dans, atque legans, ea verbo dandi, legandique, potestatem facit legatario sumendi, & vindicandi ipsos fructus.*

12 *Loquendo de fructibus suæ hæreditatis, quod intellexerit de usufructu, probatur, ex quo jussisset, ut fructus decursi post obitum heredis usufructuarii, una cum proprietate, & dominio ad substitutos devolverentur.*

13 *Amplia, si eisdem neptibus legatariis injunxisset onus custodiendi, & melioran di eadem bona, de quibus fructus percipere deberent, eandem potestatem contulisset viris, quibus eædem nuptæ forent.*

14 *Subampl.a, si testator fuisset Iurisperitus, ut per consequens præsumendus sit, eum scivisse, quod si neptibus legasset fructus, perinde fuisset, ac si usumfructum eis reliquisset.*

15 Le-

15 *Legatum usasfructus, & legatum bonorum inter se differunt.*

16 *Dos assignata super Iure percipiendi annuos redditus, in isto jure consistere dicitur, adeout redditus percepti ad virum pertineant, solutoqae matrimonio talejas ad mulierem devolvitur.*

17 *Dotis augumentum an consliterit ex mero usufructu non restituendo, seu ex annuis redditibus sluto matrimonio per virum restituendis, ab observantia inter heredes detenta declaratar*, & hæc ex quibus desumatur, ac amplia, ut in n 18.

18 *Heres contra factum proprii auctoris veninire probibetur*, & n.20.

19 *Pater (quidquid sit in puncto Iuris) non tenetur restituere fructus prceptos de fideicommisso, ad quod vocatur filia cum onere assumendi nomen, & insignia fideicommittentis, si in actu dotationis, talia jura ei fuissent à filio remissa.*

22 *Melioramenta non detrabuntar ex fideicommisso, si eoram deractionem testator probibuisset, istorumque onus in possessores contulisset.*

22 *Detractiones turbide ex fideicommisso non posiunt evelli.*

23 *Clausula* juxta modum *rescipto aliquoties additur per Rotam, etiam in eo casu, quo, ob suffragiorum scisturam, resolutio non potest oriri.*

DECISIO MCCCXX.

ADversus gemina Judicata, quorum alterum in Partibus, & alterum in Curia coram A. C. prodierant super manutentione favore Marchionissæ Elisabeth filiæ, & hæredis Marchionis Constantii de Bentivolis, commissa mihi ex Audientia Sanctissimi ad instantiam Marchionis Bartholomæi de Bobus ulteriori causæ cognitione cum facultate manutenendi quem de jure, proposui in Rota diei 31. Januarii 1721. consuetum regulare dubium -- *An, & cui sit danda manutentio* -- verum dilata ea die resolutione rescriptum fuit, ut videretur de bono Jure, etiam ad effectum manutentionis. Quamobrem hodie iterum consului DD. super dubio in Audientia diei 21. Martii ejusdem anni 1721. ob petitam à Marchionissa dilationem non resoluto -- *An scilicet, & de cujus bono Iare constet etiam ad effectum manutentionis* -- & responsum fuit -- *Constare de bono Iure Marchionis Bartholomęi juxta modum infra explicandam*.

Fundamentum autem resolutionis minime stetit in eo, quod Marchionissa Elisabeth opponere nequiret detractiones quantitativas sibi competentes, sicuti innixi cuidam prohibitioni à Philiberto Fideicommittente ejus hæredibus indictæ præliminariter substinebant Defensores Marchionis
1 Bartholomæi; etenim licet in dicta prohibitione Philibertus Fideicommittens amplis, ac generalibus verbis usus fuerit, ibi
-- *E qualunque altra deduttione* -- ea tamen
tanquam continuo apposita post prohibitionem legitimæ, ae Trebellianicę, sicuti de
similibus, & quotitativis deductionibus intelligi tantum debent, ita extendi nequeunt
ad jura, & credita propria hæredum, diversam, ac longe dissimilem detractionum
speciem constituentia, ut aliàs in his terminis respondit *Rota coram Duran. dec. 93. n. 10., & corom Priolo dec. 378. n. 11., & seqq., & cor. bo. me. Emerix. dec. 122. n. 5. & latè in Romana Fideicommissi de Panthera 10. Martii* 1710. §. *Credita, & seqq. cor.*
2 *Rmo Crispo*; cum præsertim Testator ipse
tùm dotem propriam Mariæ Ceciliæ hęredis, tum aliam ab ejus Matre provenientem,
tùm denique jura hęreditaria Margharitæ Sementis, quę sunt sine dubio de genere
detractionum, quę accidentales, & quantitativæ vocantur nominatim præservaverit,
quasi regulam exceptione declarando, *Surd. dec. 124. n. 10., & seq., Rota decis.*
3 380. *n. 7. p.* 19. *rec.*; imo vero detractionea
non aliter vetuerit, quam consecutivè ad
prohibitionem alienationis propriorum bonorum, de quibus, & non de rebus, aut
juribus propriis hæredum disponere professus fuit, sicuti ad rem advertunt *Peregr. de fideic. art. 6. n. 14., de Luc. de fideic. disc.* 134. *n.* 15., & aliis allegatis concordantibus *Rota in d. Romana de Panthera* §. *Veram cor. Rmo Ravennaten., & in Maceraten. Legatorum, & fideicommissi* 3. *Julii* 1711. §. *Quod autem cor. bo. me. Ansoldo*.

Ratio itaque decidendi unicè desumpta
4 fuit, ex quo sicuti inter partes nulla est
contentio, vel super purificatione fideicommissi à memorato Philiberto instituti favore
Marchionis Bartholomæi, vel super identitate Bonorum, ita nulla debet esse difficultas, quominus ipse sit in possessione eorumdem bonorum, quomodocumque eam
à principio nactus fuerit hodiè manutenendus; Si enim ei ratione boni juris negsri
non posset immissio, quatenus pro adipiscenda possessione ageret, multo sanè magis danda est manutentio, dum à longo tempore
possidet, & detractiones, quæ contra ipsum opponuntur minimè competunt, ad tradita
per *Bald. in l. Fundus 9. n. 5. ff. de rescin. vendit., Rota cor. Cavaler. dec. 539. n. 7., & 8., & in rec. dec. 540. n. 1., & 3. p. 13.*,
ubi concsrdantes.

Haud inquam competunt detractiones;
eas enim singulariter examinando, quod ad
5 primam attinet librarum 28874. compositam ex fructibus pro augumento dotis Ceciliæ Culteili Philiberto Viro assignatis, &
ab eo durante matrimonio perceptis ex bonis Bononiæ obnoxis fideicommisso Francisci Culteili olim nostrę Curię, & Sac. Concistorialis Aulę Advocati, quamvis Marchionissa contenderet dictæ dotis augumentum fuisse in ipsis fructibus constitutum, atque ideo illos dissoluto matrimonio, non secùs ac reliqua capitalia eodem titulo tradita

dita esse restituendos; integra tamen facti serie maturè perpensa verius visum fuit non fructus ipsos, sed jus incorporale illos percipiendi dotis nomine fuisse Philiberto Vico assignatum, in quibus terminis certum est, nihil esse soluto matrimonio restituendum, cum jus, seu commoditas pro dote assignata statiut ac matrimonium solvitur ipso jure extinguatur, fructus vero eo durante percepti non secus ac cæteri fructus bonorum dotalium ad Virum pertineant, ut di-
6 stinguendo inter unum, & alterum casum docuit *Bald. in l. Si convenerit* 4. *ff. de pact. dotal. n. primo*, *Card. de Luc. de dot. disc.* 148. *sub n.* 16., *& seq.*, *Rota cor. Merlin. dec.* 843. *n* 2., *& seq.*, *& in rec. dec.* 393. *n.* 7., *& seq. p.* 18., *& in Romana*, *seu Terracinen. Pecuniaria* 3. *Junii* 1704. §. *Alterum cor. clar. mem. Cardinali Caprara*, *&* 2. *Martii* 1705. §. *Et sane cum seqq. cor. bo. me. Caffarello*.

Rem verò ita se habere DD. ex eo cen-
7 suerunt, quod Julia Sponsæ Mater non aliter controversos fructus pro augumento dotis Philiberto assignavit, quam relativè, & in executionem testamenti, & ultimæ dispositionis Advocati Francisci Cultelli ejus Leviri, & respectivè Sponsę Patrui, unde cum iste propriis Neptibus titulo augumenti dotis usumfructuum legaverit eorum Bonorum, quę Bononiæ possidebat, omnino dici debet, quod etiam Iulia, licet in actu assignationis fructuum verbo usa fuerit, re tamen vera usumfructum, sive jus, & commoditatem illos percipiendi assignaverit, ut iste subsequens actus factus relati-
8 vè, & in executionem d. ultimæ dispositionis Advocati Francisci, cum ea in omnibus cohæreat, & uniformem recipiat interpretationem, juxta vulgatum principium, de quo *Bart. in l. Si ita scripsero in fin. de condit.*, *& demonstrat.*, *Rota dec*, 1087 *n.* 1. *cor. Emer.*, *& in Romana Fideicommissi* 22. *Februarii* 1715. §. *Parumque cor. R. P. D. meo Cerro*.

9 Nec obstare visa fuit responsio illa, quod imo Advocatus Franciscus non jus aliquod, aut usumfructum, sed fructus ipsos ex ejus bonis retrahendos ejus Neptibus legaverit ibi -- *Gli lascia durante la loro vita tutti li frutti, che si caveranno dalli suoi Beni, che ha in Bologna* -- quod enim legatum his verbis conceptum perinde accipiendum sit, ac si usufructus legatus fuisset, sunt *Textus aperti*, *& litterales in l. Si quis ita* 24. *ff. de usufruct.* ibi -- *Si quis ita legavit fructus annuos fundi Corneliani Cajo Mævio do, lego, perinde accipi debet hic sermo, ac si usufructus fundi legatus esset* -- *& in l. cum ita* 41. *ff. de usu*, *& usufruct. legat.*, ibi *Cum ita legatum esset Fructus annuos fundi Corneliani Publio mevio do, lego, perinde putat accipiendum esse Labeo, ac si usufructus fundi similiter esset legatus* -- vel quia
10 hęc plerumque est mens Testantium, hicque loquendi mos, ut fructum accipiunt pro usufructu, sicuti reddendo rationem legis, inquit *Cujac. ad leg. Fundi Trebatiani*, *& dicta l Cum ita ff. de usu*, *& usufruct. legat. oper. Posth. tom.* 3. *litt. A.*, *& B.*, & cum aliis *Lagun. de fruct. p.* 2. *cap.* 6 *nu.* 5.,
11 *& seq.*, sive quia cum Testator fructus dat atque legat, eo verbo dandi, legandique potestatem facit Legatario sumendi, & vindicandi ipsos fructus, & consequenter servitutem constituit, quæ nonnisi usufructus esse potest, ut doctè explicat conciliando alias leges *Hugo Donell. in Com. Juris Civil lib.* 10. *cap.* 5. §. *Illud tenendum est cum seqq.*

Utraque autem ex prędictis rationibus casui, de quo res est, mirabiliter aptatur;
12 quod enim mos fuerit Advocati Cultelli fructus accipere pro usufructu pręclare evincitur ex illo alio ejus testamenti loco, in quo jussit, ut fructus decursi post obitum ejus nepotum una cum proprietate, & dominio devolverentur ad eorum filios masculos per fideicommissum substitutos; unde sicuti respectu Pronepotum mentio fructuum nonnisi pro ea usufructus specie accipi potest, qui cum proprietate coniunctus est, *l. Uti in princip. ff. de usufruct.*, *& l. Si cum argentum* §. *pen. ff. de exeq. rei jud.*, *l. Mævius* 66. §. *penult. l Cum filius* 76 §. *Dominus de legat.* 2., ita respectu Nepium de usufructu similiter intelligi debet juxta morem, & consuetudinem loquentis, *l. Universorum, ubi Gloss. ff. de pign. act. l. Utrum ff. de petit. hæred.*, cum aliis in *dec.* 2121. *n.* 85 *cor. Coccin.*

Rursus, quod Testator potestatem ejus
13 Neptibus fecerit fructuum sibi authoritate propria sumendorum; ex eo manifestè apparet, quod verba legati in easdem Neptes direxit, ibi -- *Gli lascia &c.* eisdemque iniunxit, ut onera bonorum solverent, eaque meliorare, & custodire deberent, imò verò eandem potestatem etiam in eos contulit, quibus ipsæ Neptes nupturę essent, ut constat ex illo Testamenti loco, in quo constituit Iuliam ejus fratriam Administratricem omnium bonorum, donec *rispetto alli beni di Bologna saranno assegnati alli Mariti di dette sue Nepoti per pigliarne il frutto*, unde ambigi nequit, quin de usufructu senserit, non vero de Corporibus fructuum, juxta distinctionem *Bartol. in dicta leg. Fundi Trebatiani n.* 1., ibi -- *Quandoque verba Testatoris sunt lata*, *& aperta*, *quod sermonem suum dirigit ad Legatarium quod manu sua perciperet*, *quandoque dirigit ad hæredem*, *quod detur de manu hæredis*, *& isti sunt casus indubitabiles*, *quia in primo est legatus usufructus*, quem sequuntur *Faber in l. Si quis ita ff. de usufruct.* *Pinell. ad l.* 1. *C. de bon. mater. p.* 2. *n.* 11., *& seqq.*, *Barbos. in l. Fructus* 7. *n.* 30., *&* 31. *ff. solut. matrim.*, aliisque adductis *Camarell. de legat. lib.* 3 *p.* 10. *n.* 10., *&* 11.

Quæ cum ita sint irrito labore Marchionissa contrà hanc legis præsumptionem adeò

gravibus facti circumstantiis communitam,
leves aliquas opponebat conjecturas, quod
nimirum defunctus esset Juris peritus; quod
discretivè loquutus fuerit de bonis, ac de
fructibus, quod aliàs neptes non habissent
pro secundis nuptiis idem augumentum do-
tis, quodque demum Philibertus integram
14 dotem restituere spopouderit; hæc enim
omnia, vel nihil ad rem concludebant, vel
potius retorquebantur, & sanè retorqueba-
tur, quod defunctus esset Jurisperitus, ex
ea namque circumstantia nil aliud deduci
poterat, nisi quod ipse catenus fructuum no-
mine usus fuerit, cum usumfructum legare
vellet, quia nempè sciebat, quod data Le-
gatario potestate fructuum sibi ex certis bo-
nis sumendorum, perindè erat, ac si usum-
fructum reliquisset, juxtà supra citatos *Text.
in l. Si quis ità, & in l. Cum ità*, nihil verò
ad rem concludebat, quod desuoctus discre-
tivè de fructibus, ac de boois loquutus fue-
rit, nam etiam inter legatum ususfru-
15 ctus, & legatum honorum magna interce-
dit differentia, sed mioimè subsistebat,
16 quod non restitutis à primo Viro fructibus,
Legatariæ non habuissent pro secundis nup-
tiis hoc dotis augumentum à Testatore reli-
ctum, quia imò ipsæ soluto matrimonio se-
cum tulissent oomine dotis, & augumenti
eumdem usumfructum primo Viro assigna-
tum, & cujus commoditatem absque alio fa-
cto statim restituisse censetur Philibertus
cum causa dotis, & matrimonii per ejus
obitum cessavit, sicuti explicant Doctores
relati per *Rot. dec.843. coram Merlin., &
dec.393. par.18. rec.*
17 Sed quatenus etiam ex hisce levibus conje-
cturis aliqua circa voluntatem Testatoris su-
perfuisset difficultas, eam omnino submovis-
set subsecuta hæredum interpretatio, & ob-
servantia; quod enim Philibertus cootro-
versos fructus constante matrimonio perce-
ptos restituere minimè deberet, plane agno-
vit Maria Cæcilia ex eodem matrimonio
suscepta, & Matris hæres, dum in actu, quo
oupsit Equiti Philippo de Bentivolis, per pu-
blicum Instrumentum, prævils omnibus
statutariis solemnitatibus celebratum accep-
tat pro residuo dotium maternarum retro-
cessionem cujusdam crediti lib.8 mil. in re-
liquis Philibertum Patrem amplissimè, &
sine ulla omnino distinctione inter capitalia
& fructus liberavit *ab omni, & toto eo*,
quod causa, & occasione restitutionis dicta-
rum dotium petere, consequi, & recupera-
re posset; & consecutivè ad hanc adeo ge-
neralem, atque ampiam liberationem nul-
lam successivè hujus prætensi crediti men-
tionem habuit in Inventario hæreditatis
ejusdem Philiberti Patris, imò vero per
aliud separatum Instrumentum sese consti-
tuit illius Debitricem pro bonis ab ea distra-
18 ctis, quod etiā agnovit Marchio Constaotius
de Bentivolis ejusdē Mariæ Cæciliæ filius, qui
prædicta omnia facto proprio in confectione
Inventariorum approbavit; ut propterea in
hisce circumstantiis vix audiri possit, quod
Marchioolissa contrà factum suorum Aucto-
rum, & præsertim contra publicum Instru-
mentum adeò amplæ liberationis quæstio-
nem de his fructibus moveat, prout in simili
casu dixit *Rot. post Constantin. dec.102. n.3.
& in Asculana redditionis Rationis super
bonis fideicommissariis 25. Novembris 1716.
§. Quemadmodum cor. R. P.D. meo Cerro.*
19 Hinc igitur DD. gradum facientes ad
aliam detractionem consistentem in fructi-
bus fideicommissi Cultellii per Philibertum
exactis post obitum Cæciliæ Uxoris, de qui-
bus Marchionissa se Creditricem constituebat
sub obtentu, quod idem Philibertus illos
reservare deberet pro Maria Cæcilia filia
ad fideicommissum vocata cum onere assu-
mendi cognomeo, & insignia de Cultellis,
minimè oportere censuerunt aggredi quæ-
stiooem illam, super qua contra *Saminiat.
controv 87, scripsit Mans. consult* 475. an
scilicet ceoseatur Patri prohibitus legalis
ususfructus in Bonis, quæ filio obveuerunt
ex ooere eidem imposito assumendi nomeo,
& insignia defuncti: quidquid enim de hoc
sit in puncto juris, exhuberare visa fuit pro
reiiciendo hujusmodi credito circumstantia
illa facti, quod ipsa filia in actu, quo sibi
Pater dotem constituit, atque hoc titulo
assignavit etiam quædam ex dictis Bonis ob-
noxiis fideicommisso Francisci de Cul-
tellis, expressè cousensit, & contenta fuit,
quod reliqua Bona eidem fideicommisso
supposita penès patrem remanerent ad usu-
fructuandum donec viveret; hoc namque
stante, cum negari minimè posset, quin saltem
res esset valdè dubia, atque āceps, an patri de
Jure cōpeterer in dictis bonis usufructus; in
hac utique dubietate cōsensus à filia præstitus
cootroversiam omnem favore Patris deter-
minasse videtur, itaut hodiè licere oon de-
20 beat ejusdem filiæ hæredibus post tanti tem-
poris decursum dotis fructus à Philiperto
perceptos, sivè usque quo illam nuptui tra-
didit, sive usque quo ipse fato cessit, am-
plius repetere, juxta vulgatum *Text. in l.
Cum à Matre Cod. de rei vindic.* cum con-
cordan. *apud Buratt. dec.265. nu.12.*
Simili modo reiicieodum quoque visum
fuit aliud creditum meiioramentorum, &
aliud libr 7. mil. hæreditarium Margaritæ
Semenris. Quod enim attinet ad meliora-
21 menta, ultrà quod illa non videbaotur con-
cludeoter, & in speciè justificata, obstabat
insuper eorum refectioni præceptum Testa-
toris, qui ne fideicommissum in minimo di-
minueretur, explicitè maodavit, ut melio-
ramenta quæcumque quamvis perpetuam
fuodi utilitatem respicientia fieri deberent
per Possessores pro tempore, & respectivè
gravatos cum fructibus ipsius fideicommissi;
cui sanè præcepto dubium oon est, quin hæ-
redes parere cogantur, ad *Text. in l. Si
quid Possessorem §. Sic autem, & l. Sed etsi
§. Consuluit ff. de petit. hæred. Gratian. cap.
175. n.5. Surd. dec.61. n.6. Cabed. dec.31. n.1. p.2.*
Quod

22 Quod verò pertinet ad creditū hereditariū Margaritæ Sementis, licet Marchio Bartholomæus illud non impugnaret, ex eo tamen negari illi nequibat manutentio, quia turbidum & illiquidum, si non omninò absumptū redditum fuerat ex debitis cum fideicommisso contractis, tùm à Maria Cæcilia, tum quoque à Costantio ejus filio, nec non ex mobilibus, iocalibus, argentis, aliisque supellectilibus etiam sacris perventis ad manus ejusdem Constantii Patris, & Auctoris Marchionissę Elisabeth; cum dubium non sit, quin hæc sola crediti turbiditas apta sit ejus detractionem impedire, *Rot. cor. Coccin. dec.1222. n.2. & 4. & coram Bich. dec.380. num.15., & seqq., & in Bononien. Trebellanica super Creditis 26. Junii 1720. §. Att coram R.P.D. meo Corio*.

Reliquum fuisset agere de aliis duabus deductionibus, illa nempè libr. 20. mil., quam Marchionissa fundabat in eo, quod toties memoratus Philibertus dotem Marię Cæciliæ filiæ constituerit de Bonis propriis in lib.40. mil., prout successivè declàravit in Testamento, & nihilominus eadem Cæcilia nomine dotis, nihil ultra habuerit ex bonis paternis, quam lib.20. m., & de alia consistente in hæreditate, seù fideicommissò Jasonis de Vizzanis, quod eadem Marchionissa substinebat in præteritis Causæ propositionibus ejus favore purificatum fuisse. Verum super ista DD. censuerunt non esse ultra immorandum, dum hodiè ipsi Marchionissæ Defensores ab ea promovenda destiterant.

23 Quo vero ad primam, cum propter suffragiorum scissuram nulla capi potuerit resolutio, hinc propterea rescripto addita fuit clausula illa -- *Juxta modum*.

Et ita utraque &c.

TARENTINA BENEFICII SANCTORUM SIMONIS, ET JUDÆ.

Ven. 15. Maii 1722.

ARGUMENTUM.

Clericus de linea à Fundatore contemplata ad beneficium præsentandus est in exclusionem à Patrono comprȩsentati, quando præsertim Fundator ad istorum factum non respexit, neque istorum operam requisivit, sed tantummodò vocationem ad contentos in sua linea direxit, quo casu neque gratificatio eorundem Patronorum attendenda est, neque gratia Apostolica umquam fit subreptitia ob reticentiam facti necessàriò in litteris non exprimendi.

SUMMARIUM.

1 *Arbitrium Rotæ non intrat pro retardandis litteris Apostolicis reportatis à Proviso passivè à Fundatore vocato in gratiam comprasentati à Patrono, quando nullus magis qualificatus, quam idem Provisus, concurrit.*

3 *Amplia, quando agitur de beneficio, quod juxtà legem fundationis sit conferendum Clerico de linea ipsius fundatoris*, & quare? vide in nu 3.

3 *Juspatronatus passivum stare dicitur de per se, quando ex lege Fundatoris Clericus de ejus linea instituendus est; ita ut iste Patronorū nominatione non indigeat tanquam à fundatore nominatus*, & num. sequenti.

4 *Amplià, quando Fundator Patronorum factum non requisivit post obitum primi à se nominati, sed verba vocationis, ad ipsos de sua linea direxit*. & nu.5.

5 *Juspatronatus passivum dicitur continere vocationem directam, nec passivè vocatus indiget ope præsentationis, quando Fundator verba fundationis, & vocationis ad descendentes de sua linea direxit, non verò ad factum Patronorum*; amplia ut in num.8.

6 *Amplia, si jussisset, quod Clericus de sua linea repellendus non esset ab institutione, quasi quod istius repulsionem in Patronē manibus reposuisset, sed hæc verba potius ad Episcopum referenda sunt*, & nu. sequenti.

7 *Institutio pertinet ad Episcopum, qui justa causa potest nominatum repellere, etiam si Fundatoris vocatio concurrat, ipsiusque est perficere, ac statuere irrevocabiliter in Ecclesia Beneficiatum, mediante institutione in titulum*

8 *Vocatio directa Jurispatronatus passivi favore Clerici, qui sit de linea Fundatoris, non dicitur reposita in facultate Patronorum per hoc, quod in casu deficientiæ vocatorum, haberent facultatem nominandi Presbiterum exterum*, & quare vide in num. sequ

9 *Jus præsentandi collatum Patronis restrictivè ad casum non existentiæ Clerici de linea Fundatoris, non trahitur ad casum contrarium existentiæ Clericorum de linea; sed, istis concurrentibus, dicitur quiescere Patronorum officium.*

10 *Descendentia ex familia à Fundatore beneficii contemplata, probatur ex antiquis sententiis, fidibus Baptismatum, & testibus.*

11 *Descendens ex familia contentativa, bené dicitur comprahensus sub mentione lineæ*; amplia, ut in num. 12.

12 *Linea contentiva dicitur contemplata sub nomine* lineæ, *non verò effectiva à Fundatore Beneficii, qui fuisset Sacerdos.*

13 *Major qualificatio inter præsentatos pares qualitates habentes non est considerabilis pro obtinenda prælatione adversus Apostolicum Provisum.*

14 *Amplia; etiam si competitores exhiberent præsentationes compatronorū habentium Juspatronatus activum.*

15 *Præsentatio, nec gratificatio Patronorum*

rum attenduntur, ubi res sit de vocatione per Fundatorem directè ordinata favore certi generis personarum.

16 *Provisus Apostolicus habens gratiam pro qualificato, & Papæ gratificationem, dicitur obtinuisse derogationem cuicumque juri, quod alii æquales potuissent allegare, quando ei fuisset expressum, quod aderant alii compræsentati à Patronis.*

17 *Gratia sit subreptitia, quando provisus non exprimit, quod adsit alter præsentatus à Patrono in quasi possessione præsentandi existens;* Limita in casu sequenti.

18 *Gratia* pro qualificato *non sit subreptitia per reticentiam præsentationis jam factæ à Patrono existente in possessione præsentandi, quando agitur de Jurepatronatus passivo, ad quod directè vocatur Clericus de linea, & controversia cadit circa gratiam* pro qualificato, & quare?

19 *Observantia ex facto Patronorum desumpta in linea interpretativa nil operatur adversus Clericum de linea Fundatoris vocata, quando illa suffocata remaneat in clara lege à Fundatore præscripta*, & num.20.

20 *Observantia in linea præscriptiva ad effectum abrogandi qualitates à Fundatore requisitas non prodest, nisi justificetur, quod sit uniformis, non interrupta, & cum circumstantia coactiva, scilicet quod Clerici de linea Fundatoris sint rejecti à præsentatis per Patronos.*

DECISIO MCCCXXI.

VAcante per obitum Francisci Xaverii Carducci Beneficio Sanctorum Simonis, & Judæ ex pia dispositione Basilii Palajani Episcopi Tarentini erecto usque de anno 1181., duo comparuerunt præsentati cor. Episcopo Polineanen., nempè *Alphonsus Carduccius, & Prosper Marresius*, quibus contendentibus de institutione, tertius supervenit contradictor *Joannes Baptista de Sanctis* Provisus Apostolicus, petens executionem Literarum, quas uti qualificatus, ac indutus necessariis requisitis, prævia jam introductæ litis mentione, à S. Sede reportaverat.

Discussis autem in triangulari disputatione juribus dictarum partium, Episcopus præfatus, rejectis Carduccio, & Marresio, Litteras Apostolicas Joannis Baptistæ exequi demandavit; adversus quod judicatum habito recursu ad Signaturam justitiæ succumbentes causam Mihi delegari obtinuerunt cum clausula -- *Parito Literis arbitrio Rotæ apposito Sequestro* -- In cujus rescripti sequelam, sub diebus 27. Junii, & 17. Novembris anni præteriti, proposui consuetum Dubium -- *An intret arbitrium, & cui sit danda institutio* --, quo nec in prima, nec in secunda propositione resoluto, contigit hodie pro tertia vice idem dubium reproponi, adscitis de more Suffragiis Quinti, & Sexti ex Dominis post consuetum Turnum Sedentibus: Et tandem favore Provisi Apostolici habui responsum -- *Non intrare arbitrium pro retardatione Literarum Apostolicarum*.

1 Quando quidèm dictus de Sanctis Provisus Apostolicus, pro obtinenda executione Litterarum, quas à Sancta Sede reportavit, ad exclusionem Carducci, & Marresii jus proprium desumentium ex Patronorum præsentationibus, perspicuè docuit in præsenti Propositione, quod Beneficium controversum juxtà claram legem fundationis, absque ope præsentationis Patronorum conferri debeat Clerico de linea Fundatoris, quodque ipse sit passivè vocatus, & nullus concurrat, qui ex litera ejusdem fundationis dici possit magis qualificatus; & propterea adversùs gratiam sub his precibus reportatam per dictum Joannem Baptistam, intrare non potest arbitrium pro eius retardatione, sed eidem debita est institutio ad exclusionem aliorum Competitorum, ut sequuta Literarum Apostolicarum justificatione passim respondit Sacrum Tribunal, & signantèr *in Asten. Beneficii* 10. *Decembris* 1714. §. *Justitiam coram bo. me. Ansaldo, & in Nullius, seù Taurinen. Parochialis* 31. *Januarii* 1716 §. *In eo, quod respicit coram R. P. D. Cerro*.

2 Et quidem dubitari non poterat, quod juxta apertam legem antiquissimæ fundationis, agatur de Beneficio absque opera Patronorum conferendo Clerico descendenti ex linea Fundatoris. Episcopus enim Palajanus Fundator, nulla adhùc facta mentione jurispatronatus activi, expressè demandavit, quod post obitum primi Rectoris per ipsum nominati, institueretur Cle-
3 ricus, qui esset de sua linea: In his autem terminis Jurispatronatus passivum stare dicitur de per se, itaut habens qualitatem requisitam, tamquam immediatè nominatus ab ipso Fundatore, nulla pro ejus admissione indigeat Patronorum præsentatione, ut in puncto firmavit *Rota in Maioricen. Beneficii* 4. *Julii* 1696. § *Quarum prima, &* 16. *Februarii* 1699. §. *Cum autem cor. clar. mem. Cardinali de la Tremoille*, & consonant tradita *in Perusina Cappellaniæ* 11. *Martii* 1718. §. *Perlecto, &* 6. *Maii ejusdem anni* §. *Clara siquidem coram Me.*

4 Maximè quia idem Fundator non requisivit factum Patronorum post obitum primi nominati, sed respiciendo potiùs ad novum Ministrum, ac Beneficiatum statim ab Episcopo instituendum, ac perficiendum in Ecclesia, ibi -- *Post cessum verò tuum insertatio Ministri in ipsa Ecclesia taliter fiat* -- verba vocationis expressè direxit in personam Clerici, qui de ipsius Fundatoris linea foret, ibi -- *Si aliquis de linea mea Officio prædicto Clericali in ipsa Ecclesia voluerit esse, pro tali Viro sit, & jurè repelli non possit, aliisque omnibus præferatur, & in ea irrevocabiliter statuatur* --

ubi

ubi namque verba fundationis diriguntur non ad Patronos, sed ad ipsos de linea Vocatos, & in eorum arbitrio reponitur ac-
5 quisitio Beneficii, Juspatronatus passivum dicitur continere Vocationem directam, qua stante, passivè Vocatus nulla indiget ope, & auxilio præsentationis, ut distinguendo casum à casu tradunt *de Luca de linea legal. artic.24. num.24. vers. Ego pertranseo, & n.26.*, & dixit *Rota in Civitatis Castelli Canonicatus 12. Martii 1714. §. Conciliari coram Emo Scotto, & in Montis Regalis Prioratus 24. Januarii 1718. §. Ad differentiam coram bon. mem. Ansaldo.*

6 Nec pro suadenda dependentia vocationis Clerici de linea à facto, & præsentatione Patronorum in minimo adversantur dicta verba successivè adiecta -- *Et justè repelli non possit, aliisque omnibus præferatur, & in ea irrevocabiliter statuatur* --; Cum enim ex superiùs firmatis Episcopus Fundator vacantis Beneficii consequutionem contulisset ad liberam, & absolutam voluntatem ipsius Clerici de linea, & hac stante, eidem tribuisset plenum Jus, habendo illum pro vero Beneficiato; dicta verba subsequentia, nè destruant effectum vocationis à Fundatore volitum, quamvis indefinitè prolata, referenda potiùs sunt ad Epi-
7 scopum, ad cujus Ordinariam Auctoritatem pertinet in Beneficiis Jurispatronatus quemcumque Clericum nominatum, vel admittere, ac instituere, vel etiam ex justa causa repellere, etiamsi concurrat nominatio ipsius Fundatoris, ad tradita per *Vivian. de Jurepatronat. lib. 6. cap. 7. à nu. 1. cum seqq.*, præcipuè quia dicta verba -- *IRREVOCABILITER STATUATUR* -- non Patronis, sed propriè conveniunt soli Episcopo, cujus proprium est, præficere, ac statuere irrevocabilitèr in Ecclesia Beneficiatum, mediante institutione in titulum, *Butr. in cap. unico num.16. de Cappell. Monach. in sexto, & ibi Imol. nu. 7., Abbas num.5., Murg. de Benefic. quæst.2. num.183., & qu.3. n 86., Rota in Burgen. Jurisdictionis super Commissione Curæ 11. Junii 1705. §. Neque coram bon: me: Ansaldo.*

8 Idque procedit, etiamsi ex post idem Fundator rationem habuerit de Jurepatronatus activo, designando Patronos, qui præsentare deberent, ibi -- *Si verò nullus fuerit de meis, qui ad hoc voluerit pervenire, Fratres mei, & Soror mea, vel Descendentes ex eis, Presbyterum, qui in ea Divinum Officium debeat celebrare, inveniant, & ipsum Nobis, vel nostris Successoribus præsentantes &c.* -- Ultrà quod enim dispositio hujusmodi adversativè concepta per dicta verba -- *SI VERO' NULLUS* de se satis denotat casuum diversitatem, ac independentiam, adeout dispositio præcedens excludat sequentem, & durante prima non intret secunda adversativa, *Zabarell. cons. 68. num. 1., Solcx. cons. 101. sub num. 14. lib.7., Adden. ad Gregor. decis. 338. sub*
9 *num. 16.*, quælibet difficultas cessare visa fuit, quia præsentandi exercitium à Patronis assumendum ex dictis verbis, legitur limitatum ad casum non existentiæ Clerici de linea, vel quatenùs nullus de linea voluisset concurrere ad Beneficii consecutionem; proindèque Juspatronatus activum ità subsidiariè ordinatum non trahitur ad casum contrarium existentiæ Clericorum de linea, sed istis concurrentibus, potiùs quiescit quodlibet Patronorum Officium, adeòut eorum præsentationes nequeant allegari, ac si nulla ipsis tributa fuisset facultas, ut in similibus terminis Jurispatronatus activi subsidiariè relicti respondit *Rot. in rec. dec. 325. num. 11. par 17., & in dicta Majoricen. Beneficii 4. Julii 1696. §. Secunda verò coram clar. mem. Cardinali de la Tremoille.*

Posita autem hujusmodi independenti vocatione favore Clerici descendentis à linea Fundatoris, pari claritate justificatum
10 apparuit, *Joannem Baptistam* provisum Apostolicum fuisse passivè vocatum, *nullumque magis qualificatum* concurrere; namcum dictus Joannes Baptista ex antiquis sententiis, Fidibus Baptismatum, Tellium depositionibus, aliisque probationibus plenè docuerit, sese descendere à Claradia Fundatoris Sorore, statim convincitur, quod ipse passivè fuerit per Fundatorem invitatus ad consecutionem controversi Be-
11 neficii, quia tanquam de illius familia contentiva benè remanet comprahensus sub mentione *lineæ*, sub qua ordinatum legitur Juspatronatus passivum, juxta firmata per *Rot. in Nullius seu Nonantulana Jurispatronatus 3. Julii 1719. sub §. Non obstante, & 4. Decembris ejusdem anni §. Nec ad inducendam coram R. P. D. Falconerio,*
12 præcipuè dum agitur de linea considerata ab Episcopo Fundatore, quæ non aliter, quam de contentiva valet intelligi, ut ponderat *Rota coram Bich. decis. 138. num. 18., & in Militen. Patrimonii 17. Mart. 1702. §. Quod autem coram Emo Scotto, & in Romana Jurispatronatus prima Junii 1708. §. Quoniam coram Reverendissimo Aldrovando.*

Et ex hac comprahensione resultat, quod
13 nullus concurrat magis qualificatus: Cum enim tam Carduccius, quam Marresius Competitores, pariter descendant ab eadem Claradia de Palajano Fundatoris Sorore, & juxta eorum prætensionem sint tantùm in æquali Consanguinitatis gradu cum dicto Joanne Baptista, exclusa certè remanet major qualificatio, quæ inter habentes pares qualitates non est considerabilis pro obtinenda prælatione adversùs Provisum Apostolicum, ut probant tradita per *Bellon. Junior. consil 72. n.31., Rota cor. Coccin. decis. 2007. num.8. cum sequen., in Romana Cappellaniæ 2. Martii 1708. §.*

Quod

Quod autem cor. bon mem. Anſaldo, & in Hydruntina Beneficii 4. Julii §. fin. coram Me.

14 Etiamſi dicti Competitores exhibeant
præſentationes Patronorum habentium
Juſpatronatus activum: Tùm quia, ubi res
15 eſt de vocatione per Fundatorem directè
ordinata favore certi generis perſonarum,
non attenditur nec præſentatio, nec grati-
ficatio Patronorum, *Carol. Anton. de Luca
de linea legal. art. 24. num. 16., & 24., Ro-
ta in dict. Montis Regalis Prioratus 24. Ja-
nuarii* 1718. §. *Ad differentiam cor. bon.*
16 *mem. Anſaldo*: Tùm quia Pontifici ſatis
fuit expreſſum, quod alii tanquam præſen-
tati à Patronis adſpirabant ad controverſi
beneficii acquiſitionem, & propterea ex
dictis præſentationibus nulla valet erui ma-
jor qualificatio præponderans, ſed potiùs
Proviſus Apoſtolicus habens gratiam pro
qualificato, & Papæ gratificationem, obti-
nuiſſe dicitur derogationem cuicumque
Juri, quod alii æquales potuiſſent allegare,
ut benè obſervat *Rota in Auximana Ju-
riſpatronatus* 8. *Martii* 1720. §. *Nullate-
nùs cor. bon. mem. Marymon.*

Ex quibus conſtabilita plenaria verifica-
tione dictæ gratiæ *pro qualificato* obtentæ
17 per Joannem Baptiſtam, fruſtrà Carduc-
cius inſiſtebat in omiſſa expreſſione, quod
ipſe fuerat præſentatus à Bartholomæo ejus
Patre exiſtente in quaſi poſſeſſione præſen-
tandi; undè gratia dici debeat nulla, &
ſubreptitia ex firmatis per *Lotber. de re
Benefic. lib. 2. quæſt. 8. num 100., Rota in
Barcbinonen. Beneficii 24. Martii* 1702.
§. *Primo cor. cl. me. Cardinali Caprara.*

Ultrà quod enim talis expreſſio ſufficien-
ter dici poſſet expleta, mediante dicta
narrativa Pontifici facta, quod alii aderant
Competitores præſentati à Patronis; in hoc
puncto corruere viſa fuit cujuslibet excep-
tionis efficacia. Quia quidquid eſſet, ubi
Clerici de familia fuiſſent vocati depen-
denter à facto Patronorum, & ageretur de
gratia pro præſentato cum derogatione me-
dietatis vocum, vel de gratia derogatoria
Juriſpatronatus in totum, *in quibus termi-
nis procedunt allegatæ auctoritates*; profe-
18 ctò dum agitur de jurepatronatus paſſivo,
in quo directè vocatur Clericus de linea, &
controverſia cadit circa gratiam *pro Quali-
ficato*, in quo Papa, relicto in ſuo eſſe Jure-
patronatus activo, procedit ad gratificatio-
nem juxtà formam, & literam fundationis,
in his terminis, ſicuti ſubſtantia ipſius gra-
tiæ unicè reſidet in qualitate directæ, ac
immediatæ vocationis per Fundatorem or-
dinatæ ex traditis per *Card. de Luc. de Jur.
diſc. 18. n. 3., Rocca diſputat. Jur. Select.
cap. 190. n. 21. & ſeqq., Adden. ad Burutt.
decif. 755. n. 10., Rota in recen. decif. 372.
n. 10. par. 17., & in Auximana Juriſpatro-
natus 17. Junii* 1701. §. *At quando coram
bo. me. Anſaldo*, ità reticita expreſſio præ-
ſentationis factæ per Patronos exiſtentes in
poſſeſſione præſentandi, tanquam non ne-
ceſſaria, gratiam minimè reddit labe ſubre-
ptionis infectam, *Rota in Colonien. Cano-
nicatus primæ Gratiæ 2. Maii* 1701. §. *Al-
tera verò cor. bon. mem. dell' Olmo, & in
Hydruntina Beneficii 6. Februarii* 1719.
§. *finali cor. R.P.D. Cerro*:

19 Spreto demum diffugio ejuſdem Carduc-
ci, ac Marreſii alterius Competitoris, inſi-
ſtentium ſuper obſervantia longæva, per
quam Clerici, quamvis pollentes qualitate
paſſiva deſcendentiæ de linea Fundatoris,
ſemper fuerint præſentati per Patronos, &
ad eorum præſentationem inſtituti, facilè
ſiquidem fuit animadvertere, quod cum ex
ſuperiùs firmatis juxtà præceptum funda-
tionis, clara, & evidens ſit directa vocatio
Clericorum de Familia abſque ope præſen-
tationis Patronorum, obſervantia in linea
interpretativa quidquam nequit operari,
ſed ſuffocata remanet à dicta Fundatoris
Lege, ad tradita per *Gratian. diſcept. for.
cap. 560. n. 15., Lotter. de re Benefic. quæſt.
39. n. 229., Card. de Luca de Benefic. diſc.
96. n. 6., Rota coram Bich. decif. 396. n. 25.,
& in Monaſterien. Cappellaniæ 25. Novem-
bris* 1711 §. *Et hæc cor. Me.*

20 Eademque obſervantia in linea præſcrip-
tiva ad effectum abrogandi, vel immutandi
qualitatem in dicta fundatione requiſitam,
eò minùs dici valet prodeſſe ad intentum
dictorum competitorum: Tùm quia con-
cludentibus probationibus non juſtificatur
undequaque uniformis, & non interrupta:
Tùm quia deficit circumſtantia coactiva,
quod ſcilicèt Clerici de familia Fundatoris
deſtituti præſentatione Patronorum volue-
rint, & petierint inſtitui, ſed in concurſu
aliorum præſentatorum à Patronis fuerint
rejecti, & rejectioni acquieverint, ut docet
*Card. de Luc. de Benef. dict. diſcurſ 96. n. 6.
& 7., Rota in recent. decif. 106 n. 1., & 4.
par. 16., in dicta Monaſterien. Cappellaniæ
25. Novembr, & 12. Decembris* 1712. §. *Aut
verò cor. Rm̃o Aldrovando.*

Et ità *exquiſitis quinto, & ſexto Domi-
norum ſuffragiis* reſolutum fuit utraque
&c.

FANEN. FIDEICOMMISSI.

Veneris 5. Junii 1722.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius emanatæ ſub die 9. Januarii hujus anni.

Maſculi deſcendentes ex fæminis neque per poſterius ad fideicommiſſum vocantur, quod pro ſolis maſculis agnatis conſtat à fideicommittente fuiſſe inſtitutum, tum ex tenore ipſius diſpoſitionis, cum voto agnationis conſervandæ ex pluribus conjecturis deſumpto.

SUM-

SUMMARIUM

1 *Fideicommissum esse agnatitium deducitur ex nobili conditione testatoris, continuata masculorum vocatione cum qualitate legitimitatis præteritione filiæ, digressu ad plures substitutionum gradus, prohibitione alienationum, & exclusione Monasteriorum & Fisci*, & nu. seq.& 6.

2 *Amplia, quando testator in pluribus testamenti partibus declarasset*, mentem suam esse principaliter providere pro conservatione bonorum in sua familia, *quæ verba agnationis conservandæ votum inducunt.*

3 *Masculi de fæminis per posterius ad fideicommissum admittuntur, quando verba testamenti in genere apta sunt comprehendere omnes, & quoscumque masculos, sive agnatos, sive cognatos.*

4 *Limita, si è contra constiterit testatorem de solis agnatis sensisse, quo casu cognati, neque per posterius possunt admitti ex defectu vocationis.*

5 *Vocationis substantia omnino certa esse debet, tam respectu eorum, qui per prius, quam eorum, qui per posterius prætenduntur vocati.*

6 *Masculi de Masculis tantum dicuntur vocati, quando testator, tam in ingressu, dispositionis de eis esset solum loquutus, eisdemque similes masculos de masculis in infinitum substituisset*, amplia ut in num. 7. & 10.

7 *Masculi ex fæminis per posterius non dici possunt vocati, ex quo testator primario vocatis eorum filios, & descendentes substituerit, sub quorum appellatione illi etiam conveniunt, quando ex toto contextu dispositionis de solis agnatis intellexisse appareret.*

8 *Amplia, si nedum vocationem masculorum colligasset cum clausula* de uno in alium ordine successivo, *sed insuper addidisset* modum scilicet, quod filius locum patris ingredi deberet, & quare?

9 *Limita, ut ista conjectura non habeat locum ad exclusionem masculorum de fæminis, quando ex aliis testamenti partibus expressè etiam illorum vocatio colligeretur.*

11 *Masculi ex fæminis per posterius possunt admitti deficientibus agnatis, quando testator perpetuum ordinasset fideicommissum.*

12 *Limita, quando voluntas testatoris nihilominus ab admissione cognatorum expressè aliena appareret.*

13 *Perpetuitas fideicommissi à testatore velita per certa, & designata media subjectam materiam, idest vocationes à testatore expressas non egreditur.*

DECISIO MCCCXXII.

ACcuratè iterùm pondetato integro contextu Testamenti cum quo decessit Castruccius Senior de Castracanis, DD. censuerunt Fideicommissum ab eo institutum tamquam strictè, & rigorosè agnatium defecisse in Alexandro Roduiphi filio, & consequenter ad illud aspirare non posse Comitem de Coloredo, & Fratres de Gabriellis per medium plurium Fæminarum à Clarice Testatoris nepte descendentes, quemadmodum dictum fuit in duabus præteritis Instantiis coram bo.me. Ansaldo, & R.P.D. meo de Hærrera, ac novissimè in decisione coram Me edita sub die 9. Januarii proximè præteriti; propterea que regulari Dubio per Me proposito, responderunt *In Decisis.*

1 Quod enim dictum fideicommissum esset Agnatitium, jàm hodie videbantur ipsimet Actores admittere, & de cætero satis clarè resultabat, nedùm ex nobili conditione Testatoris, ex continuata vocatione masculorum cum ea qualitate, quod essent legitimi, & naturales, ex positiva exclusione filiæ, & præteritione memoratæ Claricis ejus Neptis jam tunc natæ, & cognitæ, & digressu ad plures gradus Substitutionum, prohibitione alienationis, ac denique exclusione Monasteriorum, & Fisci, quæ omnia regulariter concludunt implicitum votum conservandæ agnationis, ut benè advertunt omnes causæ Decisiones, & præsertim ultima coram Me §. *Præterea.*

2 Verum, & certiùs, quia idem Testator non semel, sed bis, atque iterum in plurimis Testamenti locis declaravit *mentem suam esse principaliter providere pro conservatione bonorum in ejus Familia*, ex quibus verbis, ut observant omnes Causæ Decisiones, dubium non est, quin inducatur Votum agnationis expressum, dum dictio illa *ejus* idem significat, ac si dictum fuisset in Familia de Castracanis, ut advertit *Rodulphin. alleg. 179. num. 14., Rota coram Emerix dec. 1216. num. 2., & seqq., & nu. 14., & 15., & in Romana Primogenituræ de Bubalo 4. Iun. 1717 §. Neque talis cor. Me*

3 Tota itaque Causæ difficultas in eo reducebatur, utrum nempè dictum Fideicommissum esset adeò strictè, & rigorosè agnatitium, ut nedum in concursu agnatorum, sed etiam per posterius, & iis deficientibus, masculi ex fæminis descendentes excludi deberent, sed hanc quoque difficultatem littera ipsa, & contextus Testamenti submovebat, tunc enim queri solet, utrum Masculi Descendentes à Fæminis in subsidium, & per posterius admitti possint ad successionem Fideicommissi, quando verba Testamenti apta sunt in genere comprehendere omnes, & quoscumque Masculos, sive agnatos, sivè Cognatos, nam

4 si ex diverso constet Testatorem de solis Agnatis sensisse, tunc Cognati neque per posterius admitti possunt, cum deficiat substantia vocationis, quæ omnino certa esse debet, tam respectu eorum, qui per prius, quam respectu eorum, qui per posterius admitti volunt ex juribus plenè cumula-

tis

tis *in dec* 11. *Jun.* 1717. §. *contrariis, cor. b. m. Ansaldo, & in alia* 16. *Ianuar.* §. *Et hic est, & 24. Aprilis* 1719. §. *Concurrente cor. R. P. D. meo Herrera, & in ultima cor. Me* §. *finali.*

6 Et hic est adamussim casus, de quo agitur, nam quod Testator senserit de solis agnatis praeclarè constat, ex quo nedum in ingressu institutionem direxit in filios Masculos, sed etiam in progressu praedictis filiis Masculis substituit eorum filios pariter Masculos, & istis absque filiis Masculis decedentibus, substituit alios nepotes, seù eorum filios masculos, & sic in triplici substitutionum gradu, filiorum nempè, Nepotum, & Pronepotum, voluit Fideicommissum semper transire de Masculo Agnato in alium Masculum pariter Agnatum, & à Masculo progenitum, inducendo quamdam seriem taliter concatenatam de generante Masculo in generatum pariter Masculum, ut sine manifesta eversione ejus voluntatis scindi, & disrumpi nequeat per admixtionem Masculorum ex foeminis, ut firmant omnes Causae Decisiones, & signanter ultima coram Me. §. *Quod autem & seq.*

7 Et hinc est, quod quamvis idem Testator unicuique ex filiis primo loco institutis substituerit eorum proprios filios liberos, & Descendentes Masculos, non inde tamen inferri potest, quod sub nomine liberorum, & Descendentium Masculorum ex filiis venire quoque possint ad effectum succedendi saltem per posterius etiam Masculi descendentes ex Foeminis; quidquid enim sit in caeteris casibus, in eo sanè de quo agitur cum significatio verborum unicè sumenda sit ex animo, atque intentione loquentis, verba illa *liberos*, et *Descendentes* non nisi de Agnatis intelligi possunt, dum Testator eodem contextu statim declaravit per supradictam concatenatam seriem Masculorum ex Masculis se de solis Agnatis intelligere, ut pariter probant omnes causae Decisiones, & signanter illa 11. *Febr.* 1718. §. *Iterùm namque, & seq. cor. b. m. Ansaldo, & altera diei* 24 *Aprilis* 1719. §. *Porro, & §. Talis quippe coram R. P. D. meo Herrera.*

8 Imò verò, ut clarius mentem suam in hac parte aperiret, neque unquam ambigi possit, quod sub nomine liberorum, & descendentium masculorum complecti etiam voluisset masculos Cognatos à Foeminis descendentes, nedum vocationem masculorum simul univit, & colligavit mediante illa clausula *de uno in alium ordine successivo*, verum praetereà per modum regulae universam dispositionem informantis studiosè, atque accurate superaddidit illa alia speciali nota dignissima verba, *ità tamen, quod filius intret semper locum Patris respectu ascenditis, & Patrui*, ex quibus ad evidentiam usque deducitur, quod dum filius subingredi semper debebat locum Patris, Fideicommissum non nisi inter masculos ex masculis progredi, & remanere poterat, exclusis, semper, & in omni casu cognatis, utpote qui tanquā descendētes ex foeminis sine dubio exclusis & à Patre extraneo non poterant succedere per subingressum in eorū locis neque ex earum Persona capere id, quod Pater extraneus, aut Foeminae obtinere nequibant, sicuti exornando hanc circumstantiam, & sequendo praecedentes Decisiones in Causa editas ad rem notavit ultima Decisio coram Me §. *Sed omnis*.

9 Minime urgente responsione, quod dicta clausula tamquam ordinata ad effectum, ut Nepos concurrere posset cum Patruo, trahenda non sit in sensum exclusivum cognatorum, ex adductis in specie per *Rot. in Reatina Primogeniturae de Nobilibus* 19. *Junii* 1719. §. *Sublato, & seq. coram Reverendissimo Crispo, & 9 Iunii* 1721. §. *Quo item coram Me*. Eatenus enim in dicta causa Reatina Primogeniturae efficacia dictae clausulae restricta fuit ad effectum, quod Nepos posset cum Patruo ad successionem concurrere, quia cum ex aliis Testamenti partibus expressè constaret de vocatione Masculorum descendentium ex Foeminis, ea perneccessè capienda erat interpretatio,

10 ut ex eadem clausula Cognati à successione minimè excluderētur, quae sanè ratio in praesenti casu minimè concurrit, dum Cognati in nulla Testamenti parte vocati reperiuntur, quinimo integer dispositionis contextus praesefert vocationem tàm in ingressu; quam in progressu constantissimè semper directam in Masculos ex Masculis, ut benè distinguendo inter casum praesentem, & illum, de quo tunc agebatur, dixit *Rota in d. Reatina Primogeniturae de Nobilibus* 19. *Iun.* 1719. §. *Atque hinc cor. Rmo Ravenaten*

11 Prout etiam minus urgere visa fuit illa alia objectio, super qua Actores hodiè plurimùm insistebant, quod nempè cum Testator valdè anxius, & sollicitus fuerit de perpetua fideicommissi duratione in ejus Descendentibus masculis, ut eius voluntas pleniùs impleatur, etiam Masculi a Feminis descendentes per posterius admitti debeant, ne aliàs Fideicommissum, Agnatis deficientibus, praematurè intercidat; quamvis enim verba perpetuitatem importantia deservire quandoque possint pro conjectura protrahendi Fideicommissum etiam favore Co-

12 gnatorum, hujusmodi tamen conjectura per se valde debilis, inefficax omninò remanet, quando, prout in casu meo, & volontas Testatoris ab admissione Cognatorum expressè aliena fuit; in hisce namque circumstantiis cum perpetuitas a Defuncto volita verificari commodè possint inter solos Agnatos, non debet contra ejus mentem operari inclusionem Cognatorum, cum de

13 sui natura perpetuitas a Testatore volita per certa, ac designata media, aliam vim non habeat, quam occasionalem, & causativam, quoad usque media illa supersunt, ut inquit. *Rot. cor. Priolo dec.* 138. *per tot., & in Recent. dec.* 15. *n.* 15., *& sequen par* 7, *& in Rom. Primogeniturae* 23. *Aprilis* 1717., *& 20. Februarii* 1719. §. *Quandoquidem coram R. P. D. meo Falconerio*

Et ita utraque &c.

ROMA-

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS.

Ven. 5. Junii 1722.

ARGUMENTUM.

Neque filius favore Patris exemptus dicitur ab exarata obligatione reddendi rationem de administratione rei familiaris suscepta; imo ad eandem rationis redditionem non admittitur cum exhibitione libri illegaliter tenti, confusi, deque erroribus convicti, neque ei ulla merces pro tali administratione debetur.

SUMMARIUM.

1 *Administrator tenetur reddere rationem de administratis à die inceptæ administrationis, vel ultimæ solidationis reportatæ.*

2 *Redditio rationis continens partitas confusas, & intricatas non admittitur, cum nitida esse debeat.*

3 *Sufficientem reddidisse rationem non dicitur per exhibitionem libri non legaliter tenti, & de erroribus convicti*, & n.4.

4 *Liber administratoris pro reddenda ratione non admittitur, si in eo reperiantur partitæ reduplicatæ, vel defectuosus sit in adnotatione earundem*, & n.8.

5 *Amplia, etiam si citra dolum, vel fraudem, sed per errorem omissæ, vel male inscriptæ reperirentur, & quare?*

6 *Liber Administratoris in una partita erroneus, ita & in aliis erroneus præsumitur.*

7 *Amplia, si liber serotinè fuisset ab eodem exhibitus post cumulatas inter se pugnantes exceptiones, & post impugnatam obligationem de reddenda ratione.*

8 *Subamplia, si ex eo Administrator se inscripsisset creditorem, & è contra à Perito ratiocinatore fuisset repertus debitor*, & num 9.

9 *Redditio rationis desumpta ex libro, qui adversetur confessioni ipsius Administratoris, non admittitur*, & n.10.

11 *Administrator qui, dispunctis partitis, debitor certæ summæ reperitur, in hac condemnandus est.*

12 *Administrator, stante obligatione de reddenda ratione, dicitur præsefferre gravamen, & ab ista neque filius respectu Patris est exemptus.*

13 *Merces non debetur per Patrem filio electo pro administratione rei familiaris, neque ipso vivente, neque eo defuncto, cum teneatur obedire Patri.*

DECISIO MCCCXXIII.

ORtis dissidiis super redditione rationis per Hyeronimum de Laurentiis expetita adversus Antonium ejus fratrem pro administratione per ipsum exercita, tam rei familiaris, quàm Officiorum Datariæ ad Innocentium communem Patrem spectantium, quamvis, mediante concordia inita cum interpositione, & auctoritate Eminentissimi Domini Cardinalis Corradini compositæ fuissent partitę quædam hinc inde tunc oppositę, adhuc quoad creditum, vel debitum respiciens administrationem, quam idem Antonius exercuit, Patre superstite, definitio remissa judiciali discussioni, in cujus sequelam Hyeronimus pro petita redditione rationis mandatum de gravando contra dictum fratrem obtinuit ab A. C. de Gentilibus, quod in gradu appellationis mandavit exequi nostrum Tribunal, ut ex *decisione edita sub die 4. Aprilis 1718. cor. Me.*

Ad formam hujusmodi condemnationis, renunciavit iiti Antonius, acceptando generice obligationem reddendi rationem de administratione per ipsum habita, vivente Patre: hinc concordato coram Me dubio -- *An constet de legitima redditione rationis, seu potius sit relaxandum mandatum, & pro qua summa* -- istud ter fuit absque resolutione propositum, cum que plures insurrexissent difficultates, tam circa tempus, à quo expendenda esset redditio rationis, quam circa dispunctionem partitarum, ultima vice sub die 27. Februarii currentis anni per DD. injunctum fuit, ut alter ex peritis jam electis iterum referret, incipiendo calculum administrationis à die 25. Januarii 1700., superventa autem hac nova Periti relatione, eodemque dubio hodie proposito, responsum habui -- *Non constare de legitima redditione rationis, & esse relaxandum mandatum pro nunc in scutis 300*

Præmisso siquidem, circa tempus reddendæ rationis, quod pro administratione gesta ante annum 1700., Innocentius favore Antonii filii data, & accepta approbaverit,

1 bina subscribendo compota, & è converso post dictum tempus, nulla reddita ratione, nullisque factis solidationibus, idem Antonius administraverit bona paterna, & quidem absolutè, prævio mandato Procuræ ipsius Patris, & reportata etiam speciali deputatione, sive approbatione Eminentissimi Prodatarii pro interesse Officiorum Datariæ, necessariò emergere visum fuit, dictum Antonium non teneri, nisi pro tempore quo ab eo nulla fuit reddita ratio, & sic tantum de gestis à mense Januarii 1700. usque ad

2 obitum Patris; cum autem pro hoc tempore libratis Peritorum relationibus, aliisque documentis, idem Antonius non explevit nitidam partitarum dispunctionem, sed potius undequaque confusam, & intricatam, certè ejus favore dici non potuit, quod ratio sufficienter fuerit reddita, *Surd. cons. 391. n.35., Roland. cons.49. num.20., & seq. lib.1., Gratian. discept.563. n.32., Rot. cor. Otthob. dec.101. n.8., & seq., & cor. Merlin. dec. 189. n.2.*

3 Et sanè, cum unicum fundamentum Antonii ad illam adstruendam coram Perito repositus fuerit in particulari Codice admini-

 strationis

strationis per eum exarato, statim constitit,
eundem Antonium deficere in necessariis
probationibus, quia cum nullibi apparuerit,
quod hujusmodi liber fuerit legaliter ten-
tus, imo pluribus erroribus refertus con-
vincatur, utique nullum gradum probatio-
nis valet constituere ad effectum reddendę
rationis de administr atione per eum absolu-
tè gesta, ut sequendo *Bart in leg. Comperi-
mus sub num.*1., *Cod. de Navicul. lib.*10.,
*Card. de Luc. de tutor. disc.*7. *n.*6., *Rot. in
rec. dec.*311. *n.*7. *p.*7., *dec.*410. *n.*16., *& seq.
p.*9., *& cor. Gregor. dec.*79. *n.*2., ibique *Ad-
den. n.*6.

4 Errores quippe visi sunt Dominis perspi-
cuè resultare, tum quia in afferto libro,
omissa extitit adnotatio plurium emolu-
mentorum, tum quia in illo detectę sunt
tanquam reduplicatæ nonnullæ partitę co-
ram Perito etiam admissæ ab ipso Antonio
in conspicua summa scutorum 2000., & ul-
tra; quoties autem liber administraroris,
vel deficit in descriptione partitarum, vel
superabundat propter earum reduplicatio-
nem, vel repetitionem, sicuti accidit in præ-
senti casu, ineptus omnino reputatur ad con-
stituendum legale documentum, ex quo
ratio reddi possit, ad tradita per *de Luc. ad
Gratian. discept.*171. *n.*9. *vers. item non fa-
cit*, *Rot. in recent. dec.*540. *sub nu.* 2., *&* 3.
*p.*3., *dec.*1. *n.*9. *&* 10. *p.*6, *& dec.*359. *n.*3.
5 *p.*9., etiam si citra dolum, vel fraudem, sed
per errorem omissæ, vel malè positæ, ac in-
scriptæ fuissent dictæ partitę, dum sicut er-
6 ratum dignoscitur in aliquibus, ita etiam in
aliis erratum præsumitur, ut prosequitur
*Rot. in rec. d. dec.*540. *n.*3. *p.*3. *cor. Ludovis.
dec.*79. *n.*2., *& in Romana redditionis ra-
tionis* 3. *Junii* 1707. §. *Insubsistentes coram
Emo Scotto.*

7 Crescitque inefficacia dicti Codicis, ultra
quod enim Antonius illum serotinè exhibuit
post cumulatas inter se pugnantes exceptio-
nes, & post negatam obligationem redden-
di rationem à Hyeronimo fratre petitam, ex
quo facilè arguitur insufficientia redditionis
rationis, ex notatis per *de Luc. ad Gratian.*
8 *d. disc.*71. *n.*6., contra illum maximè urget,
ipsum Antonium pro emolumentis Officii
Componendarum, & Depositariæ Laureta-
norum se scripsisse Creditorem in scut. 1570.
& tamen ex Peritia Butii deputati ad liqui-
danda utilia, intuitu susceptorum emolu-
mentorum, constat illum esse debitorem in
conspicua summa scutorum 1382.; undè cum
descriptio facta in d. libro convincatur in
hac parte erronea, & minus fidelis, eo cer-
tius non est attendenda pro expienda valida
redditione rationis, *Gratian. discept.*653.
numero 35., *Rot. in rec. dec.*369. *num.* 12.
part. 9., *& coram Emer. jun. dec.* 1203.
*n.*6.

9 Attento præsertim, quod descriptio dati
& accepti ibidem facta per Antonium in
pluribus, nec etiam correspondet cum no-
tula jurata ab ipso præcedenter exhibita
coram A. C., in quibus terminis redditio
rationis desumpta ex libro habente contra-
riam confessionem ipsius Administratoris,
eominus valet allegari, ut firmat *Roland.
à Vall. cons.* 49. *sub n.*54., *& seq. vol* 1.,
Rot. cor. Emerix jun. dec. 1214. *n.*2., *& in
Caietana pecuniaria super Cautbela Ange-
li* 11. *Maii* 1716. §. *Nam sepositis coram*
10 *R. P. D. Falconerio.* Quinimo ex recensi-
tis facti circumstantiis aliqua potiùs contra
ipsum exoritur malæ fidei suspicio, qua
stante Administrator nunquam consequi va-
let liberationem suæ administrationis, ut
tradunt *Bonden. collect. legal. p.*1. *collect.*
42. *n.*64., 70., *& seq.*, *Card. de Luc. de Tu-
tor. disc.*6. *n.*11., *Rot. cor. Ottbob. dec.* 101.
*num.*8., *& seq.*, *& cor. Benincas. dec.*146.
*num.*7.

Exclusa ex his valida, ac sufficienti reddi-
tione rationis, quoad secundam dubii par-
tem respicientem creditum Hyeronimi ad-
versus fratrem pro dicta administratione
per eum gesta, quamvis istud in ingenti sum-
ma constituendum esse contenderet idem
Hyeronimus, nihilominus reservato singu-
larum partitarum examine in alia particulari
11 discussione, pro nunc Domini approban-
dum esse censuerunt, d. creditum in sum-
ma scutorùm 300., & ea moti sunt animad-
versione, quis cum, bonificatis omnibus
summis, de quibus ideo Antonius sese scrip-
sit Creditorem pro administratione rei fa-
miliaris, adhuc ipse ratione utilium Com-
ponendarum, ut supra per Peritum ratioci-
natorem liquidatorum detectus fuerit cer-
tus debitor in scutis 600., pro medietate di-
ctę summæ spectantis ad Hyeronimum, de-
negari non potuit mandati relaxatio, ut
probat *Rot. in rec dec.*332. *n.*3. *& seq. p.*10.,
et in Romana redditionis rationis 3. *Jun.*
1707. §. *final. coram Emo Scotto.*

Nec ad retardandam approbationem
crediti favore Hyeronimi in d. summa scu-
torum 300. obesse valuit prętensio Antonii
pro recognitione, ac mercede debita, ex
causa administrationis, vivente Patre, exer-
12 citæ; licèt enim administratio regulariter
præseferat gravamen, stante præcipuè obli-
gatione redditionis rationis, à qua nec etiam
filius est exemptus, ad *Tex. in leg. cum op-
portet* § *in hac specie* Cod. *de bon. matern.*,
*Zacch. de Salar. p.*2. *q.*51. *n.*25. Quia ta-
13 men filii tenentur obsequia Patri præstare
& ex reverentiæ debito adstringuntur assu-
mere ejus negotia, si Pater propriorum
bonorum administrationem committit alteri
ex filiis, qui velut minister, operas suas im-
pendat in exactione, ac gubernio effectuum
paternorum, explorati juris est, quod ne-
que vivente Patre, neque eo defuncto, quid-
quam pro salario, vel mercede illius admi-
nistrationis prætendi potest, juxta verio-
rem opinionem, de qua *Jas. in leg. illud
n* 4. *Cod. de Collat. Castrens. in leg. cum
opportet n.*25. *vers.*2. infertur *ff. de bon. qua
liber.*, *Zacch. de salar. p.*2. *dicto cap.* 1. *à*

n. 19.

n. 19., *& seqq.* cum aliis per *Pacion. de locat. cap.* 35. *n.* 112. *& seq.*
Et ita utraque &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE MARSILIIS SUPER RESERVATIS.

Lunæ 8. *Junii* 1722.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio est revocatoria in parte, & simul confirmatoria *juxta modum* alterius emanatæ sub die 14. Junii 1720., nec non agit de æquitativo temperamento, in casu, quo possessor bonæ fidei ab hærede fideicommissario actione hypothecaria vexaretur super vindicatione prædii, quod ille eum suis aliis oscitanter incorporasset, ne iste cum ejusdem nimia jactura locupletetur.

SUMMARIUM.

1 *Immissio danda est hæredi fideicommissario agenti, probatis omnibus requisitis necessariis*; & amplia, ut in nu. 3. & 4.
2 *Identitas bonorum probatur ex situatione loci, & verificatione confinium.*
3 *Agens ad immissionem super domo vigore fideicommissi non repellitur, ex quo ejus auctor aliam domum ibi jam fuisset consequutus, si probaretur, quod fideicommittens ibi plures domos possedisset.*
5 *Hæres Fideicommissarius agens ad immissionem super prædio, istius pretium tantum consequi debet, si bona fide possessor cum suis illud incorporasset, & super eo domum construxisset ad servandam æquitatem.*
6 *Amplia, etiam si ageretur de bonis alienari prohibitis, ne ex nimio rigore Juris possessor jugulatus remaneret.*

DECISIO MCCCXXIV.

Consequutive ad rem judicatam Rotalem solemni Partis renunciatione confirmatam, assumpto coram Me examine super liquidatione bonorum cadentium sub Fideicommisso Alexandri de Marsiliis sub congruo dubio, *an, et ad quæ bona sit danda Immissio*, Domini ad faciliorem Causæ resolutionem dividentes multiplicem bonorum speciem inter bona possessa ab ipso fideicommittente, & alia postmodum acquisita ab hæredibus gravatis, quoad illa primæ speciei, reservatis particulari examini bonis Emphiteuticis,& assumpta dumtaxat inspectione super allodialibus, responderunt dandam esse Immissionem ad duas petias Terræ in communi *Salvaris* detentas à Fratribus de Casalinis, & ad alias tres petias capacitatis 49. bubulcarum in communi S. Joannis Dusentulæ, ac loco nuncupato *Tivoli* detentas à Senatore Alexandro, sed illam denegarunt, quoad domum Bononiæ positam in Cappella S. Proculi, ut latius constat ex decisione desuper extensa 23. Junii 1719.

Re proposita deinde causa super reservatis peritum fuit in decisis quo ad duas petias Terræ in communi *Salvaris*, sed quia in reliquis nulla, ob suffragiorum scissuram, capi potuit resolutio, sicuti videre est ex alia decisione coram Me edita 14. Junii 1720. hodiè propterea opportuit iterum disputare super hisce reservatis, — *an sit standum, vel recedendum à decisis, & responsum fuit recedendum esse à decisis, quoad Domum, & in reliquis in decisis juxta modum infra exprimendum.*

Seposita namque Inspectione, quam altera ex Partibus inutiliter assumebat, tum super dictis duabus petiis in communi *Salvaris*, super quibus jam fuit capta resolutio in d. ultima decisione 14. Junii 1720., tum super alia petia terræ in eodem communi, & bonis acquisitis ab Hermete, & Agesilao, de quibus agi nequit sub hoc dubio unicè respiciente Domum in Cappella S. Proculi, & bubulcas 49. in loco *Tivoli*, super quibus, ut dictum est, nulla dicta 14. Junii capi potuit resolutio ob suffragiorum paritatem. Quod attinet ad Domum, DD. à decisis recesserunt. Hodiè enim constitit in facto Alexandrum Testatorem plures apud S. Proculum habuisse Domos, & de his unam obvenisse primo in Cæsarem, & Herculem, & deinde in Alexandrum Juniorem auctorem Augustini Avi, & auctoris moderni Senatoris Alexandri, quamobrem in his termi-
1 nis agenti ex Fideicommisso denegari nequit immissio, eum satis docere videatur, tum de antiqua possessione Defuncti, tum de moderna rei conventi ab Herede gravato causam habentis, quæ sunt extrema hujus Judicii, *Rot. cor. Seraph. dec.* 1209. *n.* 5., *& in rec. decis.* 343. *n.* 12. *par.* 13., *& sepè alibi.*

2 Certius autem quia in comperto hodiè remanet ex pleniori confinium explicatione, quod Domus ad quam petitur immissio est illa eadem, quam Fideicommittens possidebat, cum in ea verificantur duo Confines alter videlicet Leonæ de Marsiliis nuptæ Romeo Senatori de Foschirariis, cum ab hac Leona causam desumat per medium Fratrum de Javonis, Gasparis Alphani, & Romei Junioris de Foschierariis Augustinus Roma modernus Possessor Domus contiguæ, & alter Jacobi Pacini cum expressione putei communis, quæ circumstantia etiam hodiè verificatur in domo controversa: undè, his stantibus, visum fuit non posse amplius in discrimen revocari identitas hujus Domus, dum pro ea concurrit, ultra
3 situationem loci, verificatio duorum confinium, & sumus in antiquis *Rot. cor. Emer. dec.* 446. *n.* 3., *& dec.* 1231. *n.* 5. *ubi concordan.*

Nil urgente, quod Cæsar Actoris Pater aliam domum à Landina recuperaverit jure, & titulo istius fideicommisi, cum enim Testator in Cappella S. Procull, non unam, sed tres Domos possideret, nihil impedit, quominus hæredem Fideicommissarium, una recuperata, immissionem ad aliam petere valeat eidem Fideicommisso suppositam, & tunc solum, quando jam tres Domos Jure Fideicommissi possideret, contra eum opponi posset dicterium illud, frustra petis, quod intus habes, quo utitur prima decisio Causæ §. *Non tamen*, *& seq.*

4 Transeundo itaque ad biolcas, seu bubulcas 49. positas in communi *Dusentuli* in loco *Tivoli*, sicuti etiam hodie extra controversiam erat illas esse Fideicommissarias, ita neque ambigi poterat, quin respectu illarum confirmanda esset decisio, qua Comiti Silvio Actori immissio concessa fuit. Placuit tamen DD. non absolute *in decisis* persistere, sed *juxta modum*, quod nempe loco immissionis Senator Alexander, aliique rei conventi pretium dd. Bubulcarum Actori refundant pro Fdeicommisso Investiendo, easque penes se retineant, juxta temperamentum, quod sæpe alias Sac. Tribunal amplexum fuit, & præsertim *cor. Bieh. dec.* 199. *n.* 23., *et* 34 *cor. Dunoz. dec* 259. *n.* 2. *et in Romana Domus* 21. *Januarii* 1708. §. *Animadvertunt cor. cla. mem. Card. Priolo.*

Movit DD ad capiendum hujusmodi æquitatium temperamentum principium illud nedum civili, sed naturali etiam ratione commendatum, quod nempe faciendum sit, quod uni prodest, & alteri non nocet, de quo *Rot. coram Ubag. decis.* 74. *num.* 26., *et cor. Dunozzet. dec.* 259. *n.* 2., *et in dicta Romana Domus* 21. *Januarii* 1707. *cor. cla. mem. Card. Priolo*: Hujusmodi autem temperamentum multipliciter prodest possessoribus, & nihil nocet, imo etiam prodest Hæredibus Fideicommissariis, cum enim prædiolum Fideicommissarium sit solum capax quinque Corbium Seminis, & ex antiquissima destinatione Patris Familias unitum, & incorporatum reperiatur cum alio prædio libero vignti quinque Corbium, itaut cum eo unum corpus, unumque fundum constituat, si hodie ea parva portio Fideicommisso subiecta scinderetur, tam ipsa, quam alia, quæ superesset libera valdè in valore decresceret; imo vero cum in portione Fideicommissaria constructa fuerint ab Auctoribus eorumdem Possessorum omnia ædeficia, quæ ad usum, & culturam magni prædii sunt necessaria, nempe Domus pro Colonis, Stabulum pro Animalibus, Furnus Reteus, & Maceratorium Caoabis non sine magno utriusque partis detrimento una

5 ab altera divideretur, dum pars libera absque necessariis ad culturam ædificiis remaneret, Fideicommissum vero refundere deberet illorum pretium, utpote bona fide factorum à justis, & legitimis Possessoribus, quamvis pro cultura adeo exigui prædioli sint propemodum inutilia, & superflua, & idem Actor in aliis bonis eidem prædiolo proximis hujus generis commoditatibus abbundet.

6 In hisce itaque circumstantiis deflectendo parumper ab eo stricto jure, juxta quod, nemo rem suam vendere cogitur invitus, non nisi, quod æquum, & bonum utrique Parti futurum est, judex arbitrari debet, quemadmodum alias in simillibus casibus, in quibus etiam agebatur de bonis Fideicommisso suppositis, & alienari prohibitis, dixit *Rota Forolivien. Fideicom. de Torellis*, *quoad bona supraddita* 19. *Aprilis* 1706. *pro ut cor. Me, et in aliis decis. supra laudatis.*

Et juxta hunc modum, omissa inutili quæstione super quantitate, ac præciso valore melio ramentorum, responsum fuit utraq; &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE MARSILIIS QUOAD ALIA BONA, ET JURA PATRONATUS.

Luna 8. *Junii* 2722.

ARGUMENTUM.

Agit præsens decisio de modo tenendo in casu, quo ob confusiones bonorum ab hæredibus gravatis factas, fideicommissarius bona ad se spectantia à liberis separare non possit.

Fideicommissum quando, & ex quibus actibus inter gravatos initis dicatur remissum?

SUMMARIUM.

1 *Hæres fideicommissarius agens pro immissione ad bona fideicommissaria, habet electionem eligendi ex universo bonorum corpore ratam æquivalentem Prædio fideicommissario eum aliis ab hæredibus gravatis confuso, & commixto.*

2 *Fideicommissum non est allegabile super bonis per viam transactionis bona fide inter gravatos initæ, in qua quis in compensationem bonorum fideicommissariorum, libera alteri tradidisset*; & vide casum.

3 *Amplia, & si hæres fideicommissarius peteret immissionem pro credito fideicommissi, ob non factum reinvestimentum.*

4 *Subamplia, si d. hæres actor causam haberet ab eisdem condividentibus, ex quo repelleretur in vim legis* vindicantem ff. de evict.

DECISIO MCCCXXV.

UNA cum alio dubio super reservatis coram Me sub die 14. Junii 1720., proposui hodie etiam aliud respiciens petiolum Terræ in Communi Salvaris, & Jurispatronatus possessiv ab Alexandro Fideicommittente, de quibus hactenus nunquam actum

actum fuerat, & ulterius bona quaedam acquisita ab Hermete, & Agesilao haeredibus gravatis in eodem communi *Salvaris*. Et respectu istius dubii, DD. responderunt *dandam esse immissionem quoad bona Salvaris, & negativè quoad bona acquisita ab Hermete, & Agesilao. Quo vero ad Jus patronatus Sanctor. Senensis, & Ipocontis, dandam esse immissionem, & quoad aliam scribatur super eorum qualitate*.

Incipiendo à bonis *Salvaris* non impugnabant rei conventi Alexandrum Fideicommittentem, ultra duas petias, de quibus actum fuit in decisionibus coram Me editis sub diebus 23. Junii 1719., & 14. Junii 1720. acquisivisse etiam pretio lib. 80., & respectivè possedisse in dicto Communi aliud petiolum Terrae in loco denominato *Sasso pertuso*, negabant tamen concedi posse immissionem, quia d. petiolum commixtum, & confusum fuerat cum aliis pluribus bonis in eodem Communi ab haeredibus gravatis successivè acquisitis. Sed haec eorum exceptio licet in facto vera, visa tamen fuit in jure minus relevans, sicut enim responsum fuit, quo ad dd. duas alias petias Terrae in dec. diei 14. Junii 1720. §. *Et frustra aeque*, aut in exequtione mandati facile erit ex combinatione Confinium fundum fideicommissarium à liberis distinguere, aut si tanta, propter dd. successivas acquisitiones haeredum gravatorum sit inducta confusio, ut bona fideicommissaria à liberis discerni nequeant, & tunc erit in electione Actoris ex universo corpore bonorum commixtorum capere ratam aequivalentem bonis fideicommissariis, cum factum, & culpa haeredum gravatorum in ipsos, & eorum
1 haeredes refundi, non autem fideicommisso detrimento esse debent, *Fulgoss. cons. 145. per tot., Card. de Luc. de fideicommiss. disc. 194. num. 13.* cum aliis adductis in *prima dec. 23. Junii 1719. §. Hac autem cor. Me*.

At non ita DD. concedendam esse cen-
2 suerunt immissionem petitam ad alia bona in eodem Communi *Salvaris*, & *della Lama* acquisita ab Hermete, & Agesilao primis haeredibus gravatis, nam quamvis horum respectu diceretur, quod dicti haeredes gravati illa acquisiverint pro fideicommisso, & in adimplementum oneris à Fideicommittente ipsis injuncti de investiendo, & multiplicando singulis annis lib. centum, placuit tamen responsio, quod cum eadem bona in divisione anni 1570. per viam transactionis inter Caesarem, & alios ulteriores haeredes bona fide inita, assignata postmodum fuerint in portionem alterius ex condividentibus cum expressa promissione libertatis, & facultate de illis liberè disponendi, non possunt hodiè, tanquam fideicommissaria vindicari à Comite
3 Sylvio, nedum quia in d. divisione loco dictorum investimentorum, Fideicommissum constitutum fuit Creditor. lib. 1706., unde Fideicommissum nullam aliam promovere potest actionem, quàm pro consequtione d. quantitatis contra heredes dictorum Agesilai, & Hermetis. Verum & fortiùs
4 quia comes Silvius, qui modo agit est haeres mediatus d. Caesaris alterius ex condividentibus, unde repellitur vulgata exceptione legis *vindicantem ff. de evict.*, qua cavetur, ut quem de evictione tenet actio, eumdem agentem repellat exceptio, & consonat alius *text. in l. exceptione doli ff. eod.*

Reliquum fuisset agere de tribus Juribus patronatus, ad quae Comes Silvius immitti etiam hodie petebat, sed circa primum Sanctorum Senensis, & Ipocontis *de Tivoli* nulla fuit difficultas, quia altera pars ultro fatebatur pertinere ad Fideicommissum. Quo vero ad alia duo S. Apollinaris de Calvensano, & S. Cassiani de Castagnolo, cum decisio controversiae circa eorum pertinentiam, & pro qua ratio pendet ab ipsorum qualitate haereditaria, vel gentilitia, DD. demandarunt ut super ea strictè scribatur.

Et ita utraque &c.

REATINA PRIMOGENITURAE DE NOBILIBUS SUPER RESERVATIS.

Veneris 12. Junii 1722.

ARGUMENTUM.

Haec est in parte alterius confirmatoria sub die 16. Januarii 1721 emanatae.

Ex laudo ab haeredibus gravatis, aliisque interesse habentibus approbato vera bonorum pertinentia, vel ad primogenituram, sivè ad vetus fideicommissum, probatur, neque ab enunciativis ad diversum effectum per eosdem emissis excluditur.

Permutatio bonorum ineffectuata allegabilis non est adversus fideicommissarium hypothecaria actione agentem, neque post lapsum centenariae cogi quis potest ad eam exequtioni deuandandam.

SUMMARIUM.

1 *Pertinentia bonorum ex actibus simulatis, & ad alium finem gestis non desumitur.*
2 *Amplia, si post istos à partibus ad alios actus de diametro contrarios, & verisimiliores deventum esset*, & num. 3.
3 *Plus valet quod agitur, quam quod simulatè concipitur.*
4 *Pertinentia negativa bonorum non probatur ex enunciativis ad alium emissis effectum, quae rei statum non immutant, nec vocatis independenter ab enunciante praejudicant.*
5 *Probatur ex laudo solemniter accepto eam indigitante, atque ex divisionum instrumentis.*

6 *Am-*

6 *Amplia, si successores eadem bona possideant, uti ex illa hæreditate provenientia, ad quam spectare idem Laudum declarasset;* & num. 7.

7 *Fideicommissum quod sit progressivum, probatur ex sententiis, dispositionibus antiquis, & Laudo, ex quibus omnibus progressivitas resultaret; amplia,* ut in num. sequenti.

8 *Laudum solemniter acceptatum habet vim rei judicatæ, semperque est supponendum, donec in suo congruo Judicio restitutionis in integrum de medio non auferatur;* & num. 9.

10 *Hæres non potest impugnare factum sui auctoris.*

11 *Substitutio sub conditione* si sine filiis, *si cum filiis institutus decedat, evanescit.*

12 *Pater non potest adiicere novum onus restitutionis fideicommissi filio jure proprio venienti, cui de proprio nil relinqueret.*

13 *Fideicommissum non potest per gravatos fieri progressivum ultra gradus à fideicommittente designatos;* & quando secus?

14 *Bona non præsumuntur primogenialia, si ea secundogeniti divisissent, & Primogenitus pro eis sibi vindicandis, tantundem de proprio se soluturum promisisset.*

15 *Permutatio bonorum non effectuata ob non sequutum adimplementum de eis, quæ fieri, & exequi debuissent, non prodest, ut possessor bonorum permutatorum ex nova permutationis causa legitimus dicatur Possessor.*

16 *Evanida fit, si non omnes interesse habentes in ejus actu interfuissent, & aliqui etiam potius illam impugnassent;* & n. 20.

17 *Res inter alios acta tertium absentem non afficit,* & num. 20.

18 *Permutatio bonorum à nemine ex permutantibus exequutioni demandata non retardat immissionem hæredi fideicommissario.*

19 *Amplia, ut præsumere faciat, quod omnes mutuo consensu ab ea recesserint, nec post lapsum centenariæ potest quis ad ejus implementum compelli.*

20 *Transactio, concordia, sivè permutatio tertium absentem numquam ligant.*

21 *Bona fideicommissaria semel pro constituenda dote de fideicommisso distracta, in illud amplius non reincidunt.*

22 *Dos ex transversali fideicommisso non detrahitur,* & num. 23.

23 *Dos ex bonis primogenialibus detrahi potest.*

24 *Rota non respondet ad ea, quæ sub dubio sibi proposito non continentur.*

DECISIO MCCCXXVI.

CUm Dominus Octavius ex benignitate Sacri Tribunalis admissus ad Beneficium novæ Audientiæ adversùs Decisionem cor. Me editam sub die 16. Januarii proxime præteriti, nihil hodiè proposuerit, quod illius fundamenta evertere posset; quinimò illa semper magis firma, solidaque comperta fuerint ex ipsismet juribus, quibus ille tanquam noviter productis potissimum nitebatur; Domini non dubitarunt eamdem decisionem iterùm approbare, rescribendo *in decisis quoad Tenutam Reparli, & Prædium Montisola, & quoad Prædium Petrarchæ, & Campi Reatini, & Ajelli dilata, & producantur jura.*

Et sanè quod attinet ad tenutam *Reparli,*
irrito prorsùs conatu ad effectum suadendi,
quod illa pertineret ad Joannem Baptistam
Primogenituræ Conditorem, repetebantur
hodiè tùm Inventarium confectum ab Antonio
Juniore, & quædam declarationes,
& enunciativæ ab eodem emissæ, tùm sententia
lata contra Fiscum, & supplex denique
libellus per Andream alterum ex filiis
dicti Antonii junioris porrectus san. mem.
Urbano VIII. pro obtinenda derogatione
dictæ Primogenituræ, & erectione Montis:
1 Hæc enim omnia jam priùs adducta, & solidè,
validequе rejecta in dicta precedenti
decisione, non merebantur iterùm in præsenti
adduci, dum respectu actuum ab Antonio
Juniore gestorum semper urgebat responsio
illa, quod nempè de eis nulla prorsùs
ratio habenda erat tanquam simulatè gestis,
& ex causa occultandi Bona ab oculis
Fisci sub titulo, & umbra Primogenituræ
à Joanne Baptista Jun., atque ejus filio tunc
possessę, prout de facto contigisse depræhenditur
ex dicta sententia contra eumdem
2 Fiscum successivè lata: Cum autem postquam
timor iste cessavit propter obtentam
restitutionem in gratiam Principis, idem
Antonius sollicitus de separatione Bonorum
fideicommissariorum Antonii senioris
ad ipsum pertinentium à Bonis primogenialibus
Joanni Baptistę filio debitis, de facto
obtinuerit inter cætera Bona fideicommissaria
sibi tradi, atque assignari controversam
tenutam *Reparli*, jam nemo non videt,
quod in concursu hujusmodi actuum
inter se omninò oppositorum potiùs quam
prioribus simulatè, & ad certum dumtaxat
effectum expletis, deferendum est posterioribus
in gratiam veritatis, & pro stabilienda
vera Bonorum pertinentia inter ipsum,
ac Joannem Baptistam filium consultò
emissis *l. prima, & toto titulo Digestor., &*
3 *Cod. plus valere quod agitur, quàm quod simulatè concipitur.*

4 Nec dissimili ratione nulla quoque ratio habenda erat de enunciativa emissa in dicto supplici libello per Andream ejusdem Antonii filium, quòd nempè omnia Bona per eum possessa obnoxia essent Primogeniturę Joannis Baptistæ senioris, & in fideicommisso Angeli, cum enim ad effectum de quo tunc agebatur obtinendi derogationem fideicommissi, & facultatem erigendi Montem nihil prorsùs interesset, utrum Bona essent supposita fideicommisso Antonii senioris, vel Primogenituræ Joannis Baptistæ

pari-

pariter senioris, dùm utroque casu erat
æquè necessarium placitum Principis. In
his utique terminis dicta unica, & simplex
enunciativa veritatem facti aliter se haben-
tis immutare non potuit, nec præjudicium
ullum ulterioribus vocatis inferre, ad tra-
dita per *Rotam decis.5. n.12. par. 13.dec.31.
num.9. par. 18., & decis.119. n. 11. par.19.
recent.*

Quod autem facti veritas alitèr se habe-
5 ret, ac Tenuta controversa *Repasti*, non ad
Primogenituram Joannis Baptistæ favore
Octavii Actoris purificatam, sed ad anti-
quum fideicommissum Antonii senioris per-
tineret apertè, ac perspicuè resultabat ex
solemni Instrumento divisionis Bonorum
primogenialium à Bonis fideicommissariis
factæ vigore laudi ad hunc effectum editi ab
Angelo de Nobilibus Arbitro communiter
electo, & æquè solemniter acceptatæ, &
approbatæ à Joanne Baptista juniore, tunc
Possessore Primogenituræ per aliud publi-
cum instrumentum triduò post ipsam divi-
sionem celebratum in præsentia clar. mem.
Cardinalis Crescentii tunc Episcopi, &
R.P.D. Strozzi Gubernatoris Reatini; hæc
enim divisio, & assignatio adeò maturè, ac
solemnitèr gesta in dubium venire non sinit,
quod Tenuta tùnc assignata Antonio juniori
tamquam vocato ad fideicommissum Anto-
nii senioris, revera ad hoc fideicommissum
6 pertineat, dùm præsertim ab eo tempore,
usque in præsens omnes Successores eam-
dem Tenutam semper possederunt ad for-
mam dicti laudi, & divisionis, ut latè firma-
tum fuit *in præcedenti Decisione Causæ §.
Quod autem, & seqq.*

Denique nec etiam in præsenti iterùm
opponi merebatur objectio illa adducta in
die præcedentis Decisionis, & per Sacr.
7 Tribunal solidè rejecta, quod nempè fidei-
commissum Antonii senioris non esset pro-
gressivum ad filios Joannis Baptistæ senioris,
& respectivè Testatoris Nepotes, sed in ip-
so Joanne Baptista primo hærede, & pri-
mogenituræ Conditore expiraret. Nimis
enim patula, & urgens erat responsio data
in Decisione §. Et hinc, quod ejusmodi quæ-
stio decisa jam fuerat, tùm ab ipso Joanne
Baptista sen., cujus factum Octavius Actor
impugnare non potest, dum ille in ejus Te-
stamento benè conscius, quod Antonius se-
nior ejus Pater Nepotes in conditione
positos dispositivè vocare voluerat, manda-
vit Antonio filio, quamvis inviso, & exhæ-
redato Paternam hæreditatem restitui de-
tracta Trebellianica: Tùm etiam successivè
à memorato Angelo de Nobilibus Arbitra-
tore, qui inhærendo in hac parte disposi-
tioni, & voluntati dicti Joannis Baptistæ,
declaravit in laudo, quod fideicommissum
Antonii senioris restituendum erat Antonio
juniori cum onere tamen illud restituendi
8 ipsius filiis. Quod sanè laudum, tanquam
à partibus solemnitèr acceptatum vicem
rei judicatæ obtinet, itaùt hodiè omninò
supponendum veniat, quousque in suo con-
gruo judicio restitutionis in integrum de
medio non auferatur, ut alias in hoc ipso dixit
*Rot. in Ferrarien. Fideicommissi de Giliolis
7. Martii 1718., & 27. Martii 1719. cor.
Me, & in Decisione Causæ §. Quod autem.*
9 Ex quo fit, ut interim nulla contra illud ad-
mitti possit exceptio, aut nullitatis, aut in-
justitiæ, & maximè illa, quod prædictum
laudum fundatum fuerit in quibusdam falsis
Codicillis, dum pro eo, quod attinet ad
restitutionem hæreditatis Antonii senioris
faciendam Antonio juniori veritas est, quod
10 unicè fundatur in Testamento Ioannis Ba-
ptistæ, de cujus legalitate non dubitatur,
& quod, ut suprà dictum fuit, Octavius im-
pugnare non potest, utpotè qui jus suum ab
illo metitur, vulgat. *l. Cum à Matre Cod. de
rei vendic., Rot. in Forolivien. Fideicomm.
Polixenæ de Corbicis 2. Martii proximè
præteriti §. Altera cor. Me.*

Et hinc quoque quasi per necessariam
consequentiam corruebat aliud objectum,
quod nempè Joannes Baptista conditor Pri-
mogenituræ in dicto ejus testamento con-
11 troversa Bona illi subiecerit. Ultrà quod
enim fideicommissi onus non fuit ab eo su-
peradditum simpliciter, & absolutè, sed
sub expressa conditione, & quatenùs Anto-
nius sine filiis decederet. Undè cum ejus-
modi conditio defecerit per illius obitum
cum filiis, tota substitutionum series statim
evanuit, sicuti ponderatum fuit in præce-
denti *Decisione §. Sed sua*, ubi etiam res-
pondetur conjecturis in contrarium cumu-
latis pro suadenda duratione fideicommissi
favore vocatorum ad Primogenituram.

Placuit insuper alia responsio pariter da-
ta in dicta præcedenti Decisione §. *Certiùs
12 quia*, quod posito, quod fideicommissum
ab Antonio seniore ordinatum usque ad
Antonium juniorem progrederetur, & in
eo terminaret, nullo modo poterat Ioannes
Baptista novum onus restitutionis adiicere,
& gravare in re propria dictum Antonium
juniorem ejus filium, cui nec legitimam qui-
dem relinquebat, imò exhæredem nomi-
natim fecerat; & eatenùs prorogatio ejus-
dem fideicommissi favore filiorum ipsius
Antonii vires accepit, quatenùs ipse lau-
dum Angeli pro parte acceptando proro-
gationem ejusmodi ad proprios filios re-
13 strictam approbavit: Undè quatenùs etiam
subsisteret, quod Joannes Baptista voluisset
paternum fideicommissum ultra filios ejus-
dem Antonii junioris in conditione positos
progredi, adhùc tamen prorogatio ex defe-
ctu potestatis nulla, & invalida remansisset
præterquam in ea parte, cui Antonius filius
proprium consensum successivè accomo-
davit, ad *Text. in l. Imperator §. Si Censum,
& §. Cum quidam ff. de legat. primo, Rota
decis.46. n.3. cor. bo. mem. Ansaldo. & in
Perusina Legati 4. Febr. 1722. §. Absque
eo quod coram Me.*

Hæc igitur DD. tamquam leviora, & jam
semel

ſemel ampliſſimè rejecta prætereundo, aſ-
ſumpſerunt examen alterius objecti novi-
ter ab Octavio promoti, quod ſcilicèt con-
troverſa Tenuta *Repaſſi*, quamvis in origi-
ne pertinens ad antiquum fideicommiſſum
Antonii ſenioris, poſteà tamen obnoxia re-
manſerit vinculo Primogenituræ virtute
cujuſdam permutationis, ſeu tranſactionis
longè poſt diviſionem, ac laudum celebra-
tæ inter Joannem Baptiſtam tunc ejuſdem
Primogenituræ Poſſeſſorem, ac cæteros
Fratres de Nobilibus Poſſeſſores fideicom-
14 miſſi; verùm, & hoc quoque minùs habe-
re compertum fuit, nàm licet ex inſtru-
mento dictæ permutationis ſemper magis
comprobatum remaneat, quod Tenuta re-
vera ſpectabat ad fideicommiſſum Antonii
ſenioris, quodque nulla prorsùs ratio ha-
benda erat de contrariis enunciativis, aliiſ-
que exceptionibus hactenùs expenſis, dùm
alias ſi ad Primogenituram pertinuiſſet, ne-
que cæteri Fratres Secundogeniti potuiſ-
ſent de illa diſponere, neque Joannes Bap-
tiſta Primogenitus adeò fatuus fuiſſet, ut
pro ea obtinenda tantundem de proprio ſe
Fratribus traditurum conſtituiſſet, juxtà
monitum vulgat. *Text. in leg. Cum de in-
debito ff. de probat.*, de quo *Rot. cor. Eme-
rix deciſ.* 1186. *in fin.*, & ſæpè alibi.
15 Non tamen etiam inferri poteſt, quod
ex tunc ſaltèm pertinere ad Primogenitu-
ram incœperit ex nova cauſa, & contractu
permutationis; conſtat enim in facto, quod
permutatio iſta nullum prorsùs effectum
ſortita fuit, vel quia pendente adhùc dila-
tione inter Partes conventa pro illius exe-
cutione, Joannes Baptiſta Primogenitus ſi-
ne filiis, imò ſine hærede deceſſit; Undè
cum nihil ex ejus parte impletum fuerit ex
iis, quæ ad perficiendum contractum im-
pleri debebant, & preſertim ſolutio quo-
rumdam cenſuum, ac dotium, quos poſteà
fideicommiſſum ſolvere coactum fuit; con-
ſequenter, & ipſa permutatio reſoluta illi-
cò, atque imperfecta remanſit, ad *Text. in
l. pr. ff. de rer. permutatione, Gloſſ in l. Ju-
ris gentium verb. Facias ff de pactis, Rot.
coram Bich. dec.* 140. *n* 27., *&* 28., *& in
Bononien. Bonorum ſuper relaxatione
Mandati* 22. *Junii* 1712. §. *Abſque eo quod
cor. Eminentiſſimo Scotto*.
16 Sivè etiam, & fortiùs, quià in dicto per-
mutationis contractu ex Fratribus Secun-
dogenitis interfuerunt dumtaxat Silveſter,
& Franciſcus Maria ætate minores; An-
dreas autem, à quo cauſam habet D. Ange-
lus alter ex Fratribus, tunc paritèr minor,
neque contractui interfuit, neque illum un-
quam ratum habuit; imò tam ipſe, quam
dicti alii Fratres eamdem permutationem
potiùs reprobarunt, dum perindè, ac ſi illa
celebrata non fuiſſet, in poſſeſſione Tenutæ
remanſerunt, ac proindè in his terminis,
vel nemini ex Fratribus illa nocere potuit,
tanquam ad effectum non perducta *Rot. de-*
17 *ciſ.* 359., vel ſaltem tanquam res inter alios
acta afficere nequivit Andream, in quo vir-
tute reciprocæ totum fideicommiſſum con-
ſolidatum fuit, *l. Non debet ff. de regul. Jur.
l. prim.*, *& tot. tit. Cod. res inter alios acta,
Rot. dec.* 1098. *in fine cor. bon. me. Emerix,
& in Romana Canonum* 13. *Martii* 1722.
§. *Undè cor. Me.*
18 Atque hinc minimè turbat, quod permu-
tatio conventa fuerit per viam concordiæ,
& tranſactionis, & ad effectum dirimendi
lites tunc temporis inter Fratres exortas,
quodque proptereà etiam hodiè Octavius,
tanquam ſucceſſor in Primogenitura, agere
poſſit ad illius implementum: Ultra quod
enim actio iſta, quatenùs competeret, mini-
mè congrueret præſenti judicio immiſſionis,
ſed eſſet in ſuo congruo, ac particulari ju-
19 dicio experienda, ceſſat penitùs objectum,
tum quia eo ipſo, quod nemo ex contrahen-
tibus pro parte ſua implevit, cenſentur mu-
tuo conſenſu ab ea receſſiſſe, nec hodiè am-
pliùs re non integra, & poſt decurſum cen-
tum, & ultrà annorum ad implementum
agi poteſt *Rot. coram Cocein. dec.* 204. *n* 6.;
20 Tùm etiam quia, ſivè dictus contractus
fuerit ſimplex permutatio, ſive tranſactio,
& concordia nunquam ad ejus obſervan-
tiam adigi poſſunt ſucceſſores Andreæ, dùm
ille nec contractui interfuit, neque illum
unquam ratum habuit, juxtà expreſſum
Text. in l. Imperator ff. de tranſact l. 1. *Cod.
eodem, Rot. cor. Gregor. dec.* 418. *ſub n.* 5.,
& 10., *& coràm Otthobon. deciſ.* 102. *n.* 13.
ubi concordantes.
Cum igitur non obſtantibus tam antiquis,
quam recentibus objectionibus, ſemper
magis firmum in facto maneat, quod Tenu-
ta Repaſſi non ad Primogenituram perti-
neat, ſed ad fideicommiſſum antiquius An-
tonii ſenioris, quod coalvit, & terminavit
in Andrea Auctore Angeli, jam indè ſequi-
tur, ut meritò denegata fuerit immiſſio ad
illam petita per Octavium, tanquam in di-
21 cta Primogenitura ſucceſſorem; ſed jure
etiam, meritòque fuit paritèr illi denegata
immiſſio ad aliud Prædium *Montiſola*, quia
ſemel ac iſtud diſtractum fuit pro reſtituen-
da dote Artemiſiæ, & reſpectivè conſti-
tuenda Victoriæ, vigore *Authenticæ res
quæ* illicò ſolutum fuit ab omni nexu Pri-
mogenituræ, cui anteà ſubjacebat, ex addu-
ctis in præcedenti Deciſione §. *Et ſic expe-*
22 *diti*. Nil relevante, quod dos Victoriæ jam
anteà ab Andrea Fratre conſtituta fuiſſet
in quibuſdam aliis Bonis, quia cum iſta eſ-
ſent ſuppoſita alteri fideicommiſſo Angeli
tranſverſalis, & ideò eorum diſtractio ex
cauſa dotis minimè ſubſiſteret, opus idcircò
fuit, illam de novo conſtituere ex Bonis
23 ſubjectis Primogenituræ aſcendentali, quæ
de jure erant oneri dictæ donationis obno-
xia, non verò tranſverſalia, *Rot. deciſ.* 818.
num. 1., *& deciſ.* 852. *n.* 3. *coram Cerro*, *&
dec.* 1145. *n.* 1., *&* 2., *& dec.* 1291. *n.* 2. *cor.
Emerix jun.*
24 Ultrà dicta duo Prædia *di Ripaſſo*, &
Mon-

Montisfula petebat hodiè Octavius immissionem ad Prædium *Petrarca*, super quo demandatum fuit in die præcedentis Decisionis, quod citaretur Possessor, & ad aliud Prædium denominatum *Campo Reatino*, seù *Ajelli*, sed quia inspectio super hisce Prædiis non cadebat sub præsenti dubio, sub quo solùm veniunt resoluta in præcedenti Decisione, & cęteroquin Octavius jura ad causam facientia in actis non produxerat, DD. idcircò quoad ista rescripserunt, dilata, & producantur jura.

Et ità collectis omnium DD. suffragiis, & parte utraque informante resolutum fuit.

SABINEN. MANUTENTIONIS, SEU BONORUM.

Veneris 12. *Junii* 1722.

ARGUMENTUM.

Purificata conditione à fideicommittente volita, substitutio ex se locum habet.

Speciale in dote est, ut nullatenus attendatur exceptio redditionis rationis de posteriori administratione per mulierem suscepta, ad effectum retardandi dotis restitutionem.

SUMMARIUM.

1 *Substitutio concepta sub conditione* Si hæres sine filiis decesserit, *illo sic decedente, dicitur ad quemcunque effectum purificata.*

2 *Manutentio regulatur à bono jure, in cujus sequelam debetur.*

3 *Retentio pro juribus dotalibus datur mulieri super bonis viri pro intranti quantitate.*

4 *Dotis restitutio non retardatur mulieri per exceptionem redditionis rationis de administratione per eam susceptam;* amplia, ut in nn. 7. & 8.

5 *Amplia, etiam si ostenderetur quod bona, & fructus ad manus mulieris pervenissent* & vide rationem in n. 6.

6 *Creditum dotale, ut dicatur turbidum, probari debet, quod mulier tot bona perceperit, ex quibus de sua dote potuerit integre satisfieri*, & n. 8.

7 *Dotis restitutio non retardatur per exceptionem fructuum, quos mulier ex alio titulo de bonis viri sibi competere contendat, & prætensio adhuc sub Judice stet.*

8 *Creditum dotale vigere præsumitur, non obstante administratione per mulierem suscepta, nisi concludentibus probationibus demonstraretur extinctum.*

DECISIO MCCCXXVII.

Controversias post obitum Josephi Antonii Pauletti exortas super successione ad bona fideicommissaria Joannis Dominici Pauletti, aliisque prætensis subductionibus, ac detractionibus inter Sorores de Paulettis, & Joannam earum Matrem ex Testamento hæredem dicti Josephi Antonii filii, quamvis per amicabile Compromissum Partes dirimendas convenissent; adhùc mutato postmodum consilio res delata fuit ad forum contentiosum coram A.C., à quo relaxatum fuit mandatum de manutenendo in possessione eorumdem bonorum ad ratam quartæ partis pro qualibet; devolutaque Causa in vim rescripti Signaturæ ad nostrum Auditorium sub die 24. Januarii anni præteriti, proposui dubium respiciens manutentionem, & cum rescriptum fuerit -- *Dilata, & videatur de bono jure etiā ad effectum manutentionis* -- Causam reproposui sub congruo Dubio -- *An & de cujus bono jure constet etiam ad effectum manutentionis* -- cujus resolutio cum dilata fuerit sub die 4. Maii præteriti, in hodierna Audientia, eodem dubio iterum exhibito, tandem responsum habui -- *Constare de bono jure etiam ad effectum manutentionis quoad fideicommissum universale pro quarta parte pro qualibet fœmina, & quoad fideicommissum particulare iterum proponatur, competere retentionem Joannæ pro sc.* 1500., *& in reliquis particulariter videatur.*

1 Siquidem assumendo examen boni Juris etiam ad effectum decernendæ manutentionis petitæ per Sorores de Paulettis, istud satis clarum compertum fuit pro quarta parte pro qualibet quoad fideicommissum universale Joannis Dominici Patris; cum enim idem Joannes Dominicus in ejus Testamento, præter fideicommissum particulare ordinatum super Casale nuncupat. *della Palobara*, aliisque certis bonis, cujus respectu suffragia Dominorum non convenerunt, ordinaverit fideicommissum universale, ad quod primo loco vocavit Josephum Antonium filium, illoque sine filiis decedente, præter Barbaram ejus Sororem, quæ præobiit ante purificatam conditionem, substituerit Theresiam, Annam Victoriam, & Mariam Olimpiam filias, necnon Joannam Uxorem pro æquali portione, eo ipso, quod evenit casus obitus d. Josephi Antonii sine filiis, substitutio absque dubio dici debet purificata favore dictarum Sororum, & Matris pro quarta parte pro qualibet, *Rot. in Urbanien. fideicommissi* 13. *Februarii* 1715.

2 §. *Juxta coram Reverendissime Crispo*, & sic ad formam purificatæ substitutionis, ex qua bonum Jus resultat, regulanda est manutentio, quæ in ejus sequelam hodie disputatur, juxta praxim, de qua *Rot. in Albanen. Donationis super manutentione* 9. *Martii* 1711. §. *Attento coram Reverendissimo Aldrovando, & in Ariminen. Successionis super manutentione* 29. *Janu.* 1719. §. *Primo coram R.P.D. Foscaro.*

Huic purificationi favore Sororum pro quarta parte, aliud non opponebat Joanna

Mater, nisi quod ipsi competerent nonnul-
lę subductiones, vel detractiones quotitati-
væ, & quantitativæ, quarum vigore è con-
verso constare dici deberet de ejus bono ju-
re ad effectum pariter manutentionis, ac re-
3 tentionis; verum Domini remittentes ad
particulare examen discussionem dictarum
subductionum, & detractionum ex persona
Josephi Antonii filii, aliisque titulis à Joan-
na prætensis, eidem hic, & nunc retentio-
nem debitam esse declararunt pro sc. 1500.,
pro hac enim summa constitit de jure claro,
& incontrovertibili ejusdem Mulieris re-
sultante ex publico Instrumento dotali, in
quo apparet, quod ultra nonnulla stabilia
habuerit in dotem in pecunia numerata sc.
1500.: quapropter eidem denegari non va-
let retentio, quæ post obitum Viri Con-
jugi superstiti pro intranti quantitate ejus
crediti dotalis semper conceditur, ad tra-
dita per *Rot. dec. 38. n. 10., dec. 65. n. 4. post
Merlin. de pignor., dec. 493. n. 2. par. 18.,
& in Ripana Dotis 9. Aprilis 1705. §. Con-
stitit cor. bo. me. Kauniz.*

4 Nec claritas hujus crediti dotalis visa
fuit obumbrari posse exceptione administra-
tionis, quam post obitum Josephi Antonii
filii suscepit Joanna de omnibus bonis ab
eodem filio relictis. Ultraquod enim dicta
Joanna Mater administrationem suscepit
cum consensu, & approbatione filiarum me-
diante provisionali concordia, & præmissa
expressa præservatione suorum jurium dota-
lium, speciale est in dote, quod nullatenus
contra ipsam attendatur exceptio redditio-
nis rationis de posteriori administratione,
ut docet *Text. in l. unica §. Taceat. Cod de
rei Uxor. act.*, & tradunt *Borgnin. de Tu-
tor., & Curator. n. 219., Muta ad consue-
tud. Panormit. cap. 50. n. 71. Constantin. ad
Stat. Urb. cap. 85 annot. 14 n. 47., Rot. cor.
Bich dec. 173. n. 12., & 14., & dec. 466.
5 n. 27.*, etiamsi ostenderetur, quod bona, &
fructus ad manus Mulieris pervenerint: ut
6 enim dici possit inducta turbiditas crediti
dotalis, debet probari, quod Mulier tot bo-
na perceperit, ex quibus integre de sua do-
te satisfieri potuerit, *Constant. ad Stat.
Urb. d. annot. 14. n. 48., Rot. coram Cerr.
dec. 55. n. 9. coram Bich. dec. 173. n. 8., &
9., & decis. 466. n. 27., & in Nullius, seu
Sublacen Cautbela Angeli 14. Februarii
1716. §. Ex bactenus coram Reverendissimo
Crispo.*

Hæc autem probatio in casu præsenti de-
sumi non potuit ex calculo fructuum, quos
Sorores attribuunt hęreditati, & fideicom-
misso Jo. Dominici; quippè quia quoad fru-
ctus locorum Montium, in majori parte
illi relicti fuerunt inexacti pènes Deposita-
7 rios; quo vero ad alia bona, quidquid sit de
vera quantitate fructuum, cum per Joannam,
ut dictum est, particulares deducantur titu-
li, & detractiones, quibus subsistentibus ju-
re proprio eidem debita erat rata fructuum
controversorum bonorum, & hujusmodi in-
spectionem Sacrum Auditorium particulari
examini reservaverit, visum non fuit ratio-
ni congruum, integre calculare fructus in
8 diminutionem dicti crediti dotalis, quod
non obstante administratione lex præsumit
vigere, nisi convincentibus probationibus,
post factas omnes supputationes dici possit
extinctum, ut pręter allegatos, optime firmat
*Card. de Luca de Dot. disc. 90. n. 5., Rot. in
rec. dec. 157. n. 31. cum pluribus seqq. par. 12.,
& dec. 572. n. 17. par. 19.*

Et ita utraque &c.

CORNETANA SUCCESSIONIS, SEU TESTAMENTI.

Lunæ 15. Iunii 1722.

ARGUMENTUM.

Fratres, qui inter se conveniunt de æqualiter hinc inde dividendo quascumque hæreditates, quę ad eos deferri possent, ad servandam concordiam, potius sunt laude digni, neque talis contractus subiacet censuræ *de voto captandæ mortis*.

Clericus conjugatus Canonis tantum, & Fori gaudet privilegio, non vero cæteris aliis, quibus Clericus cęlebs, & propterea laicali subiacet Statuto, & in Causa civili potest ab Ecclesiastico Judice, juxta tamen leges laicalis Statuti, judicari.

SUMMARIUM.

1 *Conventio inter fratres inita de dividenda ęqualiter quacumque futura hæreditate in alterutrum eorum obventura servari debet, quia per incertitudinem exulat votum captandæ mortis*; amplia, ut in nn. 4. & 6.

2 *Conventio generaliter facta, ut dicatur irrita, constare debet, quod condita sit in fraudem legis*, & vide casum.

3 *Fraus de jure non pręsumitur.*

4 *Votum captandę mortis non habet locum in conventione inita inter fratres super divisione cujusvis hęreditatis eis obventuræ, quando adsunt Parentes, aliique proximi consanguinei, quorum successiones generaliter à paciscentibus sperari possunt.*

5 *Limita, quando generalitas non potest, nisi in una persona, & unius tantum hæreditate verificari.*

6 *Conventio inter fratres inita de quavis dividenda hæreditate pro ęquali absque voto captandę mortis alicujus specialiter, & facta ad pacem conservandam, sustineri debet.*

7 *Filii ex eodem matrimonio, vel nepotes non possunt inæqualiter recognosci à Parentibus in testamento, vel alia ultima voluntate in Locis subiectis Cornetano Statuto.*

8 *Statutum Cornetanum est in viridi obser-*

van-

vantia, *& signanter quoad capitulum* 18. *libri* 2. *de successionibus filiorum*, *& laudabile reputatur*.

9 *Clericus Conjugatus locali ligatur Statuto*, *cum non omnibus*, *quibus Clericus celebs*, *gaudeat privilegiis*.

10 *Clericus primæ tonsuræ*, *aut minorum Ordinum conjugatus cum unica*, *& virgine dupplici gaudet privilegio*, *nimirum* Canonis siquis suadente &c. 17. quæst. 4., & Fori Ecclesiastici, & n.18. & declara, ut in nn. seqq.

11 *Clericus conjugatus an gaudeat privilegio Fori*, *tam in Causis civilibus*, *quam Criminalibus*, *aliqui Doctores affirmativam tenent*.

12 *In Regno Neapolis non gaudet*, *excepto casu contrariæ consuetudinis*.

13 *In eodem Regno*, *quoad Causas criminales tantum gaudet*.

14 *Privilegium exemptionis à foro seculari differt à privilegio libertatis à Statutis Laicorum*, *licet quoad aliquos effectus paria sint*.

15 *Forus appellatur proprie locus ille*, *in quo Judicia publice exercentur*.

16 *Privilegium exemptionis à Statutis Localibus præfefert libertatem à pragmaticis seculari potestate conditis*.

17 *Clericus conjugatus non gaudet privilegio libertatis*, *& exemptionis à Statutis*, *& ordinationibus Laicalibus*; amplia, ut in n. 19.

20 *Forum sortiri*, *& legibus*, *sive Statutis alligari*, *paria sunt*.

21 *Judex Ecclesiasticus potest cognoscere de Causa mere civili Clerici conjugati*, *& procedere juxta leges Laicales*.

22 *Clericus conjugatus tenetur solvere gabellas*, *datia*, *cæteraque onera sive realia*, *sive mixta*; & quare?

23 *Sindicus Religionis*, *qui sit mere Laicus*, *in Causis extra sindicatum non gaudet Religionis privilegiis*, *præsertim*, *si extra Claustra degat*, *& Concilii requisitis sit destitutus*.

DECISIO MCCCXXVIII.

Ex duobus fundamentis, ex quibus Congregatio particularis à san. mem. Clemente XI. specialiter deputata censuerat, dandam esse Josepho immissionem ad medietatem bonorum omnium hereditatiorum Odoardi Patris, Sacrum Tribunal sub die 9. Januarii proximè præteriti, relicto in suspenso illo, quod innitebatur dispositioni Statuti Cornetani *lib.* 2. *rubric.* 68., approbavit dumtaxat alterum deductum ex solemni Conventione inter eundem Josephum, atque Antonium fratrem inita anno 1719. super generali Communicatione quarumcunque hæreditatum, quæ in alterum ex eis obvenire possent, ut latius constat ex Decisione sub dicta die coram Me edita: hodiè vero repropofita causa, novisque opportune superadditis facti circumstantiis, DD. amplexi fuerunt utrumque fundamentum, quamvis non ex eisdem rationibus, atque ideo responderunt, *Standum esse in Decisis*.

Subsistere sane compertum fuit fundamentum illud in præcedenti Decisione jam ap-
1 probatum, quod nempe eo ipso, quod fratres solemni Conventione pepigerant quæcumque bona, & hæreditates in alterutrum ex eis obventura, æquis portionibus inter se communicare ac dividere per viam puræ, ac reciprocæ Donationis, quę nullo unquam tempore, nullaque ex causa, quamvis urgentissima, & incogitata revocari posset, nullo modo poterat Antonius se eximere ab obligatione communicandi cum altero fratre paternam hæreditatem post d. conventionem ipsi ex Testamento delatam, juxta deducta in dicta mea *prçcedenti Decisione* §. *Prescindendo*, cum enim per dictam conventionem non fuerit inter fratres in pactum deducta hæreditas alicujus certi, ac designati hominis viventis, sed generaliter, & indefinitè quæcumque futura possibilis hæreditas in alterutrum eorum obventura, nihil est, cur servari non debeat, dum in hisce circumstantiis incertitudo ipsa immunem prorsus reddit ejusmodi conventionem à quacumque suspicione improbi voti captandæ mortis, & justa potius inter fratres inducta videtur societas *l.* 3. §. *de illo*, *et ibi Gloss. ver. justa ff. pro socio*, *Schettin. de pact. par.* 2. *Sess. unica n.*25. *Rota coram Emerix decis.* 581. *n.* 14. cum aliis in Decisione causæ §. *Generalis*.

2 Irrito propterea conatu, etiam hodiè repetebatur pro parte Antonii objectum illud jam late, solideque rejectum in d. prçcedenti Decisione, quod videlicet, ex quo fratres anno antecedenti specialem inierant Conventionem per Apocam privatam super hæreditate paterna, subsequens Instrumentum generaliter complectens quascumque hæreditates, non nisi in fraudem legis factum censeri deberet, ad effectum obtegendi sub velo verborum generalium improbam voluntatem paciscendi super hçreditate paterna, juxta *Decisionem* 89. *Vincentii de Franchis*, ut enim DD. ponderabant, ad effectum, ut conventio generaliter concepta irrita censeatur, omnino constare debet,
3 quod in fraudem legis facta fuerit: hçc autem fraus, ultra quod de Jure minimè prç-
4 sumitur, nunquam probata dicitur, quando, prout in casu de tempore Conventionis non Pater solùm, sed Mater etiam, & plures alii aderant proximi Consanguinei, quorum successiones generaliter à paciscentibus sperari poterant; in his namque terminis, cessat ratio cujuscumque coloris quæsiti, qui tunc so-
5 lum consideratur, quando generalitas non potest, nisi in persona, & hæreditate unius tantum verificari, ut declarando *d. Decisionem de Franchis* 89. ad rem communiter advertunt *Torr. de pact. lib.* 1. *cap.* 26. *n.*19.,

Schettin. de pact. par. 2. sect. unica n. 30.,
Rot. cor. Buratto dec. 336. n.8.

Quod si nulla fraus in re ipsa considerari
6 potest, multo minus de illa redargui valeat
animus, & intentio fratrum paciscentium,
cum in facto certissimum sit, illos tam in
priori conventione per Apocam privatam
celebrata, quam in alia subsequenter inita
per publicum Instrumentum non alia mente
fuisse, quam eo pacto obviam ire periculo
litium, & discordiarum, in quas ab Odoardo
Patre conjectum iri timebant; undè cum
causa motiva ità paciscendi non fuerit spes
aliqua præmatura hæreditatis Paternæ, sed
conservatio pacis, & concordiæ, nemo sa-
ne dixerit, quod quatenus reijci debeat pri-
ma conventio, tanquam specialiter, ac no-
minatim facta super hæreditate Paterna,
improbari etiam debeat secunda, nullam
cum superiori connexionem habens gene-
ralibus verbi concepta, & unicè ordinata
ad pium illum, & laudabilem finem servan-
dæ inter fratres concordiæ, ad ea, quæ tra-
dit *Bruneman. in l. fin. n. 17. C. de pact.*,
Cesal. cons. 332 n.52., *Torr. de pact. d. cap. 26.
n. 18.*, *et in Mantiss. post eumdem. Tor. ju-
xta impressionem Colouiensem n. 13.*, *Rot.
coram Buratt. d. dec. 466. sub n. 8.*, & ad-
vertit etiam Decisio Causæ §. *fin.*

Posita itaque ex hactenus validitate d. so-
lemnis conventionis, opus minimè fuisset
assumere examen alterius fundamenti repo-
siti in dispositione Statuti Cornetani, & à Cō-
gregatione Particulari jam approbati, dum
præsens controversia versatur inter ipsos
fratres, qui satis obstricti remanent ad com-
municandam æqualiter Paternam hæredita-
7 tem ex hujusmodi solemni conventione; sed
quia Odoardus Pater, nedum Antonium
alterum ex filiis heredē ex asse instituerat,
sed etiam ipsi ejus filios substituerat in utro-
que casu obitus, & alienationis, ac propte-
rea non immerito dubitari poterat, utrum
filii, quorum jus in pactum deductum non
fuit, prædicta conventione afficerentur;
placuit DD. ad tollendas omnes controver-
sias, assumpto examine dicti alterius secundi
fundamenti, nullum, irritumque declara-
re Odoardi Patris Testamentum, tanquam
factum contra formam, ac dispositionem
Patrii Statuti expressè, & sub pæna nullita-
tis inhibentis *in cap. 18. lib. 2.*, *quod Patres,
Matres &c. habentes filios ex eodem Matri-
monio legitimè natos, vel Nepotes &c. non
possint de bonis eorum plus uni, quam alteri
dare, seu legare per Instrumentum, seù Co-
dicillos, seu aliam ultimam voluntatem*,
8 quod sane Statutum, & esse in viridi obser-
vantia, & rationi plurimum congruere, tan-
quam inducens inter liberos æqualitatem
illam per modum salubris Consilii Parenti-
bus à lege insinuatam *in l. Ut liberis*, *l. Il-
lud. §. fin. C. de collation. l. fin Cod. com.
utriusque Iud.*, & aliis pluribus Juris nostri
locis, jam partes ipsæ hodie admittere vi-
debantur, & pro certo, atque indubitato
supposuit præcedens Decisio Causæ §. *Sed
Domini*.

Quamvis autem in eadem prȩcedenti De-
cisione Sac. Tribunal, his non obstantibus,
super hoc Statuto pedes figere noluerit,
quia satis tunc dubium, ac periculosum ha-
bitum fuit determinare, utrum eo ligari pos-
set Antonius Clericali Caractere insigni-
tus, ut inquit *eadem decisio d. §. Sed Domi-
ni*, hodie tamen ejusmodi controversia faci-
le resolui posse visa fuit, ex illa speciali fa-
cti circumstantia, opportune de novo pro-
9 posita, quod nempe Antonius de tempore
apertæ successionis erat quidem Clericus,
sed Conjugatus, unde non omnibus fruieba-
tur privilegiis, quibus Clerici gaudent in
cȩlibatu permanentes, juxta litteralem
Text. in cap. unico de Cler. Conjug. in 6.,
cujus dispositionem exprȩsse renovavit *Sa-
crosanta Tridentina Synodus sess. 23. de Re-
for. cap. 6.*

10 Cum igitur ex censura *d. cap. unici* Cleri-
cus primæ Tonsuræ, aut Minorum Ordi-
num conjugatus cum unica, & virgine, du-
plici dumtaxat gaudeat privilegio, primo
nimirum *Canonis si quis suadente 17. q. 4.*,
ut violentas manus in ipsum injiciens ex-
communicationis pænam incurrat, & se-
cundò, *fori Ecclesiastici*, ut nempe sit ex-
emptus à jurisdictione Judicis Sæcularis;
inde fit, ut his duobus exceptis, in cæteris
omnibus, tanquam mere Laicus habeatur,
ut concludit idem *Text. in d. cap. unico* ibi
-- *in cæteris autem, eos gaudere nolumus
privilegio Clericali*, & consentaneè docent
*Gloss. ibi verbo in cæteris, & in Clementi-
na unica de vita, & honestate Clericorum*,
aliisque relatis antiquioribus, *Sanchez de
matrim. lib 7. disp. 46. n. 12. & 14.*, *Carolus
de Grassis de effect. Cleric.*, *eff. 1. num. 91.*,
& effect 7. n. 52., *Delbene de immunit. Ec-
cles. cap. 4. dub. 11. n. 9.*, *Pignatell. consult.
42. n. 14. lib 2.*, *Ciarlin. controvers. forens.
lib. 1. cap. 53. n. 4. & seqq.*, cum aliis plena
manu congestis *per Cortiadam dec. 136. num.
36*, *Panimoll. dec. 6. adnot. 6. n 1.*

11 Quamquam verò Doctores, quoad fori
privilegium, valde dissentiant in eo, utrum
Clerici conjugati illo perfruantur, non so-
lum in causis criminalibus, quæ ex delicto
descendunt, sed etiam in causis merè civili-
bus, quæ descendunt ex contractu, vel qua-
si contractu, aut ex ultimis voluntatibus,
cum pro affirmativa stare videatur *Gloss. in
d. cap. unico verb. præmissis*, *Ciarlin. lib. 1.
cap. 53. num. 34. & 35*, *Marta de jurisdi-
ctione p. 4. cas. 153.*, *Sperel. dec. 2. num. 125.
tom. 1.*, *Panimoll. d. adnot. 6. nu. 8. & seq.*,
qui omnes referunt ita pluries declarasse
Sacram Congregationem Immunitatis: Ne-
12 gativam verò, quod nempe Clericus Con-
jugatus, excepto casu, quod adsit consue-
tudo in contrarium, prout extare in Regno
Neapolitano testatur *Borellus ad Bellug. in
specul. Princip. rubr. 11. §. Videamus vers.*
13 *in hoc Regno* non gaudeat privilegio fori

in

in causis mere civilibus, quæ ex contractu, vel quasi, aut ex ultimis voluntatibus originem ducunt, sed solùm in causis criminalibus, in quibus, vel criminaliter ad pœnam, vel civiliter ad interesse, & damni refectionem de directo agatur, acerrimè sustineant, tamquam veriorem, & in praxi receptam, *Sanchez de matrim. lib.7. disp.46. n.21.*, *& seqq.*, *Delbene de immunit. tom.1. cap.4. dub.5. sect.3. num.1.*, *& seqq.*, *& dub.11. n.11. & 12.*, *Barbos. de Jure Ecclesiastico lib.1. cap.39. §.2. num.38.*, *& in Collect. ad Concil. sess.23. de ref. cap 6. nu.44.*, *& dec. Apostolica 157. n.17.*, *& 361. n.18.*, cum aliis lato calamo congestis apud *Cortiadam d. dec.136. n.47. tom.3.*, qui omnes pariter pro hac sententia referunt declarationes Sacræ Congregationis Concilii, & Sacræ Congregationis Immunitatis.

14 Domini tamen maturè animadvertentes, aliud revera esse privilegium exemptionis à foro Sæculari, aliud privilegium libertatis à legibus, Statutis, & Constitutionibus laicorum, licèt, quoad aliquos effectus dici soleat, paria esse Statutis ligari, ac foro subjici, cum primum præseferat exemptionem dumtaxat à judiciis, sive à Tribunali Judicis Laici, ut habetur in *Authentica statuimus C. de Episcopis*, *& Cler. can.1.*, *& per totum 11. p.1. cap. nullus cap. si diligenti*, *& cap. significasti de foro competenti*, ex
15 quo forus propriè appellatur, in quo judicia publicè exercentur, juxta etymologiam *Isidori ad litteram transcriptam in cap. fo-*
16 *rus de verbor. signif.*; secundum verò præseferat libertatem à Legibus, Statutis, Ordinationibus, & Pragmaticis à potestate Sæculari conditis, de qua est *Text. in authent. cassa C. de Sacrosanct. Eccles.*, *& in cap. Ecclesia S. Mariæ*, *ubi Abbas exactissimè banc materiam prosequitur n.26.*, *& 37.*
17 *cum seqq.*, facilè convenerunt in sensu, quod quidquid sit, an Clericus conjugatus gaudeat nec ne privilegio fori in causis merè civilibus, verius tamen sit ipsum non gaudere privilegio libertatis, & exemptionis à Statutis, & Ordinationibus Laicalibus,
18 cum enim *Tex. in d.cap. unico de Cler. conjug. in 6. quem Sacrosancta Tridentina Synodus* expresse confirmavit, excepto privilegio canonis, & fori, in cæteris Clericos conjugatos Clericali privilegio gaudere noluerit, juxta verba paulò supra transcripta;
19 jam inde sequitur, ut iidem Clerici conjugati gaudere nequeant privilegio libertatis, & exemptionis à Statutis Laicalibus, cum hoc sit omnino distinctum, ac diversum à privilegio fori, ut bene concludit *Pignatel. consul. n.7. tom.4. & n.11. & seqq.*, ubi ex-
20 plicat axioma illud, quod forum sortiri, & Legibus, sive Statutis alligari paria sunt,
21 non enim implicat, quod Judex Ecclesiasticus cognoscere solus possit de causa etiam mere civili vertente cum Clerico conjugato, quodque nihilominus debeat procedere juxta Leges, ac Statuta à Laicis Potestatibus edita pro recta definitione similium controversiarum, juxta deducta per *Constantin. in prelud. n.149.*, *& seqq.*, *Rota dec.452. p.1. div.*, *& cor. Seraphin. dec 352. n.8.*, & passim servat hoc Sacrum Tribunal, quod quatenus statutum litigantes afficiat, etiamsi sit laicale, cum eo procedit in decisionibus causarum, juxta exempla relata à *Constantin. loc. cit.*

22 Et de facto Clericus conjugatus, juxta opinionem communiter receptam, & quæ nullum fermè habet contradictorem, licèt sit exemptus à foro laicali, nihilominus ubi contraria non vigeat consuetudo, tenetur solvere gabellas, datia, tributa, & collectas, cæteraque onera realia, sive mixta, ut latè firmant plena manu relati per *Cortiad. dicta decis. 136. n.37.*, *Antonell. de regim. Eccles. lib.4. cap.1. num.13.*, *Sperell. dec.36. sub n.18. tom.1.*, *Panimoll. d. adnot 6. n.2. & seq.*, ubi quod ita sæpius declaravit Sac. Congregatio Immunitatis, prout de facto plures resolutiones super hoc sefert *Riccius in illarum synopsi verb. Cleric. conjug. quoad onera n.7.*, *14.*, *& 16.*, omnia autem hæc derivant à Statutis, & Ordinationibus Laicis, ac propterea, si Clericus conjugatus illis passivè subjicitur, nullâ consequenter ab ipsis Statutis, & Ordinationibus allegare potest exemptionem, *Vela disser.45. nu.6. & 11. tom.2.*, *Barbos. de Jure Ecclesiastico lib.1. cap.39. §.2. n.38.*, & magis in specie *Mascardus de generali Statutorum interpret. concl.1. n. 113. & seq.*

Si igitur ex hactenus deductis Antonius tamquam Clericus conjugatus ligabatur Patrio Statuto expresse inhibente, ne possit fieri melior unius, quàm alterius filii conditio, jam nihil est, cur testamentum, in quo Odoardus Pater eidem Antonio universam hereditatem, Josepho alteri filio menstruas quasdam dumtaxat prælationes, licèt honorabili institutionis jure reliquit, nullum, at-
23 que irritum declarari non debeat, quod enim idem Odoardus, tamquam Sindicus Fratrum Minorum S. Francisci, quos vocant de Observantia gauderet omnibus Privilegiis, quibus fruuntur ipsi Fratres ex concessione Clementis VII. specificè confirmata per fan. memor. Innocentium XI., posset quidem recipi, quatenus ageretur de causa ad ipsum Sindicatum pertinente, pro qua Sindici, nonnisi coram Judicibus Conservatoribus Religionis cōveniri possunt, non verò extendi ad privilegium exemptionis à Statutis, & Constitutionibus Laicalibus in cæteris causis ad Officium Sindicatus minimè pertinentibus, & maximè, quando, prout in casu, Sindicus est mere Laicus, degit extra Claustra, & non habet requisita Concilii, ut in specie advertit *Lezana operum regul. tom.1. tit. de famil. regul. cap.17. num.12. & 13.*

Et ita præscindendo à quæstione illa, utrum Clericus cœlebs affici possit à Statuto, quatenus injiciat vinculum à principio, & utrum

utrum Statutum Cornetanum ejus esset conditionis, ut vinculum à principio injiceret, aanquam ad causæ decisionem minimè necessaria, responsum fuit *utraque parte acerrimè informante, & omnibus DD. unà meum suffragium ferentibus.*

FOROLIVIEN. FIDEICOMMISSI FRANCISCI DE CORBICIS.

Lunæ 15. Junii 1722.

ARGUMENTUM.

Legatum sub certa, & designata conditione relictum, contrario eveniente casu, censetur per legantem ademptum, sicuti si loco dotis, seu legitimæ à Patre sit relictum filiæ, quando de tempore nuptiarum ista totam fuisset consequuta hæreditatem, ex quo legati causam cessasse diceretur, præsertim si testator legitimæ detractionem masculis institutis prohibuisset.

SUMMARIUM.

1 *Legatum purum non censetur ademptum ex quo legans eandem summam parè legatam, deindè sub conditione eidem adscripsisset.*
2 *Limita in legato sub expressa conditione contento, & n. 3.*
3 *Legatum sub unica conditione, & in uno casu relictum, contrario casu, & conditione evenientibus, tacitè ademptum censetur.*
4 *Legatum non dicitur purum, sed conditionale, si relictum appareat filiæ sub conditione* -- volendosi maritare, o monacarsi -- *sique in statu cælebi eidem decedenti substitutos dedisset*, & n. 5., & amplia ut in nn. 7. & 8.
5 *Legatum in incertam diem relictum non dicitur purum, & quare?*
6 *Dies incerta legati illud conditionatum reddit.*
7 *Fœminæ Forolivii Statuto subjectæ tam ex testamento, quàm ab intestato nil aliud ratione legitimæ petere possunt, præter dotem congruam de tempore nuptiarum, sive in sæculo, sive in domino.*
8 *Legatum loco dotis relictum intelligitur extare sub conditione, hoc est, si evenerit nuptiarum casus, ad terminos d. Statuti*, & n. 12.
9 *Testator semper Patrio Statuto se uniformasse præsumitur.*
10 *Legatum à Patre relictum filiæ titulo institutionis, & legitimæ, nullam recipit dilationem, aut conditionem, ad terminos Iuris communis, aut Statuti*; & quando secus in n. 12.
11 *Dos ex Statuto succedit loco legitimæ.*
12 *Legatum relictum filiæ à Patre sub expressa nuptiarum conditione, ubi viget Statutum fœminarum exclusivum (cui se Pater uniformasse præsumitur) dicitur conditionatum, & non purum, sed ab eventu nuptiarum dependens.*
13 *Pater si posset filium præterire, à fortiori valeret ei relinquere legitimam, sive dotem sub conditione, & in certo tempore.*
14 *Legatum filiæ à Patre loco dotis, seu legitimæ relictum, ademptum censetur, si ista tempore nuptiarum totam fuisset consequuta hæreditatem Patris, ex quo causa dotis, & legitimæ cessasse diceretur*, & num. 15.
15 *Effectus cessare debet, cessante causa.*
16 *Testator relinquens filiæ legatum loco dotis, si illud non repetat in casu, quo ista suam totam consequeretur hæreditatem, censetur animo adimendi illud repetere noluisse.*
17 *Limita in eo casu, quo filia Patris hæreditatem assequeretur per medium posterioris dispositionis filii ipsius legantis.*
18 *Legatum à Patre dotis titulo filiæ relictum, à fortiori censendum est ademptum de mente illius, quando masculis legitimæ detractionem expressè prohibuisset.*
19 *Rota nunquam respondet ad ea, quæ sub proposito dubio non continentur.*

DECISIO MCCCXXIX.

Retento eodem ordine servato in antecedenti propositione, revocata fuerunt ad novum examen in præsenti, ac duabus aliis sequentibus Audientiis tria illa fideicommissa Francisci, Polixenæ, & Antoniæ de Corbicis, quorum discussio unanimi consensu Partium supposita fuit per viam Compromissi judicio hujus nostri Tribunalis: incipiendo itaque à fideicommisso Francisci, circa quod sub die 27. Februarii proximè præteriti dictum fuit -- *dandam esse immissionem* Philippo juniori de Corbicis, nullamque Antoniæ, & Comiti Saxio competere retentionem, proposui hodie consuetum regulare dubium -- *An sit standum, vel recedendum à decisis* -- & DD. responderunt -- *Standum esse in decisis.*

Respectu enim immissionis ad bona hæreditaria d. Francisci fideicommittentis, nulla hodie incidit difficultas, quia tam dicta Antonia, quàm Comes Saxius Rei conventi edocti in hac parte de eorum malo jure, ex latè deductis *in decis. sub d. die cor. Me edita* in præsenti repropositione causæ omnino destiterunt ab impugnanda purificatione, & duratione fideicommissi, quùm Valeria eorum Auctrix solemniter falsa fuerat favore dicti Philippi junioris: totum itaque causæ momentum hodie redactum fuit circa retentionem, quam Rei conventi iterum petebant pro legato scut. 4. mil. ab eodem Fideicommittente Valeriæ filiæ relicto, & pro alio anteriori fideicommisso Vincentii senioris pariter de Corbicis, cum amplius non insisterent in altera detractione legitimæ, quam in præterita Propositione debitam fuisse

fulsse contendebant Judittæ Gabeliottæ in
luctuosa hæreditate Joannis primi hæredis
in pupillari ętate prædefuncti, & multò mi-
nus in alio legato scutorum 4000., Valeriæ
pariter à fideicommittente relicto, sed sub
certis conditionibus, quæ defecerunt.

Quamobrem assumentes DD. examen
duorum Titulorum, ad quos Rei conventi
eorum defensionem in pręsenti restringe-
bant; pro eo, quod attinet ad legatum scu-
1 torum 4000. Valeriæ relictum, quamvis ipsi
validè insisterent in censura *Tex. in l. cum
centum ff. de adimend. legat.* ex cujus dispo-
sitione habetur non censeri regulariter adèp-
tum legatum purè relictum, quando Teststor
eamdem summam purè legatam deinde sub
conditione eidem legatario adscripsit; ni-
hilominus animadvertebant hujusmodi re-
gulam in pręsenti casu minimè congruere,
2 quia d. legatum scut. 4000. non fuit Valeriæ
purè, ac simpliciter relictum, sed sub ex-
pressa conditione nuptiarum, & in supposi-
tione, quod eadem Valeria universalem hæ-
reditatem assequi nequivisset; unde in hisce
circumstantiis locum potius habere videba-
tur alia juris regula, qua edocemur, quod
3 legatum sub una conditione, & in uno casu
relictum, contrario casu, & conditione ad-
veniente, tacitè censeatur ademptum, *l. si
legatum purè ff. de adimen. legat. l. legat.
sub conditione ff. de condit. & demonstrat.*,
Mantic. de conjectur. lib. 3. tit. 17. n. 1. & 2.,
Gratian. cap. 43. n. 19. & 20., *Rota dec. 256.
n. 1. & 2. p. 15. rec.*

4 Quod autem d. legatum non esset purum,
sed conditionale non obscurè desumebatur
ex ipsis verbis, quibus conceptum fuit; li-
cèt enim Franciscus Testator eam summam
Valeriæ reliquerit -- *con titolo di institu-
zione, & in ogni altro miglior modo, che
per ragione di Dote, legitima, & in ogn' al-
tra pretensione, che potesse havere nell' Ere-
dità*, continuò tamen addidit conditionem
illam -- *volendosi maritare nel secolo* -- & in-
fra -- *volendo monocarsi*, imo verò legati so-
lutionem expresè rejecit *nel tempo, e caso
di matrimonio*, eique in statu cælibi dece-
denti, substituit Joannem filium, cæterос-
que hęredes ad universam hæreditatem vo-
5 catos; unde cum palam sit ex ipsis legati
verbis illud relictum fuisse in diem incer-
tum matrimonii, & nuptiarum, nullo mo-
6 do purum dici potest, cum ipse incertus dies
conditionem faciat, *l. dies incertus ff. de con-
dit. & demonstr.*

7 Fortius verò quia Statuto Civitatis Foro-
livii *lib. 5. rubr. 41.* expresè cavetur, quod
fœminę tam ex testamento, quàm ab intesta-
to nihil aliud petere possint, etiam ratione
legitimæ, nisi dotem congruam tempore
nuptiarum, itaut mulier in ea nullum jus
habeat, maximè ad effectum transmittendi,
nisi cum effectu nupta sit, vel in Monasterio
Monialium professa, ac proinde, sicuti ex
hujusmodi Statutaria dispositione dos fœmi-
narū, etiamsi in testamento legata fuerit, non
est eis purè debita, sed tantum sub conditio-
8 ne nuptiarum, ita quoque legatum pro dote
Valeriæ à Francisco relictum, non purum,
sed sub d. conditione relictum censeri de-
bet ex voluntate ejusdem defuncti, qui cum
9 Patrio Statuto se conformasse videtur, *Ro-
ta coram Emer. dec. 810. n. 1.*, & *dec. 1124.
n. 7.*, & *10.*, *ubi Concordantes*, & sępe alibi.

10 Irrito igitur conatu proponebatur, quod
legatum tamquam relictum à Patre titulo
institutionis, & legitimę, atque omni alio
meliori modo nullam recipere poterat dila-
tionem, aut conditionem, quodque prop-
terea à momento obitus Patris fuerit statim
Valeriæ irrevocabiliter quæsitum, itaut
per acquisitionem universę hęreditatis, quæ
longe postea supervenit, nec adimi, nec
compensari amplius potuerit. Siquidem
hęc omnia locum quidem habere possent,
quatenus versaremur in terminis juris com-
11 munis, aut etiam Statuti, ex cujus dispo-
sitione dos succederet loco legitimæ. Secus
12 verò in casu præsenti, in quo Statutum fæ-
minas à successione excludit, & Pater ei-
dem Statuto se conformando certam sum-
mam, licèt titulo institutionis, & legitimæ
non tamen purè, sed sub expressa nuptiarum
13 conditione reliquit: sicut enim in his ter-
minis Pater omninò poterat filiā præterire,
ita etiam, & multo magis potuit legitimam,
seu dotem sub conditione, & ex incerto
tempore relinquere, ut articulo discusso
aliàs respondit *Rot. post Consilon. dec. 136.
n. 7.*, & *seqq.*, & *dec. 135. n. 13* & *seqq.*

14 Hoc autem sensu retento, cum de tempo-
re nuptiarum, quo conditio legati advenit,
jam Valeria assequuta fuisset universam hæ-
reditatem, & per hanc assecutionem omni-
no cessavisset utraque causa dotis, & legiti-
mæ, qua Testator ad legandum motus fue-
rat, ut latè probat pręcedens *Decisio §. 1.
quidem cum seqq.*, de plano consequitur,
quod in hisce circumstantiis, legatum ipsum
15 cessare quoque debuit, vel quia hoc regu-
lariter est de natura cujuscumque rei, ut
cessare debeat, ejus causa cessante, sicut per
*Tex. in l. qui Tutelam in princip. ff. de Te-
stam. Tut.*, & *l. Lucius §. 1. ff. de legat. 2.*,
notant in proposito *Campegg. de dot. par. 1.
q. 36. per tot.*, *Tiraquell. in Tract. cessante
causa p. 1. n. 126.*, aliique, quos laudat, & se-
quitur d. mea præcedens *Decisio §. His ita-
16 que*; vel quia dum in casu assecutionis uni-
versæ hæreditatis Testator legatum non re-
petiit, censetur illud adimendi animo repe-
tere noluisse, ut sequitur *eadem Decisio §.
His itaque.*

17 Nil urgente in contrarium *dec. 276. cor.
Remboldo*: quippe quia in ea agebatur de
casu omnino diverso, dum filię legatariæ
consecutæ fuerunt universam hæreditatem
non ex judicio Patris Testatoris, ut in præ-
senti, sed ex posteriori dispositione fratris
hæredis instituti, & ulterius causa legandi
fuerat earum viduitas, quæ eadem perma-
nebat etiam in casu, & postquam universam
hæredi-

hæreditatem consecutæ fuerant, ut legere est in *eadem dec. à n.2, usque ad 5.*

18 Sed quod DD. valdè movit in præsenti, fuit illa urgentissima animadversio, quod nempe aliàs in pari casu assecutionis universe hæreditatis, deterioris fuisset conditionis Joannes filius masculus, & procul dubio Testatori prædilectus, quàm Valeria femina, & minus dilecta; hæc enim præcipuum habuisset controversum legatum scut. 4000., quando filius masculus ne obulum quidem ex paterna substantia detrahere potuisset propter expressam Defuncti prohibitionem; ad servandam igitur æqualitatem, si etiam in casu, quo de duabus fœminis sermo esset, non alia admitti deberet interpretatio voluntatis Testatoris, sicuti in proposito tradit *Card. de Luc. de legat. disc. 64. n.10.*, potiori sane jure idem recipiendum est in præsenti, ut nempe quemadmodum Defunctus voluit, ne quid filius masculus ultra commodum universæ hæreditatis perciperet, ita, & multò magis idem voluisse censeatur respectu filiæ fœminę, ut argumento boni *Tex. in l. Alteri ff. de adim. legat.* dixit *Rot. in præcedenti decisione causæ §. Immò verò.*

Et hæc quoad legatum scutorum 4000. Quo verò ad titulum antiquioris fideicommissi Vincentii senioris de Corbicis, quem Rei conventi hodie de novo obtendebant
19 pro causa retentionis, Domini animadvertentes, quod dubium originaliter propositum restrictum erat circa immissionem ad bona Francisci, censuerunt illud non cadere sub præsenti inspectione, atque ideo rescripserunt - *quod particulariter videatur*, cum præsertim non leves pati compertum fuerit, tam in facto, quàm in jure difficultates.

Et ita omnibus *DD. unà mecum suffragantibus*. & utraque Parte Informante, resolutum fuit.

FOROLIVIEN. FIDEICOMMISSI POLIXENÆ DE CORBICIS.

Veneris 18. *Iunii* 1722.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio est confirmatoria alterius sub die 2. Martii proximè præteriti emanatæ.

Sub nomine filiorum etiam Nepotes vocasse censetur Testator, quando tantum heù suam protraxisset dispositionem, ut filii eo tunc verisimiliter mortui essent reputandi. Fructus de bonis Fideicommissariis percepti, respectu filiorum primi gradus, in Trebellianicam non imputantur, benè vero Nepotibus, quibus neque etiam imputantur in casu, quo filiorum loco expressè, & specialiter ab Avo, vel Avia fuissent recogniti.

SUMMARIUM.

1 *Nepotes censentur sub nomine filiorum vocati, licet verba Testatoris diversum haberent sonum, quando tamen in adeò remotum tempus suam dispositionem protraxisset, ut filii eo tunc mortui omnino esse deberent*, & n. 3.

2 *Amplia, si Testator in omnibus aliis substitutionum gradibus, nedùm filios, sed Nepotes, & Pronepotes usque ad tertiam generationem vocasset.*

3 *Testator nomen* filiorum *adhibuisse præsumitur etiam in sensu Nepotum, & Pronepotum compræhensivo, quando in tempus remotissimum filios nominasset, quo naturaliter mortui præsumendi essent*, & num. 4.

5 *Amplia, si se retulisset ad testamentum filii prædefuncti, in quo Nepotes, & Pronepotes vocarentur, & ex coniecturis appareret repetita non solum forma, & succedendi ordo, sed etiam personę in testamento designatæ.*

6 *Subamplia, si concurreret factum approbativum primi hæredis gravati, contra quod causam ab isto habenti venire non licet.*

6 *Trebellianica ex longæva fructuum perceptione consumpta dicitur, & præsumitur prohibita ex clausulis totius, & integræ hęreditatis restitutionem pręseferentibus ac relatione ad testamentum alterius, in quo esset expressè prohibita.*

8 *Trebellianica non remanet consumpta in perceptione fructuum hæreditatis, quando agitur de Nepotibus ex filio pręedefuncto, qui ab Avo, vel Avia, tamquam filii proprii, essent specialiter, & expressè considerati*, declara, ut in n.9.

9 *Trebellianica imputatur in fructus perceptos à Nepote ex filio prædefuncto, &* quare?

10 *Filii primi gradus tantum gaudent privilegio legis* Jubemus, *hoc est, quod fructus percepti eis in Trebellianicam non imputentur.*

11 *Testator non dicitur condidisse duo fideicommissa, universale, & particulare, ex quo ad unumquodque eorum diversum personarum genus invitaverit, adeout illud secundum dici queat immune à detractione legitimæ.*

12 *Legitima etiam ex fideicommisso particulari detrahitur, præsertim si sub eo pinguior hæreditatis pars contineatur.*

13 *Amplia, si Testator indistinctè disposuerit, quod legitima de suis bonis sit detrahenda.*

14 *Legitima ut dicatur in alienationibus consumpta, probandum est, istas fuisse in considerabili quantitate, itaut verisimiliter illius quantitatem superent.*

15 *Consumptio detractionum non probatur per exhibitionem solis illegalis, & informis.*

DECISIO MCCCXXX.

QUamvis Comes Saxius in hoc secundo fideicommisso Polixenæ non ampliùs, ut in præcedènti propositione iusisteret super eo, quod ipse tamquam Masculus descendens à Valeria prima herede, juxta celebreConsilium *Fulgosii* 85. contineretur sub vocatione Filiorum Masculorum ejusdem Valeriæ, sed ultrò potius in hac parte admitteret Decisionem coram Me editam sub die 2. Martii proximè præteriti, in qua firmatum fuit sub §. *Ex his itaque*, quod vocatio dd. filiorum erat in littera restricta ad Masculos ex Masculis, & lineam Masculinam d. Valeriæ. Validiori tamen conatu una cum Antonia ejusdem Valeriæ hærede impetebat alteram Decisionis partem, in qua dictum fuit sub nomine Filiorum Philippi Sen. expresse, ac nominatim à Polixena substitutorum, venire etiam Philippum iun. d. Philippi Sen. Nepotem ex Scipione filio prædefuncto, & ulterius substinebat ultra detractionem legitimæ sibi quoque competere Trebellianicam ex Persona eiusdem Valeriæ; contra vero memoratus Philippus Iuo. de Corbiois, ne legitimæ quidem retentionem dd Reis conventis debitam esse contendebat; quamobrem ad instantiam utriusque Partis proposui hodie dubium -- *An sit standum, vel recedendum à decisis*, cui DD in omnibus approbantes fundamenta præcedentis resolutionis -- *In decisis standum esse resp*. *ndcrunt*.

1 Pro eo enim, quod respicit vocationem Actoris, & si verum sit, Testatricem substituisse quidem Philippum Sen. de Corbicis, ejusque filios masculos, non vero Nepotes, in quorum gradu est Philippus Actor, quodque proinde ejus vocatio prima facie deficere videatur, si tamen voluntas Testatricis inspiciatur juxta plenas, & urgentes coniecturas in præsenti casu concurrentes, vix est, ut de comprehensione Nepotum dubitari possit: Etenim prò sumenda ejusmodi interpretatione, primo loco se offert notabilis illa circumstantia, quod Testatrix substituendo Philippum sen., & ejus filios ad duo tempora respexit, proximum nempe, & remotum, quatenus scilicet Valeria heres directè instituta fine filiis deficeret, & quatenus rursus illa filios susciperet, sed tractu temporis ejus linea masculina extingueretur; sicuti autem in hoc posteriori casu impossibile erat, quod superessent filii immediati Philippi, cum ille jam tunc esset provectæ ætatis, & ex opposito Valeria vix ageret ætatis suæ annum decimum octavum; ita exinde quasi ex necessario antecedenti consequitur, Polixenam sub nomine filiorum Philippi sensisse quoque de Nepotibus, qui solum io d. remotissimo tempore superesse poterant, & frui beneficio ejus dispositionis, non in futurum dumtaxat, sed in futurum, ac simul remotissimum tempus coliatę, ut aliàs in simili respondit *Rota dec.* 306. *n.* 14., & *seq.* & *dec.* 228. *n.* 20., & *seq. cor. Merlino*, & *in rec. dec* 345. *n.* 11., & 12. *p.* 16., & *in Romana, seu Veliterna Fideicommissi* 5. *Iunii* 1719. §. *Iustitia cum seq. cor. bon. me. Ansaldo*.

Huic accedit & illud aliud argumentum,
2 de quo in præterita decisione §. *Secundæ*, & *seqq.*, quod nempe Polixena Testatrix in omnibus aliis substitutionum gradibus, oedum filios, sed etiam Nepotes, & Pronepotes vocavit usque io tertiam generationem, & tamen in aliqua ex eis de filiis tantum in parte dispositiva mentionem habuit;
3 unde bene ad propositum infertur, & quod Testatrix aliàs quoque consueverit nomen filiorum adhibere in sensu comprehensivo Nepotum, & Pronepotum, quod in præsenti quęstione est plurimum attendendum, argumento *text. in l. qui filiabus ff. de legat.* 1., *Rota cor. Emer. dec.* 963. *n.* 3., & *cor. Beninca sa dec.* 60 *n.* 8.; & *in Romana Primogenituræ de Capizucchis* 15 *Martii* 1720.
4 §. *Concurritque cor. Me*, & quod insuper aliena minime fuit, imo constanter voluit, quod omnes substitutiones ad tertium usque gradum se protenderent; unde non est cur hanc solam, de qua agitur intra primum gradum restringere voluerit, dum præsertim in eo juxtà naturę ordinem effectum sortiri non poterat, ut congruè advertit dicta decisio Causę §. *Imo verò*.

5 Præterea eadem Testatrix, postquam expressè substituerat Philippum sen. de Corbicis, ejusque filios, continuò superaddidit amplissimam relationem ad Testamentum Vincentii ejus filii prædefuncti, in quo minimè controvertitur vocatos fuisse etiam Nepotes ejusdem Philippi: Hujusmodi autem relatio, quidquid sit in cœteris casibus, utique in præsenti propter concursum aliarum coniecturarum non solum repetere debet formam, atque ordinem succedendi; sed etiam personas designatas in testamento, ad quod eadem relatio habita fuit, dum præsertim dici nequit, quod repetat dumtaxat ordinem succedendi gradualem de Patre in filium, cum jam iste de Jure subintelligeretur, ex quo agebatur de dispositione successiva, sicuti animadversum fuit in præcedenti decis. §. *Fortius*.

6 Et quatenus his non obstantibus aliqua in hoc superesset difficultas, eam prorsus submoveret factum, & declaratio Valeriæ primæ hæredis, quæ in ejus ultimo testamento expressè professa fuit, se gravatam esse in illis bonis onere restitutionis, & fideicommissi favore descendentiæ masculinæ Philippi de Corbicis; unde fit, ut quidquid ab Antonia Valeriæ hærede contra hujusmodi factum, ac declarationem ejus Auctricis io præsenti proponatur, audiri non debeat, ut per *text. in l. Cum à Matre C. de rei vindicat.*, dixit *Rota in præcedenti dec.* §. *Altera*.

Ex his igitur plenè constabilita vocatione Phi-

Philippi Actoris; quod attinet ad detra-
ctiones à Reis conventis oppositas pro ob-
tinenda retentione, DD. removere nequi-
verunt, nec respectu Trebellianicæ, nec
respectu legitimæ à resolutione jam capta
in die præcedentis decisionis: Sicuti nam-
7 que respectu Trebellianicæ etiam hodie in
facto recognitum fuit, quod Valeria fru-
ctus hæreditatis longissimo tempore perce-
pit, ita quoque exindè consequebatur, ut
quatenus Trebellianica prohibita non vide-
retur, prout DD. cœteroquin videbatur
ex tot clausulis à Polixena adhibitis, & præ-
seferentibus restitutionem totius, & inte-
græ hæreditatis, nec non ex amplissima
relatione ad testamentum Vincentii, in quo
ejusmodi detractio fuit expresisè prohibita;
nihilominus ex dicta saltem longæva fru-
ctuum perceptione, plusquam consumpta
dici debeat, ex adductis in præcedenti dec.
§. *Sed si*.

8 Nil relevante obiecto, quod Valeria
tamquam Neptis occupans locum Francisci
Patris prædefuncti frui debeat privilegio
Filiis primi gradus indulto *l. Iubemus C. ad
Trebellian.*, quia quidquid sit, quando
Avus, vel Avia Nepotes ex filio præde-
functo, tamquam proprios filios specialiter
& expresisè consideravit, juxta casum singu-
larem, de quo *Rota in Veliterna Cantbel-
læ Angeli 3. Iunii 1718. cor. bo. me. Ansal-
do*. In aliis utique casibus transit hodie pro
9 regula, quod etiam Nepos ex filio præde-
functo imputat fructus in Trebellianicam,
nec fruitur privilegio *d. legis Iubemus*, quo
10 tantum gaudent filii primi gradus, ut arti-
culo formiter discusso firmavit *Rota in Bo-
nonien. Fideicommissi 11. Decembris 1699.
à §. Demum usque in fin cor. b. m. dell' Ol-
mo, & 14. Maii 1700. §. Postrema cor. bo.
me. Molines, & bene etiam advertit deci-
sio Causæ §. finali*.

11 Respectu vero legitimæ, cujus detractio
admissa fuit in præcedenti decisione, quam-
vis Defensores Philippi iterum hodie insi-
sterent, quod illa detrahi non posset ex bo-
nis, de quibus agitur, tamquam particulari
fideicommisso à Polixena Testatrice suppo-
sitis; difficultas tamen cessabat ex facto,
quia licet Polixena in casu obitus Valeriæ
sine Masculis divisa in duas partes hæredi-
tate ad unamquamque earum diversum per-
sonarum genus invitaverit, quo nempe ad
bona dotalia, & extradotalia proprios Con-
sanguineos, & deinde quædam Loca Pia;
quo vero ad alia bona sibi obventa ab hære-
ditatibus filiorum prædefunctorum, Philip-
pum Sen. de Corbicis, ejusque filios, ac
descendentes, exinde tamen minimè inferri
poterat, quod fideicommissum institutum
super hac postrema bonorũ specie dici pos-
set fideicommissum particulare immune à
detractione legitimæ, cum veritas sit, quod
hæreditas eo pacto divisa fuit in quotas,
12 quarum utraque tamquam includens Bona,
& Jura universalia subiecta remansit favore
Valeriæ pro detractione legitimæ, nedum
ex Juris dispositione, juxtà quam etiam ex
fideicommisso particulari detrahitur legi-
tima, quando, prout in casu, non exigua,
sed æqualis aut fortè pinguior hæreditatis
pars sub eo continetur, ut aliàs dixit *Rota
cor. Greg. dec. 539. n. 1., & 2., & in Me-
levitana Legati 17. Iunii 1701. §. Quando
autem cor. cl. me. Card. de la Tremoille, &
in Asculana Dotis 26. Novembris 1704.
§. Nec relevat cor. cl. me. Card. Caprara*.
13 Verum & multo fortius ex Judicio ejus-
dem Testatricis, quæ expresisè declaravit,
legitimam detrahendam esse indistinctè,
tàm ex bonis dotalibus, quàm ex aliis quo-
modocumque in ipsam obventis, quæ sanè
voluntas omnino servanda est *§. Disponat
Auth. de Nupt. cum aliis notissimis con-
cordan.*

Prout etiam ex facto submovebatur aliud
subsidiarium obiectum, quod nempè credi-
tum legitimæ turbidum, & illiquidum red-
ditum fuerit ex pluribus alienationibus;
14 cum enim circa istas, nulla exhiberetur
legitima probatio, frustra obtendebatur
præsumptio consumptionis, quæ non aliter
in jure admittitur, nisi quatenus alienatio-
nes concludenter probentur, & quidem
in quantitate considerabili, itaut verisimili-
ter superent ipsas detractiones, dum quod-
15 dam folium ad hunc effectum productum
erat penitus illegale, & informe; confes-
sio autem desumpta ex testamento ipsius
Valeriæ, potius contra Philippum retorque-
batur, in cujus manibus census extincti fue-
runt.

Et ita utraque Parte informante, *& om-
nibus DD. una mecum suffragium ferenti-
bus &c.*

ROMANA REPORTATIONIS PECUNIARUM.

Veneris 19. Junii 1722.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria in parte, & respectivè revocatoria simul in altera ejusdem decisionis diei 20. Martii proximè præteriti.

Sub cessione omnium bonorum etiam credita & cambia activa comprehensa præsumuntur, & eadem, quæ pro sorte militat ratio, stat etiam pro fructibus. Quartum dotale ex dote pecuniaria in pecuniis debetur superstitibus tamen filiis, vidua præstare tenetur cautionem de restituendo tandem, finito usufructu, si verò illam non præstiterit, & loco pecuniarum, cambium, sive aliud receperit investimentum, censetur illud usque ab initio filiis (dummodo tamen sint patris hæredes ad terminos Statuti) tam quoad sortem, quam fructus adeptum, mero usufructu eidem viduæ relicto.

SUM

SUMMARIUM.

1 *Obligatio de restituendo prioribus, & potioribus operatur, ut pecunia in banco Iudicis extare dicantur, ac si non fuissent exacta*, amplia, ut in num.32.
2 *Creditor docens se esse potiorem, illico avocat pecunias sub obligatione de restituendo prioribus, & potioribus ab altera exactas.*
3 *Assignatio quorumcumque bonorum in genere, etiam cambia, & credita comprehendit*, & num.4.
4 *Species bonorum expressa in cessione jurium post generalem omnium bonorum expressionem, dicuntur stare majoris declarationis gratia, & ex abbundanti, ad tollendam dubietatem, non verò restringunt generalitatem ipsius cessionis ad eas tantum enunciatas species*, & quare in num.5.
6 *Absurdum, ut evitetur, semper omnis capienda est interpratatio, etiam si dispositionis littera deficeret*, & num.7.
7 *Voluntas verisimilis contrahentium in transactionibus, semper potius, quam verba, inspeci, & observari debet.*
8 *Cessio juris consequendi redditionem rationis de creditis distractis, vel exactis facta favore primogeniti, à fortiori dat intelligere fuisse cessum jus exigendi creditum primogenituræ.*
9 *Iudicium, quod est de sorte crediti, censetur etiam de fructibus cujus sunt pars, & accessorium.*
10 *Fructus sunt accessorii ad dominium rei fructiferæ.*
11 *Actio ad fructus cambii dicitur ab initio adepta, eo ipso, quod ab initio sors fuisset comparata jure dominii.*
12 *Quartum dotale debetur in pecuniis numeratis, circa dotem quantitativam*, & num. 14., & 24.
13 *Debetur tantum in usufructu, quando superfunt filii ejusdem matrimonii.*
14 *Debetur in pecuniis, quando dos est quantitativa, & etiam si superfint filii, & si superstes conjux de restituendo tantundem finito usufructu prestiterit, illud potest etiam disperdere.*
15 *Vidua recipiens quartum in pecuniis, prævia fidejussione de restituendo tantundé, si illud in cambio reinvestiret, fortem illius sibi acquirit, neque post obitum tenetur filiis restituere, sed tantundem sat est, quod restituat*, Limita, ut in numero 16.
16 *Quartum dotale pecuniariũ à muliere absque fidejussione de restituendo receptum, simulque reinvestitum, finito usufructu, in tali reinvestimento ad filios devolvitur.*
17 *Amplia, ut tali casu ab initio tale investimentum dicatur quæsitum filiis superstitibus una cum fructibus.*
18 *Hypotheca simplex est omnino incomputabilis cum dominio, & proprietate.*
19 *Nec transfert dominium rei in Creditorem hypothecarium.*
20 *Quartum dotale traditum viduæ super investimento, ex quo cautionem non præstiterit, & cum declaratione, quod loco illius staret, censetur usque ab initio favore extitisse filiorum, tam in proprietate, quam fructibus, & non simpliciter hypothecatum*, amplia ut in num.22. & 23.
21 *Usus fructus fructuarii morte finitur.*
23 *Ususfructus proprie dicitur Ius alienis rebus utendi, & fruendi.*
25 *Dictio* Capitale *convenit investimento fructifero, in quo sors à fructibus distinguitur*
26 *Non convenit pecuniis, & simplici quantitati, in qua fructus considerari nequeunt.*
27 *Vidua recipiens investimentum loco quarti dotalis pecuniarii, finito usufructu, tenetur illud filiis restituere.*
28 *Quartum dotale debitum in pecuniis, quod censeatur solutum mediante reinvestimento, probatur ex observantia desumpta, ex quo filii non postulassent pecunias ipsius heredibus matris, sed ipsum investimentum.*
29 *Item, si debitor ipsius reinvestimenti se declarasset debitorem filiorum ex eodem investimento*, & vide casum.
30 *Heres non potest proprii auctoris factum impugnare.*
31 *Inventarium adversus observantiam & alias conjecturas non probat dominium rei penes defunctum absolutè stetisse, si in eo descripta apparerent bona indistinctè penes defunctum reperta, non curato à quo provenirent*, & vide casum.
33 *Quartum dotale pecuniarium pro filiis reinvestitum ex relatione partium ad Statutum dicitur quæsitum filiis, non uti filiis, sed uti viri heredibus*, amplia, ut in numero 34.
34 *Quartum adeptum à filiis, ad formã Statuti, censetur tamquam pro persona, in qua bona, & Iura Patris vel jam obvenissent, vel fuissent obventura.*

DECISIO MCCCXXXI.

CUM hodiè disputaretur, *an esset standum vel recedendum à decisis* coram Me *sub die* 20. *Martii* nuper elapsi, Dñi de Pamphiliis, contra quos respectu capitalis responsum fuerat constare de credito etiam ad effectum reportationis pecuniarum, nihil proposuerunt, quod DD. à præcedenti resolutione retrahere posset; ex diverso verò Dñus Princeps Burghesius adeo graves cumulavit facti circumstantias respectu fructuum, ut DD., qui pro illis mandatum relaxandum esse negaverant, à decisis hodiè, recesserint.

Ac sermonem instituendo super capitali tota defensio DD. de Pamphiliis in eo consistebat, quod D. Princeps Burghesius agere nequiret pro reportatione controversarum pecu-

pecuniarum, nisi conditione indebiti. Et quia hæc de jure requirit unir ..am, & concludentem erroris probationem, indè inferebant non satis constare posse de illius credito ex sola transactione anni 1683. propterea quod ista plures patiebatur difficultates, quarum unaquæque saltem per possibile erroris probationem minuebat. Verum istud arguendi genus extraneum nimis, atque alienum visum fuit à casu præsentis controversiæ; etenim D. Princeps Burghesius
1 nihil omninò solvit, quod in præsenti repetere velit tanquam indebitè, & per errorem solutum, sed solum abstinuit à se opponendo contra DD. de Pamphiliis in consignatione pecuniarum, quam Congregatio Baronum illorum favore demandavit sub expressa obligatione de restituendo prioribus, & potioribus ad omne mandatum Judicis etiam quoad citatos, quæ sanè obligatio successivè ab illis exposita, sicuti de sui natura operatur, ut pecuniæ habeantur, perindè ac si adhuc in Banco Judicis extarent, ità alienos reddunt terminos repetitionis inde-
2 biti, cum ea stante sufficiat, quod D. Princeps Burghesius probet se esse potiorem illis, quibus sub tali conditione, & obligatione consignatio facta fuit, *Gard. de Luc. de credit. disc. a. n. 7., & 8. Roc. dispat. jur. cap. 138. num. 10., & 11.*, aliisque pluribus congestis *Rot. in Romana Pecuniaria super contributo quoad reservata 7. Maii 1706. §. Atque hinc cum seqq. coram bon. mem. Ansaldo*.

Sicuti autem luculenter ostensum fuit in dec., quæ revidetur, ejusmodi probatio statim, atque apprimè resultat ex publico ac solemni Instrumêto transactionis inter utramque Familiam, Burghesiam, ac Pamphiliam solemniter initæ usquè ab anno 1683., cum
3 enim in ea, exceptis Bonis tam allodialibus, quàm feudalibus Sarsinæ, & Meldulæ Domui Pamphiliæ assignatis, omnia, & quæcumque alia Bona cujuscumque generis, & speciei provenientia à Primogenitura conventionali anni 1611. Familiæ Burghesiæ cessa, atque assignata fuerint, dubium esse nequit, quominùs inter ista cessum, atque assignatum censeatur cambium controversum, cum appellatione Bonorum venire etiam credita, actiones, & petitiones doceat ad litteram *Text. in l. Bonorum 49 §. Æque Bonis ff. de verb. sign.*, & aliis adductis concordantibus *decisio causæ §. Idque etiam coram Me*.

4 Nil urgente, quod in folio inserto in Instrumento dictæ transactionis inter Bona assignata Principi Burghesio fuerint quidem descripta stabilia, loca Montium, & Mobilia in ejus potiorem cessura, sed respectu creditorum fuerit illi dumtaxat data facultas petendi redditionem rationis à quibus de jure, unde pro parte DD. de Pamphiliis inferebatur, vel quod cambium non fuerit in transactione compræhensum, vel saltem quod de eo agi nequeat, nisi in judicio redditionis rationis.

Quod enim in dicto folio nulla dicti cambij specialis mentio facta fuerit, non benè concludit, quod transigentes, qui de eo certam scientiã habebant illud in transactione comprehensum esse noluerint. Descriptio enim facta in d. folio de Stabilibus, locis Montium, & Mobilibus, facta expressè legitur ad maiorem cauthelam, non verò ad destruendum principale ipsum Instrumentum transactionis, aut ad effectum derogandi per enumerationem quarundam specierum generalitati Bonorum cujuscunque generis, & speciei Domui Burghesiæ assignatorum, *leg. Quæsit. §. Si quis fundum*, ubi *Bart. ff. de fundo instruct. Rota coram Seraphin. dec. 584. num. 7., & coram Priolo dec. 113. num. 20., & seq., & coram bo. me. Beaincasa dec. 208. num. 8.*, & in terminis transact. *Urceol. quæst. 81. num. 17.* cum ibi allegatis.

5 Certiùs autem, quia alias si cambium controversum in neutra ex dictis portionibus contineretur, illud sequeretur absurdum, quod in generali divisione totius partes solidum non integrarent, aut quod iis super successione in Primogenitura, quam utraque Familia ex interpositione, & auctoritate Clarissimi Viri, & Juris consulti Card. de Luc. tunc Auditoris Sanctissimi compositam & transactam esse voluerunt respectu Fæudorum, Tenutarum, aliorumque ingentis pretii Bonorum, tam mobilium, quam immobilium, indecisa relicta fuerit pro solo credito hujus cambii debiti ab Ursinis, vix centesimam Aldobrandinæ hæreditatis par-
6 tem attingente, quod sanè adeo inverisimile est, & incongruum, ut quatenus etiam littera deficeret, omnis nihilominus capienda esset interpretatio, per quam ejusmodi evitaretur absurdum, *Rot. dec. 194. num. 4. par. 15., & dec. 276. nu. 15. par. 18.*, cum etiam
7 in transactionibus potiùs quam verba, verisimilis contrahentium voluntas inspici, ac servari debeat *Urceol. d. quest. 81. num. 23. Rota cor. Seraphin. dec. 281. per tot.*
8 Minus autem subsistere visum fuit, quod de hoc credito agi nequeat, nisi in judicio redditionis rationis: licet enim in dicto folio dictum fuerit, quod Princeps Burghesius rationem exigere posset à quibus de jure de stabilibus, locis Montium, mobilibus, & juribus à Principissa Olimpia alienatis, ac de tempore transactionis deficientibus; non tamen indè argui potest, quod pro aliis creditis, aut bonis non alienatis, nec deficientibus, prout est Cambium controversum, saltem pro rata scut. 15. mil. agi debeat in judicio redditionis rationis, cum illatio isthæc neque congruat litteræ conventionis, loquentis duntaxat de creditis, & bonis alienatis, ac deficientibus, neque etiam conveniat naturæ ipsius rei, cum ratio exigi quidem, ac peti possit de rebus, quæ deficiunt, non verò de illis, quæ existunt, & in ipso contractu ceduntur, ac assignantur; unde si quid indè argui licet, potius

rius inferri debet, quod dùm Principi Burghesio concessum fuit in in dicto folio jus consequendi redditionem rationis de creditis in alios distractis, vel jam exactis, longè fortiùs cessum censeri debet jus exigendi credita ad ipsam Primogenituram pertinentia, & in alios non translata, neque exacta, ut benè concludit Decisio, quæ revidetur §. *Idque*.

Firmis itaque ex his manentibus respectu
9 capitalis fundamentis jam captæ resolutionis, mirum non est, quod DD. in eodem sensu permanserint. At verò respectu fructuum, sicuti ex facto melius elucidato compertum hodiè fuit Cambium controversum cum Ursinis contractum, non jure tantum pignoris, sed jure pleni dominii ad D. Principem Burghesium pertinere, ità quoque oportuit in hac parte à decisis recedere,
10 cum nihil magis in jure exploratum, certumque sit, quam quod fructus dominium sequantur; & non secùs, ac sors ipsa, & capitale, cujus sunt pars, & accessio censeri debeant, *l. Ex divers.*, *& l. In fund. ff. de rei vindic. l. si domin. cod. de pignor.*, latè *Rot. in Romana Immissionis super Fructibus 6. Februarii 1719. §. Quod enim in fin.*, *& 5. Iunii subsequentis §. Immotum cor. R. P. D. meo Falconerio*.

Quod autem memoratum Cambium ad Principem Burghesium jure Dominii pertineat, DD. hodiè pro constanti habuerunt, quia benè perspecta rei gestæ serie, nedum recognitum fuit minimè subsistere, quod Principissa Hippolyta Ludovisia illud sibi, & ejus hæreditati acquisiverit, ac speciali dumtaxat hypotecæ subjecerit favore Primogenituræ pro restitutione quarti dotalis, quod ex effectibus ejusdem Primogenituræ ipsi persolutum fuerat in summa scutorum 25. mil., quemadmodum supponitur in præcedenti Decisione, sed immo ex opposito
11 constitit illud ab eadem Hippolyta fuisse (reservato sibi dumtaxat usufructu) usque à principio in proprietate acquisitum favore Primogenituræ, quæ nunc virtute dictæ transactionis à D. Principe Burghesio repræsentatur, ac proinde dubium esse nequit, quominus in eo concurrat titulus ille habilis ad acquirendos fructus, quem requirit *Rot. decis. 232. par. 8. recen.*, & Decisio Causæ §. *Enim verò*.

Porrò series facti ità se habet. Nupserat
12 Hyppolyta Principi Joanni Georgeo Aldobrandino, & quia dos tradita fuerat in quantitate scut. 100. mil., soluto per obitum Viri matrimonio, debuisset illi etiam quartum dotale in pecunia numerata per-
13 solvi; sed quoniam ex eo matrimonio superstes erat Olimpia filia, non poterat Hippolyta quartum, nisi in simplici dumtaxat usufructu superlucrari, cum ità ad litteram caveatur *in Statut. Urbis cap. 131.*, cum autem
14 pecuniæ, sicuti, & aliarum rerum, quæ usu consumuntur nec naturali, nec civili ratione ullus esse possit usufructus, recurrendum idcircò erat ad remedium Senatus Consulti, quo cautum fuit, ut Fructuarii pecunia fiat, si tamen Propietario satis dederit de tantundem restituendo in casu obitus, vel capitis diminutionis, sicuti expressè disponitur *in §. Constituitur instit. de usufruct.*, *& tot. tit. ff. de usufructu earum rerum quæ usu consumuntur*, & docte de more explicat *Hugo Donell. in Comment. de Jure Civil. lib. 10. cap. 4. per tot.*

Itaque juxta præscriptum dictarum legum, ac Statuti Urbis potuisset Hippolyta, datis idoneis Fidejussoribus, pecuniam pro quarto dotali sibi debitam acquirere, eamque in quemcumque libuisset usum convertere, vel sibi investiendo, vel etiam disperdendo, quemadmodum notavit præcedens decisio §. *Hoc tamen*, & si ità fecisset proce-
15 deret illatio Decisionis, quod Cambium ex ea pecunia contractum Hippolytæ, atque ejus hæreditati pleno jure acquisitum censeri posset; verum ipsa in hac re longè
16 aliter se gessit; etenim, nullis datis Fidejussoribus, convenit usque ab initio cum Cardinali Hippolyto, qui dictæ Olimpiæ Tutor, & Curator erat, ut loco, & vice cautionis, quam præstare tenebatur ad formam statutorum Urbis, pecunia sibi solvenda pro quarto dotali de communi consensu investiretur, idque investimentum finito per ejus obitum usufructu ad Olimpiam filiam libere spectaret, prout de facto sub hac expressa conditione pecunia in causam quarti à Cardinali soluta, ac deposita, & subinde à Vidua recepta, & investita fuit primo in censu ab ipso Cardinali imposito, & deindè in Cambio cum DD. de Ursinis: quamobrem ex hoc facto in comperto remanet, quod licet Hippolyta potuisset, datis idoneis Fidejussoribus, liberum pecuniarum usum, ac dominium acquirere, satiùs tamen è re sua duxit nec satisdare, nec pecuniæ dominium acquirere, sed alio medio, & suæ, & Proprietariæ securitati consulere, nempè per investimentum ejusdem quantitatis sui favore factum quoad usumfructum, cum vinculo reversionis post ejus obitum ad filiam propietariam juxtà formam, quam ubi satis quis dare nequeat passim servari refert *Costantin. ad Stat. Urb. annot. 33. n. 132.*, & qua, proinde in casu, servata, sicuti dubium
17 non est, quin proprietas investimenti usque ab initio quæratur filiis superstitibus, quatenùs sint hæredes illius, ex cujus patrimonio pecunia in causam quarti soluta fuit, ita neque dubitari potest, quominùs finito per obitum Viduæ fructuariæ usufructu, investimentum ipsum pleno jure, etiam quo ad fructus ad eosdem filios pertineat ut generalibus omissis alias in puncto articulo formiter discusso respondit *Rot. in Romana Quarti Dotalis, seu Locorum Montium 20. Ianuarii 1715. ferè per tot. cor. Me.*

Minime obstante animadversione illa præcedentis Decisionis, quod dum Partes voluerunt

luerunt, quod Investimentum staret pro
cautione, quam Principissa Hyppolita præ-
stare tenebatur, necessario exindè inferatur,
quod neque eadem Hyppolita adveniente
die restitutionis quarti adstringere se volue-
rit ad tradendum Investimentum, sed so-
lam pecuniam pro cujus restitutione Inve-
stimentum ipsum obligabat, neque Cardi-
nalis Hyppolitus Olimpiæ Curator teneri
voluerit ad recipiendum pro restitutione
18 Quarti Investimentum, dum voluit super
eo simplicem tantum hypothecam acquire-
re, quæ cum dominio, & proprietate est
omnino incompatibilis, ut latius prosequi-
tur eadem decisio §. *Nam quidquid sit*.
19 Objectum namque, & illatio procederet,
si Hyppolita pro restitutione pecuniæ sibi
pro quarto solutæ Investimentum sive Cam-
bium favore Olimpiæ hypothecasset; in hoc
enim casu, hæc ipsa hypothecæ constitutio
excluderet ab Olimpia acquisitionem do-
minii, *l. neque pignus ff. de regul. juris*; ve-
20 rum in hypothesi conditio illa, sub qua pe-
cunia soluta, ac deposita, & respectivè exa-
cta, atque investita fuit, quod nempè investi-
mentū stare deberet loco cautionis non ha-
bet eum sensum, quod istud remanere debe-
ret favore Olimpiæ hypothecatum, cum si ita
Partes convenissent, dicere debuissent, quod
loco cautionis succedere deberet hypothe-
ca constituenda super investimento, sed ha-
bet alium longe diversum, quod nempè in-
vestimentum in proprietate faciendum favo-
re Olimpiæ stare deberet loco, & vice cau-
tionis, & satis dationis, quam Hyppolita
dare debuisset, si voluisset pro se ipsa libe-
rum pecuniæ usum, & consequenter plenum
investimenti dominium acquirere: in hunc
namque sensum collimant tum praxis, de
qua testatur *Constat. loco supra citato*, tum
verba ipsa, quibus ordines, deposita, atque
investimenta concepta fuerunt, dum in istis
omnibus dictum fuit, non quod hypotheca
super investimento, sed quod investimen-
tum ipsum in solo usufructu pro Hyppolita
factum succederet loco cautionis, tum demi-
que, & clarius, quod in omnibus consensi-
bus, & utroque Instrumento tam primi,
quàm secundi cambii cum Ursinis contracti
non contentæ Partes dixisse, quod Investi-
mentum stare deberet loco cautionis, ex-
pressè superaddiderunt, quasi ad majorem
rei declarationem, quod expirato per obi-
tum Principissæ Hyppolitæ usufructu, capi-
tale scut. 25. mil. præsentis cambii libere,
& absque ullo onere spectaret ad Olimpiam,
quod sane ad oculum demonstrat non sim-
plicem hypothecam constitutam, sed inve-
stimentum ipsum fuisse favore Olimpiæ ac-
quisitum, ab initio quidem in sola proprie-
tate, & cum onore usufructus, deindè ve-
rò, & post obitum Hyppolitæ liberè, & sine
21 ullo onere, sicuti de jure est, cum usufru-
ctus fructuarii morte finitur §. *Cum autem
Instit. de usufruct.*, & bene ad rem advertit
Rot. coram Buratt. dec. 168. n. 23. & seqq.,
*et cor. Priolo dec. 59. n. 15. et dec. 346. n. 25.
par. 5. recent.*
22 Et hic sensus cæteroquin adeo planus, &
naturalis multo etiam magis confirmatur ex
illa alia notabili circumstantia, quod si Hyp-
polita voluisset, non quoad solum usumfru-
ctum, sed pleno dominii jure investimentum
sibi acquirere, vel nulli post ejus obitum
stipulari debuisset, cum contractus esset
de sui natura ad hęredes transitorius, vel
ad summum exprimendo id, quod tacite de
jure inerat, debuisset pro futuris ejus hære-
dibus stipulari, non vero pro Olimpia filia,
quam poterat vel hæredem in parte tantum,
prout de facto evenit, vel in sola legitima
instituere; & quatenus etiam illam tanquam
suam pręsumptivam hęredem considerasset,
neque pacisci debuisset, quod investimen-
tum ad eam libere spectaret, dum potuisset
illud fideicommisso, aut alio onere in testa-
mento gravare; & multo minus debuisset uti
clausulis illis *finito usufructu ad formam
Statutorum Urbis*, cum neque tale quid
23 Statutis Urbis caveatur, neque usufructus
ullus consistere propriè valeat in eo, qui
plenum rei dominium nanciscitur, cum ille
sit jus alienis rebus, non propriis utendi,
fruendi §. *Primo instit. de usufruc. l. 1. ff.
eodem, leg. uti ff. si usufructus petatur*.
Quæ cum ita sint irrito conatu substinere
satagebant Defensores DD. de Pamphiliis
fuisse eo pacto conventum, non quod Cam-
bium, & investimentum, sed quod pecunia
ipsa, & quantitas sc. 25. mil., quæ tunc cam-
bio tradebatur finito per obitum Hyppolitę
usufructu restitui libere deberet Olimpiæ
filię, id deducendo tum ex verbis illis *capita-
le sc. 25. mil. præsentis Cambii*, quibus Par-
tes in utroque Instrumento Cambii, & in
omnibus ordinibus, & consensibus usę fue-
24 runt, tum quoque ex relatione habita ad
Statutum juxta quod, cum quartum in pe-
cunia solutum fuit, debet etiam in pecunia,
& non in specie restitui, ut late ratiocinatur
pręcedens Decisio §. *Ut enim, et seq.*
25 Tantum namque abest, quod ea verba
Capitale sc. 25. mil. pręsentis Cambii ad so-
lam quantitatem referri possint, ut immo de
sola specie, & ipso fructifero investimento
intelligi valeant; cum servata ratione recti
sermonis, dictio illa *capitale* conveniat qui-
dem investimento fructifero, in quo sors à
26 fructibus distinguitur, sed non etiam pe-
cuniæ, & simplici quantitati, in qua sicuti
nulli fructus, ita neque sors, aut capitale
considerari potest, argumento *Textus in l. si
bene collocatę 33. ff. de usur.*, & de facto,
quod Partes in hoc sensu illam acceperint,
nedum ostendit mentio paulo supra facta de
usufructu, sed etiam subsequens relatio ad
Statutum, quæ non solum non obstat, sed
potius retorquetur, dum eo ipso, quod Hyp-
27 polita satisdare noluerat, sed contenta
fuerat vice cautionis recipere investimen-
tum, quoad usumfructum tantùm, hoc ipsum
post ejusdem obitum debebat ex dispositio-
ne

ne Statuti, liberè, & absque ullo onere ad
Olimpiam filiam pertinere, sicuti etiam ad-
mittit decisio, quæ revidetur §. *Sed in casu,*
et seq.
28 Sed hæc omnia, licet satis perspicua, cla-
riora etiam facit subsequuta observantia; de-
functa enim anno 1674. Principissa Hyppo-
lita, relictis ex æquo hæredibus Olimpia
filia, & Duce Flavio Ursino secundo viro,
& Cambii Debitore, eadem Olimpia Du-
cem pluries interpellavit, non ut sibi red-
deret pecuniam in Causam quarti Hyppolitę
Matri solutam, sed ut sibi Cambium resti-
tueret in executionem pacti in Instrumento
appositi, quod illud post obitum Matris ad
ipsam liberè spectaret, & insuper fructus
sivè accessiones persolveret à Matris obitu
29 ad eam diem decursas: Dux vero ejusmodi
interpellationibus lacessitus sequenti anno
1675. in diminutionem Capitalis dicti Cam-
bii soluit eidem Olimpiæ sc. 10. mil. & dein-
de anno 1677. obtenta ad biennium dilatio-
ne, publico, solemnique Instrumento, in
quo bilancium quoque inseri curavit, pro-
fessus fuit se virtute toties d. pacti remanere
debitorem ejusdem Olimpiæ pro residuo
cambii in scutis 15 mil. & in aliis sc.710. pro
fructibus ab Hyppolitæ obitu decursis; undè
in hisce facti circumstantiis vix ullus super-
est ambigendi locus, quod eo pacto cam-
bium fuerit usque à principio pro Olimpia
acquisitum loco, & vice cautionis, quam
Hyppolita juxta formam Statuti præstare,
alias debuisset, cum ità posteà declaraverit,
tum Dux Flavius, cujus plurimum intere-
rat contrarium substinere, ex quo si cambium
fuisset ab Hyppolita pro se ipsa pleno jure
acquisitum cum sola hypotheca favore
Olimpiæ, ipse exemptus remansisset, tam-
quam hæres pro medietate ejusdem Hyp-
politæ à solutione medietatis fructuum,
quos tamen integrè debere confessus fuit;
tum quoque ipsa Olimpia, quæ non egit
contra Ducem, tanquam contra Cohære-
dem pro medietate pecunię ab Hyppo-
lita debitæ pro restitutione quarti, sed il-
lum interpellavit tamquam ipsius Cambii
Debitorem, illudque ad se vigore pacti li-
berè spectare asseruit, & de facto pro rata
sc. 10. mil. extinxit, & pro residuo dilatio-
30 nem concessit, ut proinde nequeat hodie
hæc veritas à DD. de Pamphiliis, qui sunt
ejusdem Olimpiæ hæredes in discrimen am-
plius revocari *vulgat. l. cum à Matre C. de
rei vindic. de qua Rot. in Bononien. Fidei-
commissi de Ghisleriis* 11. *Decembris* 1713.
§. *In idem, & in Forolivien. Fideicommissi
Francisci de Corbicis* 27. *Februarii* 1722.
§. *In tanta igitur cor. Me.*
Quin hujusmodi adeo claræ observantię
opponi mereatur, quod Princeps Jo: Ba-
ptista Burghesius controversum cambium
describi permiserit in Inventario hæredita-
rio ejusdem Olimpiæ, & successivè tanquam
hæres ejusdem petierit, & obtinuerit in
Congregatione Baronum sibi tertiam cre-
31 diti partem consignari. Quod enim attinet
ad Inventarium, illud ad hunc effectum nul-
latenus attendi potest cum in eo descripta
indistincte fuerint omnia quotquot bona
tempore obitus ab eadem Olimpia posside-
bantur, minimè curato, sive illa essent ipsius
propria, sive à Primogenitura, & Principe
Joanne Georgeo, sive à secundogenitura,
& Cardinale Hyppolito provanirent. Quod
vero pertinet ad alios actus gestos in Con-
gregatione Baronum, illi immutare neque-
unt veritatem facti aliter se habentis, neque
impedimento esse possunt, quominus D.
Princeps Burghesius virtute transactionis in
Primogenitura Successor, cambium ad illam
32 pertinens vindicare valeat, dum præsertim
DD. de Pamphiliis solemnem exposuerunt
obligationem de restituendo prioribus, &
potioribus etiam quoad citatos, quæ opera-
tur, ut jura partium illęsa remanserint, per-
indè ac si consignatio facta non fuisset *Rot.
dec.* 40. *n.*56 *par.*9. *& dec.*48. *n.* 16. *par.* 19.
& dec. 114. *n.*8. *cor. Penting.*
Tandem nec momenti alicujus visa fuit
alia postrema objectio, quod videlicet cum
acquisitio pro Olimpia fieri potuerit ejus
proprio, & particulari nomine, hoc satis sit
ad effectum excludendi acquisitionem favo-
re Primogenituræ, cujus respectu, adhuc
in incerto est, utrum in Persona Principis
Joannis Georgei, vel potius Cardinalis Hyp-
33 politi expiraverit: nimis enim clarum est,
tum ex relatione ad Statutum, tùm propter
expressionem illam, quod investimentum
stare deberet loco cautionis, quod investi-
mentum factum fuit pro Olimpia, non ejus
proprio, & particulari nomine, sed tan-
quam hęrede illius, ex cujus pecuniis quar-
tum solutum fuerat, cum dubium minimè sit,
ità esse de mente Statuti, *Rot. cor. Ottobon.
dec.*178. *n.*6. *& cor. Cerro dec.* 417. *n.* 14. *&*
15. & pluribus aliis adductis decisio Causæ
34 *Sed in casu*. Hoc autem posito, nihil in-
terest, in quo Primoganitura expiraverit,
cum ad effectum, de quo agitur, exuberet
quartum solutum fuisse cum pecuniis retra-
ctis ex permutatione Casalium ad Primo-
genituram pertinentium ad hoc, ut acquisi-
tio facta pro Olimpia ad formam Statuti,
censeatur facta pro ea, tamquam persona, in
quam bona, & jura Primogenialia, vel jam
obvenerant, vel saltem obventura erant,
cum hoc solum nomine apta essent Hyppoli-
tam liberare ab obligatione restituendi
quod sibi pro quarto assignatum fuerat.
Et ita utraque.

FOROLIVIEN. FIDEICOMMISSI ANTONIÆ DE CORBICIS.

Lunæ 22. *Iunii* 1722.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius diei 2. Martii
proxime præteriti.

So-

Soror condens testamentum favore patruelis, & circa modum, & formam succedendi se relative habens ad testamentum fratris favore ejusdem pariter conditum, in quo soli masculi de masculis essent vocati, & istos etiam in illo vocasse censetur ad exclusionem Masculiorum de fœminis; licet illa sub nomine filiorum, juxta verborum corticem, etiam nepotes ex filia vocasse videretur.

SUMMARIUM.

1 *Nepotes veniunt sub nomine filiorum*, & num. 2.

2 *Sine filiis obiisse non dicitur, qui post se reliquit Nepotes.*

3 *Mens testatoris omnino exequi debet.*

4 *Masculi ex masculis, non vero masculi per medium fœminæ præsumuntur vocati, si testator propriam considerasset hæreditatem tamquam partem integrantem, & unicum constituentem patrimonium cum bonis fratris prædefuncti, in quibus primi tantum essent vocati*, & n. 5.

6 *Testamentum Sororis conditum cum amplissima, & indefinita relatione ad testamentum Fratis circa modum, & ordinem succedendi, habetur, ac si in eo ad litteram transcriptum contineretur istud secundum, quando ambo testamenta uni, & eidem hæredi faverent.*

7 *Amplia si in illo dixerit testator* -- nel modo, e forma che succede &c. -- *nempe hæres secundi testamenti; quia cum talia verba sint directa in personam istius, sit, ut eisdem modo, & forma, quibus hic hæres succedit, debeat & alter hæres succedere in illo.*

8 *Subamplia, si addiderit* -- col peso del fideicommisso in quelli prescritto, *quæ verba indigitant, ut gravamen in uno impositum habeatur & in altero pro repetito.*

9 *Clausulæ in testamento appositæ accurate, non dicuntur sese otiosas habere.*

10 *Retentio non datur pro legitima jam consumpta, & an usufructus per filium matri relictus in legittimam sit imputandus;*

DECISIO MCCCXXXII.

ETiam super hoc tertio Fideicommisso instituto ab Antonia Sen. de Corbicis respondit Sacrum Tribunal in Rota diei 2. Martii proximè præteriti dandum esse Immissionem Philippo Juniori de Corbicis, & non competere retentionem pro Trebellianica; sed quia respectu legitimæ ob suffragiorum scissuram nulla tunc capta fuit resolutio, idcirco, ut in præsenti repropositione Causa omnino absolui posset, dedi dubium complectens tam resoluta, quam reservata -- *An scilicet sit standum, vel recedendum a decisis, seu potius competat retentio pro legitima*, & responsum fuit - *Standum esse in decisis, & non competere retentionem.*

Momentum Causę quoad priorem Dubii partem unicè restringebatur in eo, quod cum Testatrix Valerię hæredi quandocumque sine filiis masculis obeunti substituerit Philippum Sen. de Corbicis, ejusque filios masculos, videbatur prima facie non adhuc
1 advenisse conditio substitutionis, ex quo Valeria, licet defecerit sinè filiis masculis primi gradus, tamen post se reliquerat Comitem Antonium de Saxis ex Juditta filia prędefuncta Nepotem, qui propterea, tamquam ex propria verborum significatione sub nomine filiorum masculorum comprehensus juxta receptissimum *Consil. Fulgos.* 85. *de quo Rota in Firmana Primogeniturę super nominatione* 12. *Iannarii* 1717. §. *Tertio coram R.P.D. meo Herrera, & in Romana Primogeniturae de Bubalo* 9. *Maii* 1718. §. *Quantum coram Me*, impedire dicebatur purificationem substitutionis conceptæ sub eo casu, quod Valeria sine filiis masculis de-
2 cederet, cum non videatur sinè filiis obiisse, qui obiit nepote superstite, *Honded. cons.* 60. *n.* 61., *& seqq. Rot. dec.* 486. *n.* 25. *part.* 1. *rec.*

Verum ab hujusmodi sensu, & interpretatione, quæ tota fundabatur in mero, &
3 nudo cortice verborum, nimis aliena etiam hodie apud DD. visa fuit mens, & voluntas Testatricis, quæ in ultimis dispositionibus præcæteris omnibus attendi debet, juxta *Text. in l. Heredes mei §. Cum ita ff. ad Trebellianum, de quo Rota in Forolivien. Fideicommissi Polixenæ de Corbicis 2 Martii* 1722. §. *Absque eo quod coram Me, &*
4 *sepe alibi*; quod enim Testatrix sub nomine filiorum masculorum Valeriæ in conditione positorum voluerit solum contineri masculos ex masculis, non vero masculos per medium fæminæ à Valeria descendentes, nedum resultabat ex eo, quod ejus propriam hæreditatem consideravit, tamquam partem integrantem, & quasi unicum constituentem Patrimonium cum Bonis Vincentii & Francisci fratrum prædefunctorum, atque ideo in ipso actu substitutionis hæc eadem fratrum Bona expressè vocavit *restante dell' Eredità* -- unde incongrua nimis reddebatur interpretatio, per quam masculi descendentes per medium fæminæ, atque exclusi nominatim ab hæreditate dd. fratrum, succedere, & admitti deberent in hac alia parte, de qua Antonia disposuit, contra regulam *Text. in l. quæ de tota ff. de rei vindicat., & in l. Juris gentium §. Adeo ff. de pact., qua in proposito visa fuit Rota in precedenti dec. Causæ §. Certius autem.*
5 Sed & certius, quia hanc suam voluntatem Testatrix ipsa dissertis verbis explicavit, dum Valerię primæ Hæredi sinè filiis masculis obeunti substituit -- *il Sig. Filippo Corbici nostro Cugino, e li suoi figlioli maschi legitimi, e naturali nel modo, e forma, che succede nel restante dell' Eredità lasciatali dalla bon. mem. del Sig. Vincenzo, e del Sig. Francesco miei Fratelli nelli loro Testa-*

mamenti -- Hæc enim verba, ficuti manifeftè præfeferunt fuiffe ab Antonia conftitutum Fidelcommiffum omninò fimilitudinarium cum illis Vincentii, & Francifci ejus fratrum, ità nullum relinquunt ambigendi locum, quin ficuti fratres pro confervatione Familiæ, & Agnationis vocaverant ad eorum fucceffionem Philippum Patruelem, ftatim ac Valeria Heres inftituta fub conditione nubendi in familia finè filiis mafculis decederet, aut etiam fufceptis filiis ejus linea mafculina quandocumque deficeret, ita pariter Antonia ducta eodem fpiritu Agnationis confervandæ fub nomine filiorum Valeriæ in conditione pofitorum, non de aliis fenferit, quàm de mafculis ex mafculis à Va-
6 leria defcendentibus, cum hæc fit virtus, & efficacia dictæ ampliffimæ, atque indefinitæ relationis ad modum, & formam fuccedendi præftitutum in Fideicommiffis Vincentii, & Francifci, ut videlicet inducat omnimodam in omnibus fimilitudinem, & conformitatem, perindè ac fi Fideicommiffa Vincentii, & Francifci effent ad litteram tranfcripta in Teftamento Antoniæ, ut alias in fimili cafu latè firmavit *Rot. in Romana, feù Reatina Fideicommiffi* 25. *Ianuarii, &* 2. *Decembris* 1697. *cor. bo.me. Cardinali de la Tremoille*.

Nil urgente objectione illa, fuper qua Defenfores Comitis præcipuè innitebantur, quod nempè Teftatrix hanc relationem ad fraternas difpofitiones coercuerit, & limitaverit ad eum dumtaxat cafum, quo, per obitum Valeriæ finè filiis mafculis, aperta fuiffet fubftitutio dicti Philippi de Corbicis, ac propterea illa operari quidem poffit, ut in progreffu Fideicommiffi à Philippo in ejus filios, & Defcendentes fervari debeat ordo, & formæ præfcripta in Teftamentis Vincentii, & Francifci, non verò normam dare valeat in ingreffu pro quo folum attendi debet, utrum purificata fuerit conditio illa finè filiis mafculis fub qua Philippus fuit Valeriæ fubftitutus.

7 Siquidem verba ipfa, quibus dicta ampliffima atque indefinita relatio concepta fuit, omnem adimunt in hac parte difficultatem; ea namque non folum directa funt ad effectum defignandi Ordinem in progrefsu Fideicommiffi fervandum inter Defcendentes Philippi, fed immo & magis principalitèr tendunt ad declarandam formam, & conditionem, fub qua Fideicommifsum in linea ejufdem Philippi ingredi debebat: non enim Teftatrix dixit -- *Softituifca il Sig. Filippo Corbici &c. e li fuoi Figlioli &c. nel modo, e forma che fuccedono nel reftante dell' Eredità*, quo cafu verba, tamquam directa in Philippum, & filios aliquam ingerere pofsent dubitationem, quod Teftatrix fe referre voluifset ad fraternas difpofitiones ad effectum defignandi Ordinem progreffiuum fuccedendi inter eumdem Philippum, & filios, fed dixit -- *nel modo, e forma, che fuccede*, quæ fanè verba, ficuti directa funt in Perfonam follus Philippi, ità nonnifi de ingrefsu, & activa ejus vocatione verificari pofsunt, ita ut proinde femper firma remaneat illatio illa, quod fi Philippus fuccedere debebat in hac hæreditate Antoniæ, eodem modo, ac forma, quo fucceffurus erat in cæteris Bonis Vincentii, & Francifci, certe in hac quoque fuccedere debebat ftatim ac Valeria fine filiis mafculis decederet, aut ejus linea mafculina deficeret, ut bene concludit præcedens Decifio Caufæ §. *Ut enim*.

8 Et quod in hoc fenfu Antonia fupradicta verba adhibuerit multo etiam certius eruitur ex illis verbis -- *e col pefo di Fideicommifso in quelli prefcritto*; cum enim ifta reverà pertineant ad ordinem progreffiuum fuccedendi, & refpiciant gravamen ipfius Philippi, non obfcurè indigitant, quod alia verba fuperius exprefsa -- *nel modo, e forma, come fuccede*, nonnifi ad qualificandum ingrefsum, & activam ejufdem Philippi voca-
9 tionem appofita fuerint, ne alias altera ex dd. claufulis non finè cura, & diligentia conceptis, inutilis, & fuperflua remaneat, juxta regulam, de qua *Rot. dec.* 42. *n.*7. *cor. bon. mem. Benincafa, ubi concordantes*.

Ex his itaque DD. approbantes fundamenta præteritæ decifionis, pro eo, quod attinet ad punctum Immiffionis, atque etiam in alia parte in qua denegata fuit retentio pro Trebellianica, cum refpectu illius Rei conventi præcedentem refolutionem non amplius impugnarent, ac tranfeundo ad aliam detractionem legitimæ in præcedenti Propofitione non refolutam, facili negocio convenerunt in fenfu, quod pro ifta nulla competeret retentio, nedum quia cum Polixena fuper omnibus ejus bonis ab hæreditatibus filiorum prædefunctorum in ipfam quomodocumque obventis, & fignanter ratione legitimæ conftituerit Fideicommiffum, quod ex Judicio noftri Tribunalis purificatum jam fuit favore Philippi de Corbicis, fruftra Rei conventi videbantur efse de hac detractione follicitis verum & fortius quia eadem Polixena in divifione inita cum Valeria ufque ab anno 1662. controverfam legitimam cum effectu detraxit, obtinendo fibi adjudicari tertiam partem hæreditatis Antoniæ: unde quidquid fit an illa à princi-
10 pio eidem Polixenæ deberetur, vel potius formalis ufusfructus illi ab Antonia filia relictus, efset in eam quartam imputandus juxta magiftralem *decifionem* 1365. *cor. Seraphin.* facto calculo fructuum ab ea quoufque vixit cum effectu perceptorum juxta *decif.* 376. *part.* 5. *rec.*, illud utique certum eft, quod fi legitima detracta jam fuit, nulla amplius poteft pro ea competere retentio, *ad regul. Text. in l. Bona fides* 57. *ff. de regul. Iur.*

Et ita omnibus DD. una mecum fuffragantibus & Parte utraque Informante refponfum fuit.

MELEVITANA DEVOLUTIONIS.

Ven. 26. Junii 1722.

ARGUMENTUM.

Voluntas Testatoris favore piæ Causæ ab Episcopo ad meliorem finem, & effectum in alia pia Causa permutata, & per centum, & ultrà annos effectum sortita, ad pristinum statum revocari non potest, cum talis permutatio supervenientiam Apostolici Beneplaciti præseferat.

SUMMARIUM.

1 *Dominia rerum in incerto manere est absurdum.*

2 *Res judicata oritur etiam ex sententia justa, ob neglectam appellationem in judicatum transacta.*

3 *Permutatio voluntatis defuncti facta ab Episcopo cum scientia exequutorum testamentariorum ratione legittimi impedimenti, & ad bonum finem ultra centum annos observata, resricari non debet sub prætextu recognoscendi, an sit legittimè facta, vel ne; & quare? amplia nu. 5.*

4 *Centenaria meliorem titulum de Mundo dat, & Apostolicum præsupponit Privilegium.*

5 *Papa potest commutare defunctorum voluntates etiam sine causa, & absque ulla extrinseca solemnitate, & quocumque modo ipsi benevisо.*

6 *Beneplacitum Apostolicum ex lapsu temporis hominum memoriam excedente præsumptum, eandem habet vim, qua gaudet expressum.*

7 *Allegatio tituli invalidi ad effectum excludendi centenariam, vel fieri debet ab ipso met allegante, vel à speciali Procuratore cum speciali mandato ad producendum titulum.*

8 *Allegatio tituli expressi, ut adimat facultatem allegandi præsumptum, omninò necesse est, vel quod unus sit cum altero incompatibilis, vel quod allegans expressum, se ad illum nominatim coarctaverit.*

9 *Allegans titulum, & una simul Apostolicum Beneplacitum super eo præsumptum, accedente centenaria, non eget, ut titulum discutiat.*

DECISIO MCCCXXXIII.

Quamvis ad quietem, pacemque publicam id maximè intersit, ut qui longissimo tempore, hominum memoriam excedente, rem aliquam possederit, tutus sit ab omni molestia hac sola temporis præ-
1 scriptione, ne alias Dominia rerum semper in incerto maneant, ut advertit *Grotius de Jure belli lib. 2. cap. 4., Pufendorf. de Jure naturæ, & gentium lib. 4. cap. 12. §. 9. cum seqq.*, sub obtentu nihilominùs, quod impleta non fuerit pia dispositio Isoldæ Carabene tribus, & ultra ab hinc Sæculis condita, nempè de Anno 1362., Ministri Rever. Fabricæ obtinuerunt ab Inquisitore Melitæ, sivè Judice per ipsum deputato condemnari Monasterium Sancti Nicolai de Arena Congregationis Cassinensis Cataniæ ad solvendum Depositario Fabricæ fructus perceptos, & qui percipi poterant ex bonis per dictam Mulierem in piam Causam Legatis usque ab anno 1365. ascendentes ad summam scutorum 300. mil. circiter, eique præfigi terminum trium mensium ad obtinendam à Sancta Sede facultatem erigendi novum Monasterium in Insula Melitæ juxta votum dictæ Testatricis, alias dicto termino sine effectu preterlapso eadem bona Rev. Fabricæ applicari, quam sententiam alius quoque Judex de partibus in gradu appellationis confirmavit, præter quam quod fructus, quorum restitutionem coercuit ab anno 1642. in summa scutor. 72. m.

Habito autem per Monasterium recursu ad Sac. Generalem Congregationem ejusdem Rev. Fabricæ, hæc possessionem interim captam à Promotore Fiscali de partibus duobus amplissimis decretis circumscripsit, causæque cognitionem delegavit R.P.D. Siuibaldo, qui præcedentes sententias ità infirmavit, ac si editæ, aut prolatæ non fuissent, sed quia post decursum decem, & ultrà annorum, quibus Promotor siluit, curavit mihi tamquam Prælato ejusdem Fabricæ ulteriorem controversiæ cognitionem committi, hodiè propterea juxta stylum hujus Sacri Tribunalis consului Dominos super congruo dubio -- *An constet de re judicata, seù potiùs de Causis restitu-*
2 *tionis in integrum* --, & quia ultima sententia R. P. D. Siuibaldi valida in omnibus, ac justa comperta fuit, nec adversùs eam fuit prosequta appellatio intra terminum latalium, Domini responderunt -- *Constare de re judicata*, sicuti alias in simili respondit *Rota decis. 56. n. 1., & seqq. par. 1., & dec. 219 n 1. par. 11., & passim alibi.*

Profectò super validitate dictæ sententiæ nulla erat inter Partes dissentio; justitia autem, ex qua excludebatur subsidiarium remedium restitutionis in integrum, ex eo præclarè, & usque ad evidentiam resulta-
3 bat, quod licèt dicta Isolda anno 1362. nonnulla ejus bona reliquerit Monasterio Sancti Nicolai Cataniæ Ordinis Cassinen. cum onere, ut sex Monaci perpetuò habitarent in parva quadam Ecclesia Beati Nicolai sita in Insula Melitæ, & ibi orarent pro ejus, & defuncti Mariti animabus; tamen agnita per Hylarium tunc temporis Episcopum Melevitanum incongruitate loci continuis Saracenorum incursionibus expositi, aliisque compertis legitimis impedimentis, commutando dictam piam voluntatem, an-

no 1364. evocatis ad hunc effectum executoribus testamentariis, demandavit, ut dicta bona applicarentur principali Monasterio Cataniæ, injuncto onere Monacis ibidem residentibus usque ad numerum quinquaginta, ut jugiter orarent pro Anima defunctæ Testatricis, & suorum. Cum igitur ab inde citrà per spatium trium, & ultrà Sæculorum dicta permutatio observata fuerit, & Monasterium Cataniæ in quieta, & pacifica possessione eorumdem bonorum permanserit, hoc unum sufficit, ut hodie amplius super ea inquiri non possit sub futili, & exorbitanti prætextu recognoscendi utrum dicta commutatio ritè, & rectè ex-
4 pleta fuerit, cum lapsus tanti temporis trium Sæculorum metam excedentis, faciat de jure præsumere concursum nedum legitimæ commutandi causæ, ac solemnitatum in ea de jure requisitarum, sed etiam confirmationem, & beneplacitum Apostolicum, & ut nostri aiunt quemcumque meliorem titulum de Mundo, sicut per *Text. in cap. 1. de Præscript. in sexto*, *& leg. hoc jure §. Ductus Aquæ ff. de aqua quotid*, *& æst.*, dixit in simili *Rota decis. 11. n. 3. par. 1. dec. 150. n. 4. par. 5. dec. 38 n. 16. coram bo: mem. Ansaldo*, *& in Legionen. Parochialis 2. Julii 1706 §. Fortiùs cor. bon. mem. Kaunitz*, *& in Melevitana, seù Januen. Parochialis 23. Febr. proximè præteriti §. altero coram R. P. D. meo de Gamaches.*
5 Quamobrem licuit si hodie exhiberetur in confirmationem dictæ commutationis expressum Beneplacitum Apostolicum, nefas esset, & Sacrilegii instar contra illam ostendere, vel defectum causæ, aut solemnitatis, vel quod Episcopus potiùs omninò everterit, quam commutarit piam Testatricis voluntatem, ex quo nullum Missarum onus Monacis injunxerit, cum Summo Pontifici liceat pias defunctorum voluntates, etiam sine causa, & absque ulla extrinseca solemnitate, & quocumque modo ipsi benè viso commutare, ad *Text. in Canon. ultima 13. qu. 2.*, *& in Clement. quia contigit de Relig. Dom.*, *Fagnan in cap. Nos quidem n. 30. de Testamen.*, *Amostaz. de causis piis num. 14. ib. s. num. 4.*, aliisque adductis concordantibus *Rota in Gernnden. Applicationis 14. Junii 1706. §. Nec rectè cor. bo. me. Molines.*
6 Ità neque in præsenti admitti possunt ejusmodi exceptiones, dum si non expressum, allegatur tamen beneplacitum præsumptum ex lapsu temporis memoriam hominum longè latèque excedente, quod sanè ad omnes juris effectus non minorem sortitur authoritatem, quam sortiatur expressum, dum inter unum, & aliud hoc solum discriminis intercedit, quod expressum actuali exhibitione Instrumenti, præsumptum verò longissimi temporis præscriptione probatur. In cæteris autem omnibus eadem est utrinsque vis, ac potestas, *Rota cor. Emerix dec. 286. n. 5.*, *& in Salisburgen. Vicariæ 31. Januar. 1719. §. insuper cor. R. P. D. Falconerio Almæ Urbis Gubernatore*, *& in Marsicana Abbatiæ 13. Junii 1721. His ità cor. R. P. D. meo Gamaches.*
7 Quibus ità se habentibus, frustrà Ministri Fabricæ recurrebant ad inanem illam obiectionem, quod nempè in judicio Melitæ acitato quidam Borgia asserti Monasterii Procurator allegaverit titulum expressum commutationis obtentæ ab Episcopo, atque ideò nequeat amplius Monasterium allegare alium titulum meliorem ex lapsu temporis præsumptum: Ultra quod enim dictus Borgia, qui titulum dictæ commutationis allegavit, nullum ad hanc litem habuit à Monasterio mandatum, sed fuit ex officio ab Inquisitore deputatus, undè nullum eidem Monasterio præjudicium inferre potuit, dùm præsertim ad effectum, de quo agitur, necesse est, ut productio tituli invalidi, & insufficientis fiat ab ipsis Principalibus, vel à Procuratore cum speciali mandato ad producendum dictum titulum, ut in specie tradunt *Card. de Luc. de Regal. disc. 47. n. 50. cum seqq.*, *Rota dec. 467. n. 11. coram Gregor.*, *& decis. 294. n. final. cor. Buratt.*, *& decis. 44. n. 9. par. 10. recent.*
8 Ex eo insuper cessare visa fuit quælibet difficultas, quia ad hoc, ut productio tituli expressi adimat facultatem allegandi præsumptum, omninò necesse est, vel quod unus sit cum altero incompatibilis, *de Luca de Regalibus dicto disc. 47. n. 9.*, *& seqq.*, *Rot. dec. 218. n. 18.*, *& seq. part. 6.*, *& decis. 201. nu. 6. par. 18. recen.*; vel quod producens expressum, sese ad illum nominatim coarctaverit, *Rota decis. 250. n. 5.*, *& 9. par. 4.*, *& dec. 32. n. 16. cor. Celso*; ex his autem neutrum in casu verificatur, non quidem primùm, quia commutatio facta per Episcopum non excludit, quin postea in uberiorem illius confirmationem superaccedere potuerit beneplacitum Apostolicum; neque etiam secundum, quia tantùm abest,
9 quod Borgia sese coarctaverit ad titulum dictæ commutationis, ut immò ex opposito una simul cum eo disertis verbis cõmutaverit beneplacitum, & confirmationem Apostolicam, ex lapsu trium, & ultrà sæculorum præsumptum: Quamobrem in hisce circumstantiis vana prorsùs redditur exceptio, quod per exhibitionem Tituli veri, tacitum, ac præsumptum allegari ampliùs non possit, ut benè ad rem concludit *de Luca cit. disc. 47. n. 8.*, *Rot. in Anagnina Immissionis 27. Junii 1704. §. Conformitas coram bo. mem. Ansaldo.*

Et ita utraque &c.

COLONIEN. CANONICATUS SECUNDÆ GRATIÆ.

Ven. 26. Junii 1722.

ARGUMENTUM.

Tabella turnaria justa, & rationabili causa immutata omninò attendenda est, neque Canonicus ille, cui ex tali mutatione jus eligendi læditur, de injustitia ejusdem poteft excipere, quando immutationis causam, una cum toto cœtu Capitulari approbasset.

SUMMARIUM.

1 *Canonicus Turnarius in Germania vigore concordatorum confert Beneficia suo tempore vacantia, & turnariæ collationi subjecta.*

2 *Nominatus ad Canonicatum jure veri turni, instituendus est.*

3 *Tabella turnaria immutata, attendenda non est; benè verò nova confecta à capitulo ex causa justa, & rationabili*; amplia ut in num. 7.

4 *Exclusus à Canonicatu ob mutationem tabellæ turnariæ non potest excipere de mutationis injustitia, cum dicatur exceptio de jure tertii*; & nu. 8.

5 *Amplia, quando talem exceptionem non daret Canonicus ille, ex cujus defectu, & causa fuisset sequuta immutatio, imò tali immutationi acquievisset.*

6 *Sub amplia, si dictus Canonicus exclusus ob mutationem prædictam, dedisset consensum una cum aliis in dicto Capitulo innovationi ejusdem tabellæ*, & num. 11.

7 *Tabella turnaria de novo, ex causa justa, confecta à fortiori attendenda est, quando dependet ab eventu nominatio ad Canonicatum, tam respectu unius, quam alterius.*

8 *Exclusus à Canonicatu ob renovationem Tabellæ non potest excipere de jure quæsito Capitulo super consolidatione dicti juris nominandi, quando illud acceptasset nominatum à Canonico in nova Tabella descripto.*

9 *Inobservantia adversus legem editam ab Episcopo in Divini cultus augumentum non est allegabilis, cum illa usu recepta præsumatur.*

10 *Testes sine partis citatione examinati non probant.*

11 *Decretum in visitatione per Episcopum factum, & præsentibus Canonicis approbatum, ab uno ex illis, tanquam factum proprium, non potest impugnari.*

DECISIO MCCCXXXIV.

Ontendentibus Arnoldo Michaele Sonmagne, & Joanne Josepho de Saim super adjudicatione Canonicatus nuncupat. *secunda Gratia* per obitum Antonii Beveron vacantis in Ecclesia Collegiata Sanctorum Apostolorum Civitatis Coloniæ, Officialis Archiepiscopi Coloniensis, approbando nominationem Jure Turni factam in personam dicti Arnoldi à Canonico Soumagne ejus Patruo, mandavit eundem manuteneri in possessione controversi Canonicatus, devolutaque in gradu appellationis causa ad hoc Sacrum Auditorium, proposui hodiè dubium -- *An, et cui ex nominatis à Canonicis Turnariis sit adjudicandus Canonicatus*, & Domini cohærenter ad dictam nominationem factam à Canonico Soumagne responderunt -- *Canonicatum esse adjudicandum Arnoldo*.

1 Supposito siquidem, quod Canonicatus, de quo agitur, ex particulari dictæ Ecclesiæ consuetudine subjectus sit Turnariæ collationi favore Capituli Colonien., eo ipso, quod de tempore vacationis sequtæ die 17. Maii 1719. in Tabella Turnaria locum Turni occupabat dictus Canonicus Soumagne, Arnoldus ab eo nominatus fundatam habet intentionem pro assequenda adjudicatione Canonicatus, quia cùm in hac materia Tabella regulet Turnum, & plenè probet, ad quem pertineat jus nominandi de tempore vacationis; hinc sequitur, quòd non doctò per concludentes probationes de errore, aliòque defectu dictæ Tabellæ Turnariæ, per Capitulum ad hunc effectum retentæ, Canonico in illa descripto, undequaque assistit jus nominandi, adeò

2 ut per eam nominatus jure veri Turni consequi debeat Canonicatum, ut sæpè firmavit Rot. & signanter *in recen. dec. 118. n. 1. par. 18., in Vicen. Canonicatus* 18. *Feb.* 1701. §. *Etenim constat cor. cl. mem. Card. de la Tremoille, in Colonien. Canonicatus. S. Andreæ* 17. *Febr.* 1713. §. *Constitit coram Me, et* 15. *Februarii* 1715 §. *Longè cor. R.P.D. Cerro, et in Mediolanen. Canonicatus* 13. *Maii* 1718. §. *Etenim coram R. P. D. Corlo.*

3 Absque eo quod obicem præbere valeat adjudicationi prædictæ, quòd attento ordine præcedentis Tabellæ Turnariæ, Canonicus Gade reperiretur descriptus in Turno percutiente tempus sequutæ vacationis, non autem Canonicus Sounagne, Quia cùm dicta Tabella Turnaria fuerit immutata authoritate Capituli ad effectum delendi à Turno Canonicum Holtausen, tanquam inobedientem decreto Visitationis Episcopi edito de anno 1665. prohibente discessum absque licentia Decani sub pena privationis Turni, nulla ampliùs est habenda ratio de antiquiori Tabella Turnaria, sed duntaxat attendenda est nova ex justa, & rationabili causa confecta à Capitulo, & quæ de tempore vacationis vigebat, ut benè probat *Rot. in rec. dec.* 14. *n.* 2., *et* 3. *par.* 12., *in Monasterien. Canonicatus* 18. *Martii* 1707. §. *Fuit siquidem cum pluribus seq. & 20.*

et 20. *Jan.* 1708. §. *Siquidem cum seq. cor. Emo Scotto*, *et in dicta Colonien. Canonic. S. Andreę* 15. *Febr.* 1715. §. *Longè autem cum plurib. seq. cor. R. P. D. Cerro*.

4 Nec merentur attendi exceptiones promotæ circa iniustitiam privationis, ac deletionis dicti Canonici Holthausen à præcedenti Tabella Turnaria. Cum enim justitia, vel iniustitia hujusmodi exclusionis, vel deletionis respiciat principaliter interesse dicti Canonici exclusi, talis exceptio tanquam respiciens jus Tertii non est allegabilis, ut in terminis respondit *Rot. in d. Colonien. Canonicatus S. Andreæ* 17. *Febr.* 1713. §. *Neque huic cor. Me*, *et* 15. *Febr.* 1715. §. *Hinc*
5 *inutile cor. R. P. D. Cerro*. Maximè quia idem Canonicus Holtausen institit pro reintegratione, quam cum obtinuisset pro tempore futuro tantùm, huic decreto Capitulari acquievit, expressè illud acceptando; undè stante hujusmodi acceptatione, sicuti idem Canonicus exclusus admittendus non esset ad impugnandam propriam exclusionem, ac privationem, quam justam, & legitimam recognovit *Rot. in d. Monasterien. Canonicatus* 18. *Martii* 1707. §. *Tantò magis*, *et* 20. *Jan.* 1708. §. *Neque demùm cor. Emo Scotto*, ita, & multò minùs Canonico Gade, sivè Joanni per eum nominato, qui sunt Tertii, licitum esse debet promovere hanc exceptionem, quam habens principale interesse promovere non posset, ut benè prosequitur *d. Monasterien. Canonicatus* 18. *Martii* 1707. §. *Tantoque magis cor. Emo Scotto*.

6 Eoque certiùs, quia contra hujusmodi exceptionem obstat factum ipsius Canonici Gade: Cum namque de tempore editi decreti Capitularis pro exclusione, & deletione Canonici Holthausen, & confectione respectivè novæ Tabellæ Turnarię, ipse fuerit præsens in Capitulo, & non reclamaverit, nec à dicta exclusione, nec à nova Tabelię Turnariæ confectione, satis incongruum censeri debet, quod valeat hodiè impugnare factum prædictæ innovationis, cui consensum pręstitit unà cum aliis Canonicis, ut expendit *R. P. D. meus Falconerius in suo voto edito in Romana Beneficiatus S. Marię Majoris impress. apud Modern. de contr. Patron. alleg.* 90. *n.*51., *& seq.*, *Rot. in d. Monasterien. Canonicatus* 18. *Martii* 1707. §. *Insubsistens cum seq.*, *&* 20. *Januarii* 1708. §. *Talis*, *& seq. cor. Eminentissimo Scotto*.

7 Reflectendo potissimùm, quod exclusio Canonici Holtausen, & confectio novę Tabellæ Turnariæ tanquam dependens ab eventu futurę vacationis, quæ non minùs succedere poterat in hebdomada assignata Canonico Gade, quam in altera assignata Canonico Soumagne, utrique poterat esse profutura; & per consequens quemadmodum si juxtà novam Tabellam evenisset vacatio in hebdomada Canonici Gade, iste non reclamasset, ità licitum eidem esse non debet reclamare, ex eo, quod vacatio successerit in Turno alteri Capitulari constabilito, ut probant tradita per *Rot. in recen. decis.*20. *n.*4. *par.*3. *cor. Emerix Jun. decis.* 1223. *num.*4., & magis in specie ponderat *R. P. D. meus Falconerius in allegato voto sub n.*151. *vers. Hic enim*, *& seq.*

8 Hisque positis, undequaque irrelevans visum fuit, quod etiam posita justitia privationis dicti Canonici Holthausen jus collationis, quod eidem Canonico spectabat, in hebdomada per Turnum illi assignata, fuerit consolidatum in Capitulo, & sic nulla fuerit immutatio Tabellæ Turnariæ: Quia quidquid juris sit circa hujusmodi consolidationem, hoc unum pro certo recognitum extitit, quod cum Capitulum se extraneum fecerit à collatione, deveniendo ad confectionem novę Tabellæ à Canonicis, & signanter ab ipso Gade acceptatæ, cum successiva admissione nominati per Canonicum in nova Tabella Turnaria assignatum, non est ullo modo allegabile jus Capituli pro dicta consolidatione, ad *Text. in l. sicut ff. de arbitr. Cap. Apostolicę*, *& cap. Si cum de præbend. Vivian. de Jurepatr. par.*2. *lib.*2. *cap.*5. *n.*18., *& seq.*

9 Et vanum denique apparuit diffugium, quod decretum Visitationis anni 1665. prohibens sub pæna privationis Turni discessum Canonicorum sine licentia Decani sit destitutum observantia; quia cum hujusmodi lex ab Episcopo edita in actu visitationis in augumentum cultus Divini pręsumatur usu recepta, Canonico Gade contrarium alleganti incumbit onus probandi assertam inobservantiam, *Rota cor. Penia dec.* 105. *n.*1. *cor. Seraphin. decis.*253. *n.* 2., *in recen. decis.*623. *num* 4., *& seq. par.* 18.

10 Testes autem adducti à Canonico Gade attendendi non sunt, tùm quia fuerunt nuperrimè examinati sine citatione partis post devolutam causam ad hoc Sac. Auditorium *Rota cor. Cerro dec.*641. *n.* 8. *cor. Cavaler. dec.*156. *n.*1., *& in dicta Monasterien. Canonicatus* 20. *Januarii* 1708. §. *Talis autem probatio coram Emo Scotto*; tùm quia non fuerunt perlustrata Acta Capitularia, ex quibus posset resultare observantia, vel in-
11 observantia dicti decreti; tùm & demùm, quia Capitulum præsente, & approbante ipso Canonico Gade, admisit observantiam, ac subsistentiam ejusdem decreti eo ipso, quod juxta illius tenorem processit ad privationem Canonici absentis; & proindè dictum decretum non potest in dubium revocari ad *Text. in cap. cum tuæ de probat.*, *Rota in Ferrarien. Alimentorum*, *& Dotium super quantitate Bonorum possessorum à Montibus* 8. *Junii* 1716. §. *Et de facto coram bon. mem. Ansaldo*, *& super primo dubio quantitatis detractionum* 14. *Junii* 1717. §. *Nulla enim coram eodem*.

Et ita utraque &c.

AU-

AUGUSTANA CANONICATUS SUPER AGGRAVATORIA.

Ven. 26. Junii 1722.

ARGUMENTUM.

Contra rotalibus mandatis inobedientes solet à Rota Aggravatoria relaxari, novo tamen ad parendum, termino eis præfixo; præsertim si de cœtu Ecclesiastico agatur, adversus quem mitiùs procedendum est.

SUMMARIUM.

1 *Paritio mandatis rotalibus sine fructu, & effectu non attenditur, nec liberat ab aggravotoria.*

2 *Aggravatoria relaxanda est contra Capitulum mandatis rotalibus non obediens, ut à sua resipiscat contumacia.*

3 *Statuta Ecclesiastica non sunt allegabilia, quando eis Apostolicæ Litteræ resistunt, vel transactio inter Capitulum, & Canonicatus Patronos inita.*

4 *Oblatio verbalis non sufficit, ubi factum positivæ paritionis requiratur.*

5 *Aggravatoria non solet de stylo per Rotam relaxari, nisi priùs præfixo termino ad obediendum; præsertim contra cætum Ecclesiasticum.*

6 *Rota de stylo ad non contenta neque in sententia, neque sub dubio non respondet.*

DECISIO MCCCXXXV.

Contumax adhuc Capitulum Sancti Mauritii cum effectu parere mandatis Rotalibus, postquam metu declaratoriæ coram Me expeditæ controversi Canonicatus, & Vicariæ possessionem de mense Junii superioris anni extradidit Leopoldo Wanner proviso Apostolico, sub vano tamen, & emendicato colore quorumdam Statutorum ejusdem Ecclesiæ inhibuit Bursario, ne illi responderet de quotidianis distributionibus singulis hebdomadis cæteris de Capitulo personaliter inservientibus solvi consuetis, cæterosque fructus præbendæ, & Massæ suo congruo tempore solvi solitos; quamobrem oportuit ad instantiam ejusdem Leopoldi, servatis terminis de Jure servandis disputare opportunum dubium, *an constet de legitima paritione, vel potiùs sit relaxanda aggravatoria*, cui DD. responderunt *negativè quoad primam partem, & quoad secundam relaxandam esse aggravatoriam præfixo termino trium mensium*.

1 Et quod attinet ad primam rescripti partem, cum post servatos terminos ad docendum de paritione, adhùc Capitulum impedire continuaverit, ne à Bursario Leopoldo solverentur distributiones, & fructus Canonicatus, & Vicariæ, evidens remanet defectus legitimæ paritionis, de qua nunquam constare dicitur, quando, prout in casu, tradita quidem fuit possessio, sed sine fructu, & sine effectu, ut alias in proposito respondit *Rot. cor. bo.mem. Ansaldo decis. 51. n. 3.*

2 *& 4.* posito autem defectu legitimæ paritionis, jam indè sequitur juxta secundam rescripti partem, quod sit relaxanda aggravatoria, ut tandem Capitulum à sua contumacia resipiscat *Rot. cor. Rembold. dec. 437. n. 1. & cor. san. mem. Alexandr. VIII. decis. 196. paritèr n. 1. et cor. bon. mem. Ansalda dicta dec. 51. per tot.*

3 Absque eo quod Capitulum justam aliquam ejus contumaciæ excusationem desumere valeat à particularibus Statutis ejus Ecclesiæ, sivè enim loquamur de Statuto illo, per quod disponitur, quod Canonicus de novo provisus post adeptam Canonicatus possessionem vacet per duos annos, & deindè faciat in tertio anno residentiam, antequam fiat particeps distributionum, & fructuum, sivè loquamur de alio, per quod caveri videtur, quod novus Canonicus teneatur quidem statim residere, sed non priùs illi solvantur fructus, & distributiones, quas residendo lucratus fuerit, nisi anno integrè elapso; duplex statim occurrit responsio, quarum prima est, quod quid sit de validitate, & observantia dictorum Statutorum, ea utique locum habere nequeunt, quoad Canonicatum controversum, stante duplici motu proprio san. mem. Leonis X., & solemni transactione usque ab anno 1587. inter ipsum Capitulum, & Patronos hujus Canonicatus celebrata; in quibus omnibus disponitur, quod Capitulum teneatur de hoc Canonicatu provisum statim absque mora, seù expectatione aliqua temporis ad fructuum, & distributionum participatio-

4 nem admittere; altera verò, quod quatenùs Capitulum juxtà formam secundi Statuti, fuisset revera solvere Leopoldo paratum fructus, & distributiones post completam annalem residentiam, prout ejus defensores firmiter asserebant, debuisset hanc ejus voluntatem judicialiter declarare, vel in actu, quo Leopoldus Decanum, & Capitulum interpellavit, vel in termino ad docendum de paritione; undè oblatio, quæ hodiè pro parte ipsius Capituli fiebat sine speciali mandato resolvebatur in pura verba, quæ minimè sufficiunt, ubi requiritur effectiva paritio *Add. ad Buratt. decis. 17. n. 7., et 8. Rot. cor. Bichio dec. 78. nu. 9. in recentior. dec. 246. n. 5. et seq. par. 13. et in Tirasonen. Decimarum 29. Aprilis 1701. §. De non debita cor. bon. mem. Molines.*

5 Cæterùm, quia Sacrum Tribunal ex ejus laudabili stylo non solet ad relaxationem censurarum cum effectu devenire, & maximè contra cætum Ecclesiasticum, nisi priùs novum terminum ad parendum concesserit, juxtà deducta contra ipsum Capitulum in Augustana Canonicatus super declaratoria 9. Decembris 1720., hinc etiam hodiè non aliter aggravatoriam relaxandam fore rescripsit,

scripsit, quam præfixo termino trium mensium intrà quem, cum jam lapsus fuerit, & completus annus residentiæ, recognosci etiam poterit, an dicta oblatio verbalis in Curia facta per effectivam fructuum solutionem in partibus explebitur.

6 Ultrà aggravatoriam pro consecutione distributionum, & fructuum, illam quoque Leopoldus petebat pro assecutione Stalli in Choro juxta Antianitatem desumendam à die inceptæ litis, nec non traditione librorum ad curam Animarum pertinentium, & libertate exercendi quasdam alias functiones, sed cum hæc non contineatur sub litteris executorialibus, neque sub sententia declaratoria coram Me expedita, visum fuit de iis agi non posse, tanquam sub præsenti dubio minimè cadentibus.

Et ita utraque &c.

BURGEN. PRÆEMINENTIARUM SUPER REMISSORIA.

Mercurii prima Julii 1722.

ARGUMENTUM.

Remissoria, sicuti ex relevantia materiæ semper conceditur, ita ex irrelevantia denegatur, & etiam quando tendit ad probandum id, de quo jam in actis satis, superque constaret.

SUMMARIUM.

1 *Remissoria, quando articuli sunt irrelevantes, semper denegatur.*
2 *Remissoria conceditur, quando tanta est articulorum relevantia, ut si probaretur, ex ea victoria Causæ descenderet.*
3 *Remissoria non conceditur ad probandum contrarium illius, de quo per publica documenta, sive Testes formiter repetitos in Actis satis superque constaret.*
4 *Remissoria conceditur, etiam si testes juxta stylum loci examinati sint absque citatione* ad videndum jurare, *& interrogatoriis*; & quare.
5 *Citatio ad* videndum jurare Testes, & dandum interrogatoria, *uti defensionis pars tolli non potest.*
6 *Articuli semper admittuntur, quando, ultrà materiæ relevantiam, veritatis fumus adsit.*

DECISIO MCCCXXXVI.

CUM controversia super modo gestandi Manicas Cottarum, sive Superpelliceorum in Processionibus publicis, aliisque functionibus Ecclesiasticis de numero majorum, vertens inter Capitulum, & Decanum Metropolitanæ Ecclesiæ Burgen., atq; Universitatē Parochorū, & Beneficiatorū ejusdē Civitatis, vigore Rescripti Signaturæ delata ad Me fuisset in gradu Appellationis à d. Universitate interpositæ adversus Sententiam Rotalem à R.P.D. meo Herrera latam in præcedenti instantia favore Capituli, eadem Universitas, exhibita in Actis depositione plurium Testium, & productis articulis, curavit per Me subscribi dubium - *An sit concedenda Remissoria* Eoque hodie proposito, una cū altero respiciente negocium principale, DD. dilata hujus postremi resolutione, respectu Remissoriæ *affirmativè* responderunt.

Quamvis enim Capitulum, ad effectum, 1 ut illa denegaretur, validè insisteret super illa cæteroquin in hac materia receptissima propositione, quod Remissoria non sit concedenda, quoties Articuli sint irrelevantes & in Actis constet de contraria probatione, de qua, cæteris adductis, novissimè *Rota in Leopollien. Matrimonii super Remissoria, & Positionibus 4. Maii proximè elapsi §. Ratio cor. Me*; ea tamen in præsenti 2 visa fuit minime applicari posse; cum enim unicum, vel saltem præcipuum Capituli fundamentum usque adhuc in eo steterit, quod ab immemorabili tempore Dignitates, & Canonici gestare consueverint Superpelliceа cum Manicis elevatis super humeros privative ad omnes alios de Clero inferiori, in signum distinctionis, & præeminentiæ; & Articuli in Actis producti prò parte Universitatis tendant ad probandum, quod etiam Parochi, & cæteri Beneficiati Cleri inferioris eodem modo gerere consueverint à tempore memoriam hominum excedente Superpellicea, seu Cottas cum Manicis elevatis, ac revolutis, tàm in Rogationibus, & Processionibus, quæ ab Ecclesia Metropolitana ducuntur, quàm in cæteris Functionibus Ecclesiasticis, quę ab iisdem Parochis, & Beneficiatis explentur intra ambitum propriarum Ecclesiarum, immò vero alii ex dd. Articulis expressè contineant, quod hujusmodi gestatio Superpellicei promiscue usurpari soleat à simplicibus Clericis Capitulo mercenarie inservientibus, nullumque per eam significari gradum distinctionis, aut præeminentię, sive in ipsa Ecclesia Burgensi, sive in cęteris Hispaniarum Cathedralibus, cum proprium Canonicorum, & Dignitatum distinctivum sint Almutia, Cappa, & Rocchettum; jam nemo non videt, quanta sit materiæ articulatæ relevantia, cum quatenus legitime probetur, sine dubio exuberet ad Causæ victoriam, ut aliàs in simili respondit *Rota cor. Emer. dec. 219. n. 1., & cor. bo. me. Benincasa pariter n. 1. cum aliis in Nullius, seu Sublacen. Immissionis super Articulis 6. Maii proximè præteriti §. Quod autem coram Me.*

3 Minimè subsistente, quod ejusmodi Articuli tendant in effectu ad probandum id, cujus contrarium constat ex Actis per Testes jam publicatos, & sub formali exami-

dem Michaella fuerat expositum, planè constitit, tùm ex speciali lege contenta in Diplomate san. mem. Clementis X., per quam sancitum fuit -- *Quod singuli Beneficiati apud d. Parochialem Ecclesiam personaliter residere teneantur*; tum etiam quia ex Constitutionibus ejusdem Ecclesię, aliisque pluribus documentis demonstratum fuit, quòd prædicti Beneficiati habent onus Divinorum Officiorum in Choro, & Missarum solemnium per hebdomadam: Ex quibus satis superque comprobatur, præfato Beneficio inesse residentiam non solum caussativam, sed etiam pręcisam, *Rota decis. 1240. sub n. 5. cor. Emer. jun.*, *& dec. 475. sub n. 3. p. 2.*, *& in Monasterien. Canonicatus super litteris Ernesti 6. Decembris 1706.*
3 §. *At non solum cor. Me*. Eaque pro validitate Provisionis necessario exprimi debuerat, & multo minus poterat falso negari, ad *tent. in cap. super litteris de rescript. Lotter. de re benefic. lib. 3. q. 4. n. 45.*, & *seqq.*, *Rota dec. 155. n. 1. p. 4. rec.*, & *in Leodien. Beneficii 25. Iunii 1694. §. In eo*;
4 & *seq. cor. bo. me. Pio*. Cum itaque pro obtinendo prædicto beneficio Joannes Baptista minus verè exposuerit, quod erat simplex, personalem residentiã non requirens, de plano consequitur, litteras ejus provisionis fuisse nullas, & subreptitias, adeout beneficium vacaret, ut prius *Paris. de resi-*
5 *gnat. lib. 10. q. 2. n. 19.*, & *seqq.*, ac propterea verificatæ dici debent litterę Apostolicę Michaelis, quę cum supposito illarum subreptionis fuerunt impetratæ.

Quin imò pro demonstranda ulterius
6 nullitate litterarum Joannis Baptistæ accedebat etiam, quod ille de tempore provisionis hujus Beneficii retinebat perpetuam Vicariam curatam loci de Agoiz, ad cujus titulum est ordinatus, omnino incompatibilem cum d. Beneficio; ac propterea cum de ista nullam in assecutione controversi beneficii mentionem fecerit, perspicuum est, quod ipse comodum reportare non debet de hujusmodi litteris, utpotè, veritate tacita, impetratis, *cap. Postulasti 27. de res-*
7 *cript.* Sed veniunt exequendæ litterę Michaelis, quę plenè justificatę comperiuntur nedum ex capite qualitatis residentialis hujus beneficii superius comprobatæ, verum etiam ex isto alio non factæ à D. Joanne Baptista mentionis alterius incompatibilis, quamvis alterum ex hoc duplici capite, utpote alternative concepto, satis esset verificari, *Lotter. de re benef. lib. 3. qu. 8. n. 14.*, *Rota in Monasterien. Canonicatus 23. Aprilis 1706. §. Licet enim cor. Me.*

Sed quatenus pręmissa aliquam pati possent difficultatem, nihilominus animadver-
8 tebant DD. procul dubio Beneficium adiudicandum esse eidem Michaeli, cum iste obtinuerit ulterius gratiam *si neutri*, cujus omnia requisita videntur concurrere. Lis nempe vigens de tempore impetrationis verificatur ex Actis, & commissione Causę nostro Tribunali: Non jus Joannis Baptistæ Collitigantis satis patet ex supra deductis, & demum non Jus impetrantis ad hunc effectum ex propria confessione sufficienter comprobatur, *Ros. de exeq. litter. Apostol. cap. 17. n. 27.*, *Rota coram Ludovis. dec. 89. n. 2.*, & *cor. Cerr. dec. 205. n. 3.*, & *4. dec. 227. n. 1.*

Quin respectu litterarum utriusque Gra-
9 tiæ per Michaelem obtentę dubitari possit de verificatione illius idoneitatis, cum ex testimonialibus Ordinarii appareat ipsum esse Sacerdotem, & ab Examinatoribus Synodalibus approbatum etiam ad curata Beneficia: Quemadmodum etiam contro-
10 verti nequit verificatio valoris expressi in sc. 24. per non excessum, dum ita expositus legitur in litteris Joannis Baptistæ Competitoris.

Et ita Michaele dumtaxat informante &c.

CORNETANA BONORUM.

Veneris 3. Iulii 1722.

ARGUMENTUM.

In Judicio spolii præscriptio locum non habet, neque est à malæ fidei possessore allegabilis, qui suum Jus certo scivisset; pręsertim adversus pupillos, & minores.

SUMMARIUM.

1 *Reintegratio ad possessionem concedenda est de bonis expoliato, qui de necessariis dceat extremis.*
2 *Item & pari ratione concedenda est illi, qui in spoliati Juribus successit*, amplia, ut in n. 3.
3 *Actio pro reintegratione ad bona ammissa, semper dicitur utilis, & pupillo competens etiam ex facto Tutoris expoliato.*
4 *Præscriptio non est allegabilis à spoliante, ratione malæ fidei*, & n. 5.
5 *Item nec à possessore malę fidei*, amplia ut in nn. 7., & 8.
6 *Mala fides non est negabilis in illo, qui certò sciens suum jus extendi ad duas ex tribus partibus Prædii, de eo nihilominus totaliter fuisset potitus.*
7 *Prescriptio contra pupillos, & minores regulariter non currit.*

DECISIO MCCCXXXVIII.

IN vim fideicommissi, ac substitutionis ordinatæ in testamento quondam Sebastiani Spicę, Capitulum Corneti, Hospitale S. Crucis, & Monasterium, ac Moniales S. Luciæ ejusdem Civitatis anno 1618. Judicium immissionis instruxerunt contra Alexandrum Morellium possessorem cujusdam Domus positę in d. Civitate Corneti sub Pa-

rochia, & *Platea S. Margaritæ*, Oliveti in contrada *le Salite*, ac Vineæ in loco nuncupat. *il Pozzo del mal tempo*; & à bonæ memoriæ R.P.D. Sacchetto Judice ab A.C. deputato petitam Immissionem obtinuerunt pro duabus ex tribus partibus, successivè in hoc Sac. Auditorio confirmatam prævils tribus *Decisionibus editis coram Dunozett. sen. decis.* 293. *cor. Remboldo dec.* 292., & *cor. Dunozett. jun. dec.* 222., una cum re judicata exorta mediante renunciatione usque de anno 1632. solemniter emissa nomine Francisci, Alexandri, & Margaritæ de Morellis, quos in pupillari ætate Alexander Pater pendente lite defunctus reliquerat, & in ejus sequelam dd. Loca Pia possessionem bonorum pro rata ipsis tangeote adierunt.

Quamvis autem ad formam obtentę immissionis, & respectivè possessionis desuper captæ dd. Loca Pia continuare debuissent in perceptione fructuum pro duabus dumtaxat ex tribus partibus dd. bonorum, nihilominus paulatim integrè bona prædicta occuparunt in prejudicium dd. pupillorum, ex quibus cum unica fuisset superstes Margarita Morellia, Bartolotta istius heres, comperta iniusta occupatione, quam passi fuerunt dd. pupilli, anno 1711. vigore dictę antiquę litis judicium pro reintegratione instruxit mediante commissione directa bo. me. Ansaldo, in cujus locum, cum ipse fuerit suffectus ad tramites intentati remedii, proposui in hodierna audientia dubium — *An sit danda manutentio*, & *quatenus opus sit reintegratio ad possessionem tertiæ partis bonorum*, *de quibus agitur*, & à Dominis meis, omissa responsione ad primam ejusdem dubii partem ex defectu possessionis, favore Actricis responsum habui pro concessione petitę reintegrationis.

1 Quandoquidem cum ex recensita facti serie Loca Pia contra Alexandrum Morellium obtinuerint immissionem ad duas ex tribus partibus controversorum bonorum, & in sequelam rei judicatę pro hac rata ceperint possessionem, eo ipso, quod hodie penes eadem Loca Pia comperta fuit iniusta occupatio dd. bonorum etiam in tertia parte spectante ad filios d. Alexandri, sufficienter constare visum fuit de extremis in hoc Judicio requisitis, antiqua scilicet possessione penes d. Alexandrum, & moderna penes Reos conventos; unde sicut filiis ejusdem Alexandri denegari non potuisset reintegratio juxta *text. in Can. reintegrandæ* 8. *q.*1. *cap. Sæpe de restit. spoliat.*, *Posth. de Subhast. inspect.* 58. *n.*17, *Rota in rec. dec.* 512. *n.*1. *p.*18., & *in Auximana Reintegrationis* 22. *Junii* 1714. §. *Constans cor.*

2 *R.P.D. Cerro*, ita pari ratione denegari non valet Bartolottæ, quę ex persona præfatæ Margaritę successit in juribus eorumdem de Morellis, ut in terminis pasim respondit *Rota*, & *signanter in rec. dec.* 433. *n.* 17. *p.* 19., *in Cesenaten. Spolii* 25. *Junii* 1700. §. *Respectu cor. bo. me. Muto*, cum aliis *in Vercellen. Reintegrationis* 3. *Julii* 1711. §. *Posterior cor. R. P. D. Falconerio*.

3 Et hęc Reintegratio indistinctè competit, sive amisio tertiæ partis bonorum, de quibus agitur, in præjudicium dictorum de Morellis processerit ex facto nullo Tutoris, vel Curatoris, sub cujus administratione, & cura isti remanserunt post obitum Alexandri Patris, sive etiam processerit ex actu propria auctoritate gesto per dd. Loca Pia; siquidem quoquo modo evenerit iniusta occupatio, semper favore pupilli, vel ejus Successoris locum habet utilis actio pro reintegratione, ut de primo casu probat *Rota in Rec. dec.* 178. *n.* 7. *cum plur. seqq.*, & *cor. Merlin. dec.* 702. *n.* 5., & de secundo tradunt *Posth. de manut. observ.* 57. *n.* 102., *Rota apud eumdem dec.* 518. *n.*3. *cor. Emer. jun. dec.* 517. *n.* 1., & *in Faventina Spolii* 31. *Martii* 1713. §. *Indebita*, & §. *Omnem vero cor. bo. me. Ansaldo*.

4 Absque eo quod Reis conventis prodesse possit diuturnitas temporis 40., & ultrà annorum, ex qua præscripta dicebatur actio pro reintegratione, juxta firmata per *Rotam cor. Seraphin dec.* 1360., ultra quod enim hic temporis lapsus non verificatur, dum non constat de quo tempore Auctores Margaritæ a sua possessione ceciderint, omnis cessat difficultas quia stante mala fide, cum qua processum fuit ad occupationem controversę partis bonorum, lapsus temporis officere nequit, quin spoliati veniant reintegrandi, rejecta præscriptionis exceptione,

5 quam malę fidei possessor nequaquam valet allegare, *ad text. in cap. unic. de præscript. Alex. cons.* 99. *n.* 4., & 5. *lib.* 4., *Cyriac. contr.* 321. *n.* 45., & admittit *Rota cor. Seraph. d. dec.* 1360. *n.* 15., *in rec. dec.* 61. *nu.* 13. *p.* 7., & *in d. Vercellen. Reintegrationis* 3. *Julii* 1711. §. *Propterea cor. R.P.D. Falconerio*, & 12. *Junii* 1712. §. *Et sane cor. Me*, imo obstat etiam heredibus, ac Successoribus *Riminald. jun. cons.* 339. *nu.* 170., & *seqq.*, *Facchin. contr. Jur. lib.* 1. *cap.* 66. *per tot.*, *Rota in rec. dec.* 30. *n.*36. *p.* 10.

6 De hac autem mala fide dubitari non poterat in casu præsenti: Cum enim Loca Pia judicialiter petiissent, ac obtinuissent immissionem ad tertiam tantum partem controversorum bonorum, & in sequelam rei judicatę pro hac tantum rata cepissent possessionem, facta etiam expressa declaratione, quod tertia pars spectabat ad filios d. Alexandri Morelli, cum quo litem sustinuerant, innegabile remanet, quod eadem Loca Pia, certò sciverint controversam bonorum portionem ad ipsa non spectare, & propterea cum ex hac scientia resultet concludens probatio malę fidei, *Mel. observ. forens.* 49. *n* 6., *b. m. Ansald. de com.*, & *Merc. disc.* 95. *n.*23., *Cyriac. contr.* 321. *n.*47., *Rota*

7 *in rec. dec.* 30. *n.* 35. *p.* 10., absque dubio in his terminis, nec potuit initium sumere, nec com-

compleri quæcumque etiam longissimi temporis præscriptio, ut præter allegatos tradunt *Natt. consf.226. n.5.*, *Bursatt. consf 23. n.19.*, *Rota cor. Otthob. dec.137. n.21. & seq. cor. Merlin. dec.534. n.27.*, & prosequitur *de Vercellen. Reintegrationis 3. Iulii 1711. §. Eo fortius cor. R.P.D. Falconerio*, & 22. *Iunii §. Tantoque minus cor. Me.*

8 Potissime quia de tempore, quo Loca Pia in sequelam rei judicatæ adepta fuerunt possessionem controversorũ bonorum pro duabus ex tribus partibus, quod accidit de anno 1632., jam obierat Alexander Morellus, relictis, ut dictum est, filiis in pupillari ætate, & proinde contra istos eo minus intrare potuerunt termini præscriptionis, quæ contra pupillos, & minores regulariter non admittitur, *Spad. consf.297. n.11. vol.3.*, *Altograd consf.44. n.9. lib.1.*, *de Marin. resol. Iur. lib.1. cap.299. n.3.*, *Rota apud Bonden Collect. legal. dec.9. n.19: cor. Zarat. dec.75. n.13.*, *in rec. dec.170. nu.9.*, & *10. p.9.*, & *decis.302. n.31. p.10.*

Et ita utraque &c.

ROMANA LEGITIMÆ.

Veneris 3. Julii 1722.

ARGUMENTUM.

In electione fratris exilstit, vel sororem dotare, vel eandem ad consuccessionem in paternis bonis admittere; nequit tamen de istis bonis in majori summa plus unam, quàm alteram recognoscere, sed omnes in æquali, & ad tramites virium patrimonii.

SUMMARIUM.

1 *Fœminæ ex Statuto Urbis non succedunt in hæreditate Patris, dummodo sint congruè dotatæ, vel fratres sint illas dotare parati,*

2 *Fœmina actionem habet super bonis patris ad dotem, non verò ultra dotem, etiam ad legitimam.*

3 *Frater habet electionem, vel dotandi sororem, vel eandem ad consuccessionem admittendi in bonis communis Patris.*

4 *Frater ut dicatur amisisse facultatem excludendi sororem propter dotem ex hæreditate paterna, requiritur, quod sit interpellatus à sorore, & verè fuerit contumax in dotationis constitutione adimplenda.*

5 *Dos congrua dicitur à fratre sorori constituta in ea met summa, in qua alteram sororem præventive dotasset, ad tramites virium patrimonii*, & n.7.

6 *Frater in dotandis sororibus de bonis paternis debet æqualitatem servare, nec potest plus uni, quàm alteri tradere.*

8 *Amplia, ut neque posset æs alienum patrimonium gravans allegare, si in prima dotis constitutione, ratio de eo fuisset habita, & cum matura consideratione.*

DECISIO MCCCCXXXIX.

COmmissa mihi appellationis causa adversus sententiam ab A. C. Cincio latam contra Alexandrum Mazzinum in hac ultima Rota ante Ferias Generales, dedi dubium -- *An, et in qua quantitate debeatur legitima, et sit relaxandum mandatum pro illius fructibus* -- & Domini responderunt -- *Dotem deberi, non legitimam in scut.800., et quoad fructus iterum proponatur.*

1 Cum enim Statuto Urbis cap. 145. lib. 1. caveatur, quod existentibus masculis, fœminæ non succedant in hereditate paterna, dummodo tamen congruè dotatæ fuerint, vel fratres parati sint illas dotare, & advertit ibi *Constantin. annot.39. n.184., et 216.*, *Rot. cor. Royas dec. 458. in 1. n.5.*, *et dec. 316. n.4. et seq. p.6. rec.*, jam inde sequebatur, quod Victoria ex hereditate Joannis

2 Francisci Patris poterat quidem dotem, at non etiam legitimam prætendere, cum ista sit quota pars successionis, & qui excinditur à toto, ad partem admitti non debeat, ut benè prosequitur *Constant. ibi n.184. Rot. d. dec.316. n.1. et 2. p.6. rec.*

3 Nil urgente, quod Alexander à Victoria sorore pluries requisitus pro assignatione congruæ dotis, illam semper constituere renuerit, ac proinde amiserit electionem sibi à Statuto indultam, vel dotandi, vel admittendi sororem ad consuccessionem in bonis paternis: Objectum enim cessare visum fuit ex facto, quia Alexander revera non 5 renuit dotem sorori constituere, quinimmo semper se paratum exhibuit, atque etiam hodie exhibebat illam constituere, unde licèt oblatio hujusmodi hactenus ad effectum perduci nequiverit, quia suborta inter partes satis probabilis, & minimè injusta, & calumniosa controversia super quantitate dotis constituendæ, oportuit rem pro certa definitione in judicium deduci, non inde

4 tamen inferri potest, quod amiserit facultatem, & beneficium excludendi sororem à successione paterna, cum ad hunc effectum opus sit, quod masculus à sorore interpellatus, sit verè contumax in adimplenda conditione dotationis, quam vigore Statuti offerrè potest *Gabr. consf.5., 10., & 34., cum seqq. lib.1.*, & *consf.139. n.5., & seq. lib 2.*, *Fenzon. ad d. cap.145. n.21., & seq.*, *Rot. dec.200. n.10. p.13.*

5 His itaque positis, tota causæ difficultas reducebatur in taxanda quantitate d. dotis; verùm DD. ab hac quoque facile sese expediverunt, cum enim Alexander occasione nuptiarum à Julia altera sorore contractarum dotem pro ea solverit ex bonis paternis in summa scut.800., atque id non oscitanter, sed firmato prius de communi partium consensu statu hæreditario Patris, non videbatur ultra ambigendum, quin etiam Victoriæ alteri sorori consimilem quantitatem scutorum 800. pro dote constituere teneretur, tum quia ex ejus facto, & confessione

nonnisi

nonnisi tanta quantitas congrua censeri potest, inspectis viribus patrimonii paterni, &
6 conditione personarum, tum etiam quia aliter inter sorores non servaretur æqualitas, quæ maximè in earum dotatione per fratrem facienda ex bonis paternis servari debet *Mantic. de tacit. lib.12. tit.21. sub num. 35., Merlin. de legit. lib.3. tit.1. q.12, n.33., Peregrin. dec. Patavin. 36. n.2., Rot. dec. 350. n.48. cor. Bichio.*
7 Et hinc quoque cessare visa fuit illa alia objectio pro parte Alexandri promota, quod nempe, postquam ipse dotem in d. summa constituerat memoratæ Juliæ alteri sorori, ingens æs alienum detectum fuerit paternum patrimonium, vel omnino absorbens, vel saltem in maxima parte diminuens, quodque proinde, licèt d. quantitas scut. 800. congrua tunc temporis videri potuerit, hodie tamen nonnisi excessiva dici possit.

Etenim, ut supra dictum fuit, antequam Alexander dotem Juliæ in d. summa constitueret, summa diligentia curavit de communi consensu firmari statum hæreditatis paternæ, cumque in eo ratio habita fuerit, non solùm de oneribus, atque ære alieno de quibus tunc certa erat, atque indubia inter partes notitia, sed etiam de oneribus, & debitis, quæ imposterum detegi, atque urgere possent, ut probant verba illa *colla detrazzione di tutti li debiti, et altri pesi di qualunque sorte che sono, e possono essere in detti beni, et eredità paterna*; non est cur
8 hodie sub obtentu æris alieni de novo detecti similem quantitatem scut. 800. Victoria alteri sorori nomine dotis solvere non debeat; cum enim jam semel status hereditarius legitimè firmatus fuerat, & quidem etiam habita ratione illorum debitorum, quę in futurum detegi possent, hoc sufficit, ut juxta illum etiam hodie procedi debeat respectu alterius sororis; ad ea, quæ in proposito tradit *Card. de Luca de hæred. discurs. 25. n.3., Rot. dec. 202. n.11. p.11., & dec. 41. n.8. p.19. rec.*

Reliquum fuisset pro integra absolutione totius controversiæ verba facere de fructibus, pro quibus Victoria petebat ejus favore relaxari mandatum, juxta facultates A. C. mihi in commissione communicatas; sed cum Domini non fuerint in hac parte concordes, ideo fuit quoad istos, de more rescriptum, *iterum proponatur.*

Et ità utraque &c.

BARCHINONEN., SEU GERUNDEN. JURISDICTIONIS.

Veneris 3. Julii 1722.

ARGUMENTUM.

Episcopus non habet jus visitandi, nec ferendi decreta super Ecclesiis ex Pontificiis indultis à sua jurisdictione exemptis, quodque dicitur de eisdem, militat favore earum Ecclesiarum, quæ illarum membra dicuntur.

SUMMARIUM.

1 *Juris assistentia favet Episcopo ad effectum visitandi Ecclesias in sua Diœcesi existentes.*
2 *Limita, si ageretur de Ecclesiis ex Apostolicis privilegiis ab Episcopali jurisdictione exemptis.*
3 *Exemptio à Jurisdictione Episcopi, quæ favet Monasterio in vim Apostolici privilegii, favet etiam Ecclesiis, quæ illius membra dicuntur.*
4 *Amplia, si exequutor in Brevi appositus declarasset talem exemptionem etiam ad Ecclesias annexas protendi.*
5 *Subamplia, ut talis declaratio rem judicatam faciat, omnemque dubietatem excludat.*
6 *Exemptio concessa Monasterio à Jurisdictione Episcopi non cessat ob unionem supervenientam, & cum omnibus annexis, & juribus pertranseuntem.*
7 *Amplia, si concurreret post unionem observantia continuata.*
8 *Visitatio Episcopi, quoad Ecclesias sibi non subjectas, nulla est circa ea, quæ animarum curam non respiciunt.*
9 *Jurisdictio privativa pertinet ad Prælatum illius Ecclesię ab Episcopi jurisdictione exemptę, virtute Apostolici privilegii.*

DECISIO MCCCXL.

QUamvis Prioratus *de Fallio* olim annexus Monasterio S. Victoris Civitatis Marsiliæ Ordinis S. Benedicti, & postmodum per san. memor. Gregorium XIII. de anno 1576. unitus Archidiaconatui Majori Ecclesiæ Cathedralis Gerunden. vigore privilegiorum, quæ Sancta Sedes concesserat, tum toto Ordini S. Benedicti, tum specialiter d. Monasterio S. Victoris, esset immunis à jurisdictione Ordinarii, adhuc modernus Episcopus Barchinonen. prætendens, eumdem Prioratum suæ jurisdictioni subjectum esse, novissimè ad ejus visitationem accessit, & nonnulla edidit decreta, inhibendo signanter retentionem Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ in ejus Ecclesia; à quibus actibus ad tuendam propriam exemptionem appellatione interposita per Franciscum Bertran. modernum Archidiaconum, mihique commissione directa, resolvendum exhibui Dominis congruum dubium -- *An, et de cujus bono jure constet* -- & responsum accepi affirmativum favore Archidiaconi informantis.

1 Quoniam etsi Episcopo Barchinonen ad effectum visitandi omnes Ecclesias in sua Diœcesi existentes tanquam Ordinario faveat juris assistentia, de qua in *cap. 1. de cens. in 6. cap. Conquerente de offic. ordinar., Fagnan. in cap. Cum dilectus de relig. Domibus.*

in

2 In præsenti tamen hæc iuris assistentia inefficax remanebat attentis privilegiis concessis, tum toto Ordini S. Benedicti, tum specialiter dicto Monasterio S. Victoris, quorum vigore cessat quæcumque Ordinarii iurisdictio, ad *Tex. in cap. Grave de Offic. Ordinar cap. Cum personæ § Quod si tales de privil. in 6. Tamburin. de iur. Abb. tit. 1. d. sfput. 15. q. 7. n. 10.*, *Rot. in Firmana iurisdictionis super modo visitandi 20. Martii 1702. §. 4. coram bo. mem. Moliner.*

3 Non obstante, quod d. Prioratus sit dumtaxat membrum eiusdem Monasterii, tum quia sicut privilegia exemptiva resistunt iurisdictioni, & visitationi Ordinarii in iis, quæ curam animarum non concernunt quoad ipsum Monasterium, quod est indubitanter exemptum, ita etiam æque obsistunt quoad alias Ecclesias eidem pleno iure subiectas, & quæ partem, & membrum eiusdem Monasterii constituunt, ut per *Tex. in cap. Recolentes de Stat. Monach.* benè firmat *Rot. in d. Firmana Iurisdictionis super modo visitandi 20. Martii 1702. §. 4. & 5. cor. bo. mem. Molines in Constantien. Iurisdictionis super bono iure 13. Aprilis 1714.*

4 *§. Quantumvis cor. Emo Scotto.* Tum quia in sequelam exemptionis Monasterii S. Victoris eiusque annexis concessæ per Litteras Apostolicas Urbani V. Iudex exequutor usque de anno 1369. declaravit Prioratum *de Fallio* tanquam unum ex membris annexis.

5 præfati Monasterii simili exemptione gaudere: quæ sanè antiqua declaratio facta à Iudice executore, cum secum ferat rem iudicatam, omnem excludit dubitationem, quin d. Prioratus sit exemptus à d. Ordinarii Iurisdictione, ad tradita per Rotam apud *Tamburin. de Iur. Abb. decis. 42. nu. 1. coram Merlin. dec. 480. n. 1. in Burgen. Iuris visitandi de Birbiesca 12. Ianuarii 1714. §. Competentia*, & *22. Iunii d. anni §. Subnixa coram Emo Scotto*, & *17. Iunii 1715. §. 3. cor. bo. me. Ansaldo.*

6 Absque eo quod obesse visum fuerit, quod stante unione eiusdem prioratus facta per Gregorium XIII. favore Archidiaconatus maioris Gerunden. cessaverit quodcumque privilegium exemptionis. Si quidem cum unio facta fuerit cum annexis, & omnibus iuribus, & pertinentiis suis, data expressa facultate Archidiacono deputandi Vicarium ad nutum amovibilem independenter ab Ordinario, eiusque licentia minime requisita, quemadmodum Prioratus fruebatur exemptione de tempore quo erat membrum Monasterii prædicti, ita per unionem ista exemptio, tanquam de iuribus, ac dependentiis eiusdem Prioratus, translata dicitur in Archidiaconum subrogatum in locum Monasterii prædicti, ut bene probat *Rot. in rec. dec. 490. n. 2. p. 4.* cum aliis *in Firmana Iurisdictionis 10. Maii 1700. §. Stantibus., & §. Ex quibus cor. bo. mem. Molines.*

7 Adstipulante præsertim favore Archidiaconi pacifica observantia super exemptione mediante exercitio actuum iurisdictionalium, quos gesserunt, tum ipse, tum Vicarii per eum deputati, absque ulla dependentia, & subiectione erga Ordinarium: ex qua observantia certius desumitur, quod unio Prioratus facta fuerit favore ejusdem Archidiaconatus cum eisdemmet iuribus exemptionis, quibus ante unionem prædictam idem Prioratus fruebatur, ut probat *Ioannes Andr. in cap. Exposuisti n. 8. de præb., & dign., Torricell. de union. cap. 11. n. 38.*, *Rot. cor. Dunozet. iun. dec. 911. n. 8.* cum aliis in *Burgen Iurisdictionis, seu Visitationis 19. Ianuarii 1714. §. Observantia cor. bo. me. Barbadico.*

8 Ex quibus cum constet de exemptione Prioratus à Jurisdictione Ordinarii, descendit in sequelam non minus bonum ius assistens Archidiacono Maiori Ecclesiæ Cathedralis Gerunden., quàm nullitas visitationis expletæ circa ea quæ curam animarum minime concernunt, cuiusmodi signanter est simplex retentio in Ecclesia Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, aliorumque actuum nuper factorum ab Episcopo in præiudicium exemptionis competentis eidem Archidiacono, qui respectu eiusdem Prioratus exem-

9 pti gerit vicem Prælati inferioris, cui citra dubium attentis Apostolicis concessionibus potest competere iurisdictio etiam privativè quoad Ordinarium in iis maximè, quæ ad curam animarum non pertinent, ut notat *Abb. in cap. Pastoralis 11. n. 6. de Offic. Ordin.*, *Gratian. discep. 154. n. 43.* cum aliis per *Rotam in Burgen. juris visitandi de Birbiesca 27. Ianuarii 1716. §. Cum enim visitatio cor. R. P. D. meo Cerro.*

Et ita per contradictas &c.

ALBANEN. REDDITIONIS RATIONIS SUPER TRIBUS PARTITIS.

Ven. 3. Iulii 1722.

ARGUMENTUM.

Taxa legalis habet locum in taxandis vinearum fructibus, in quo etiam peritorum relationi standum est. Tutor ratione officii utilia pupilli curare tenetur, distracta bona recuperare, & illius de pensiones diligenter assumere, sicuti etiam de furto super repupillari ex propria negligentia obvento.

SUMMARIUM.

1 *Fructus prædiorum, juxta legalem taxam liquidantur.*
2 *Tutor tenetur committere culturam bonorum pupilli.*
3 *Fructus prædiorum ex relationibus peritorum Judicialium etiam liquidantur.*
4 *Non liquidantur juxta fides testium, peritorum relationibus contrarias, quique nullam scientiam sese habere dixerint de*

statum illorum tempore controverso.

5 *Tutor tenetur vendere vineam pupillo damnosam, in qua expensæ superarent fructatum, & multo fortius ex illis se creditorem constituere non potest*, & n. 6.

6 *Tutor Pupilli utilitatem curare tenetur*, amplia, ut in n. 9.

7 *Fructus vineæ non possunt aggravari à reddito unius anni tantum, præsertim, si isto ex gradine fuisset vitibus præjudicium irrogatum.*

8 *Tutor tenetur recuperare bona pupilli penes tertios distracta.*

9 *Tutor non potest pupilli defensionem omittere.*

10 *Furtum super pupilli bonis obventum non satis probatur ex querela Tutoris, & examine pupilli.*

11 *Tutor tenetur bona pupilli diligenter custodire, & tenetur de proprio, si ex ejus negligentia furto auferantur.*

12 *Tutor tenetur de furto obvento super re pupillari, si eam domi defuncti absque ulla custodia reliquisset.*

13 *Alimenta taxata puellæ ad tutoris domum traductæ, e quæ inservienti, in scutis tribus quolibet mense, congrua dicuntur, præsertim si vino abstineat.*

DECISIO MCCCXLI.

SUper tribus partitis particularitèr disputatum fuit in antiqua discussione illius Causæ coram bon. mem. Ottalora, videlicet super fructibus Vineæ, mobilibus, & alimentis Pupillæ, ut etiam refertur in contemporanea decisione coram Me, & licet quoad fructus Vineæ prodiisset resolutio, illos decernens esse calculandos in annuis scutis 12. coram clar. mem. Card. Celso, juxtà ejus decisiones 236., & 388., fuit tamen in decis. edita 23. Martii 1667. coram eod. Ottalora responsum, dictos fructus esse calculandos ad rationem cadorum sex vini quolibet anno, & eodem modo licet in decis. Card. Celsi 405. fuerit Tutor condemnatus ad reddendam rationem de controversis mobilibus, & alimenta provide admissa in solis monstruis scutis tribus; adhuc in eadem decis. coram Ottalora fuit Tutor absolutus quoad mobilia, & alimenta aucta fuerunt ad sc. 4. menstrua.

Cum autem hodiè reassumpta fuerit ex parte Corbi hæredis Catharinæ Pupillæ discussio totius Causæ super redditione rationis a Francisco Sarnano Tutore debita, opus fuit agere quoque de prædictis partitis sub dubio alias dato per bon. mem. Ansaldum -- *An sit standum, vel recedendum à decisis die 23. Martii 1667. coram bon. mem. Ottalora* -- & in hodierno ejus examine coram Me in illius locum subrogato, Domini redeuntes ad sensum præcedentium decisionum clar. mem. Card. Celsi, dicto Corbo tantùm informante responderunt -- *recedendum esse à decisis.*

1 Incipiendo à fructibus Vineæ, approbarunt DD. illorum liquidationem in annuis sc. 12.; non vero in cadis sex vini, nititur quippè prima taxatio validissimis probationibus resultantibus, tum à taxa legali, quæ, cum pretium Vineæ admissum tàm in *decis. 236. n. 9., quam in dec. 388. n. 5. cor. Celso* ascenderet ad scuta 253., & ante annum 1650. curreret in scut. 6. pro centenario, dare potius causam debuisset liquidationi in majori quantitate, itaut stari omninò deberet eidem primæ liquidationi juxta vim, & efficaciam taxæ legalis in facienda liquidatione, de qua *dec. 2. n. 8. cor. san. me. Alex. VIII., in Cajetana Pecuniaria 11. Maii 1716. § Absque eo quod cor. R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore, & in Asculana Successionis super fructibus edita in eadem Audientia §. Cum enim cor. Me*;

2 tum à statu ejusdem Vineæ, quæ constabat, ut probatur *Summ. n. 2.* ex arboribus 745., quæ arbores uberiorem fructum præsertim in secunda Regione reddere debuissent, nisi neglecta fuissent necessaria laboreria ex culpa Tutoris, qui idcircò adhùc tenetur; ut dixit *Rot. decis. 286. n. 12. coram Celso.*

3 Tum demum à relatione Peritorum, qui fuerunt ab A. C. judicialitèr electi, & jurejurando retulerunt tale fuisse fructum illius Vineæ, & huic relationi omninò standum erat, juxta deducta in eadem Causæ *dec. 388. n. 6. cor. Cels.*, & nuperrimè in *d. Asculana Successionis super fructibus eod §. Cum enim*

4 *cor. Me*; Ideoque attendendæ non erant depositiones illæ duorum Testium, quibus nititur inferior liquidatio decisionis, quæ revidetur; nam ultra quod posito statu Vineæ supra relato redditur eorum dictum valde inverisimile, & pugnant cum relationibus Peritorum judicialiter editis, omnis eorum fides excluditur, eo quod deposuerunt post annos 30. ab obitu Gasparis, & assumptione tutelæ, neque ullam scientiam habere asserunt de qualitate, & statu Vineæ ejus temporis ad quod præcisè referenda erat probatio fructuum, & proindè non sunt attendendi, ut latè inquit sæpè *d. decis. 386. per tot cor. Celso.*

5 Imò si Vinea fuisset adeo tenuis fructus; adhuc Tutor defecit muneri suo, utpote qui habuerat à Testatore facultatem præcisam eamdem Vineam vendendi, & propterea non debebat in præjudicium Pupillæ illam retinere, insumendo in illius culturam maiorem quantitatem expensarum, quam reddere posset in fructu, & deinde se constituendo Creditorem earumdem expensa-

6 rum contra obligationem præcisam Tutorum curandi Pupillæ utilitatem, de qua *Rot. dec. 387. n. 49. par. 17. rec.*

7 Nec demum obstare valuit, quod Catharina anno 1655. de facto ex hujusmodi Vinea modicum fructum mensurarum 26 vini vulgò bocali recollexerit, ut observat decisio, quæ revidetur §. *Maximè*, quia non rectè desumitur regula liquidationis fru-

ctuum

ctuum à redditu unius anni tantum, ut prius dictum fuerat *decis.236. n.15. cor. Celso*, maxime dum probatur eo anno ex grandine vitibus illatum fuisse maximum præjudicium.

Ad secundam igitur mobilium partitam transeundo: illa sunt duplicis generis alia scilicet relicta penes Magdalenam Matrem
8 Pupillæ & alia furto deperdita. Quoad prima regula est, quod Tutor tenetur recuperare bona Pupillæ penes tertios existentia, ut dixit *Rot. dec.1328. n.9. & 13. cor. Emer. Jun.*, nec ab hac regula eximi valuit ob oppositionem Magdalenæ retinendi ead. mobilia pro Juribus dotalibus, quia hæc oppositio data fuit anno 1631., & Judex usque tunc demandavit eorum æstimationem, & abinde citra Tutor acquievit usque ad totum tutelæ tempus, in quibus terminis clara est
9 ejus negligentia in prejudicium Pupillę, ob quam tenetur de hac partita tamquam de neglectis reddere rationem, cum non debeat Tutor Pupillę defensionem omittere ad *Text. expres. in l. 1. ff. de tutel., & ration. distraben.* ibi -- *Item in his, quæ non fecit rationem reddat* -- *Fontanell. dec. 543. n.6. Rot. in Romana, seù Lucana Primogenituræ de Carminatis super reintegratione 12. Aprilis* 1717. §. *Quod enim coram R.P.D. meo Cerro*.
10 Alia vero furto subtracta, præter quam quod hujusmodi furtum non bene probatur ex sola quærela Tutoris, & examine Pupillę, quæ dixit, domum reperiisse sine mobilibus, ut firmat *Rot. dec. 297. cor. Vbald.*
11 *n. 8., & seq.*) cedere debent damno Tutoris, qui ex officio obligatus est ad diligentem custodiam bonorum Puppilli, & ideò tenetur, si furto deperdita sint ad *Text. in l. Tutoribus C. de peric. Tutor.*, *Bart. in l. si res pupillares C. eod.*, & prosequitur *Rot. dicta dec.297. n.11. cor. Vbaldo*, non admissa excusatione, cum qua processum fuit co-
12 ram Ottalor., quod furtum contigerit sine culpa Tutoris; nam si contigit ex eo, quod illa relicta fuerint in domo Testatoris, ubi nullus degebat, patet accidisse, ex quo non fuit adhibita ulla custodia, ut respondendo consimili objectioni firmat *Rot. d. dec.297. n.23., & 24. cor. Vbald.*
13 Respectu demum tertiæ partitæ alimentorum, Domini nequaquam convenerunt cū decisione, quæ revidetur, quia magis conveniens, & congrua visa fuit taxatio eorumdem alimentorum in sc. tribus menstruis eo ipso, quod agitur de Pupilla Terræ Aricię, quę insuper traducta ad Tutoris domum eidem inserviebat, & abstinebat à vino, & proindè processerunt cum iis, quæ solide firmaverat præcedens decisio 405. *in fin. cor. clar. mem. Card. Celso*.

Et ita responderunt altera tantum &c.

CALAGURITANA DIMIDII BENEFICII DE GRANNON.

Ven. 3. Iulii 1722.

ARGUMENTUM.

Dignior de duobus Clericis habilibus repertis ad Beneficium est præsentandus, *ad terminos notissimæ Clementinę Auditor de rescript.* Pro animarum Cura approbatus dignior ad simplicia approbato semper dicitur, & est hac de causa præferendus.

SUMMARIUM.

1 *Restitutio in integrum datur adversus Sententiam injustam.*
2 *Dignior de duobus ad simplicia Beneficia approbatis instituendus est, neque est in facultate jus nominandi habentium quem ipsi malleant præsentare*, & nn.3. & 4.
4 *Institutio facta unius de duobus ęque habilibus, sed non de digniore, est irrita*, & n.13.
5 *Jus conferendi per appellationem ad Rotam devolvitur pro instituendo digniore vigore Clementinæ* Auditor de rescript.
6 *Dignior de duobus æque habilibus pro institutione ad beneficium semper ille reputatur, qui sit ætate major, & minori præferendus est*, & n.11.
7 *Amplia, ut semper dignior dicendus sit, qui ultra majorem ætatem longo tempore eidem Ecclesiæ, in qua esset Beneficium erectum, inservisset, quæ circumstantia quamplurimi facienda est.*
8 *Dignior de duobus ęque habilibus reputatur ille ad Beneficium, qui sit Diaconatus ordine insignitus respectu simplicis Clerici.*
9 *Amplia, si fuisset pro Cura animarum approbatus*, & n.12.
10 *Approbatus pro Cura animarum cæteris ad simplicia tantum approbatis in nominatione ad Beneficium præferendus est*; amplia ut in n.11.
13 *Nominatus per Capitulum de duobus Clericis æque habilibus ad Beneficium, & à competitore coapprobato acceptatus censetur, quatenus ipso esset dignior.*

DECISIO MCCCXLII.

CUM per ascensum Matthię Lopez ad integrum beneficium vacaret de mense Januarii 1714. portio, seu Dimidium Beneficium, quod ille obtinebat in Parochiali Ecclesia Villæ de Grannon, inter cęteros, qui se se opposuerunt, alter fuit Dominicus Diaconus annos natus 23., & alter Emanuel Alphonsus simplex Clericus annorum 15.; Cumque in examine habito sub die 12. Martii uterque eorum approbatus fuisset ad obtinendum prædictum simplex beneficium Episcopus de more mandavit congregari Capitulum Beneficiatorum per facienda præsen-

sentatione ad formam motus proprii per san.
mem. Clementem Octaum editi pro Bene-
ficiis Diœcesis Calsguritanæ: Sed quia Ca-
pitulum præsentavit, & Ordinarius succes-
sivè instituit Emanuelem, ætate, & meritis
minus dignum, sentiens inde Dominicos se
valdè gravatum appellavit ad S. Sedem,
mihique per Signaturam commissa appella-
tionis causa cum clausula de *causis*, dedi ho-
die dubium -- *an constet de causa restitutio-
nis in integrum, seu potius de rejudicata* --
& Domini adhærentes Instantiæ Dominici
informantis *affirmativè quoad primam*, &
negativè, quoad secundam dubii partem re-
1 sponderunt, attenta injustitia sententiæ,
quæ exigit, ut per eam læsus in integrum
opportune restituatur, & sæpè alias dixit,
*Rota, & presertim dec. 123. n. 7., & seq. co-
ram san. mem. Alexand. VIII., & dec. 50.
n. 1. cor. bon. mem. Ansaldo.*
2 Non dubia autem, nec subobscura, sed cla-
ra, & undique patens visa fuit injustitia sen-
tentiæ, qua Ordinarius processit ad institu-
tionem Emanuelis, nam cum in examine
uterque ex dictis oppositoribus approbatus
fuisset ad simplicia dumtaxat, & nemo ex
eis ad coram Animarum, liberum non erat
Capitulo Beneficiatorum, quem ipsi mallent
pro eorum arbitrio præsentare, sed presen-
tare omninò debebant digniorem ex eis ju-
xtà formam Motus proprii, qui licet libe-
ram potestatem Capitulo indulgeat, quem
malit presentandi, quando plures renuncia-
ti fuerint in examine habiles, & idonei ad
3 curata, quando tamen aut unus tantum ex
oppositoribus approbatus fuit ad curam Ani-
marum, aut omnes ad simplicia tantum, ut
in casu approbati fuerunt, tunc coercet, &
restringit eam facultatem, ut nempè Capi-
tulum non alium, quam digniorem presenta-
re, & respective Episcopus instituere tene-
antur, sicuti distinguendo supradictos tres
casus dictum fuit in Calaguritana observa-
tionis motus proprii *sa. me. Clementis VIII.
13. Junii 1657. coram bon. Meltio, & dec.
86. coram sa. me. Alex. VIII., & dec. 815.
coram Emerix Jun., & in Calaguritana
Dimidii Beneficii de Avalot 16. Junii 1721.
§. Cum enim coram R. P. D. meo Corio.*
4 Ita quidem, ut si aliter factum fuerit præ-
sentatio, & institutio irrita, & prortùs nul-
5 la remaneat, Jusque omne conferendi per
appellationem devolvatur ad S. Rotam ad
effectum instituendi digniorem vigore no-
vissimæ Clementinę Auditor de rescript: ut
in specie Beneficiorum Diœcesis Calaguri-
tanæ respondit *Rota coram Zarrat. dec. 18.
n. 10., & coram Bich. dec. 284. n. 12., & co-
ram Emerix Jun. dec. 815 §. Ratio, & in
rec. dec. 238. n. 9., & 10. par. 14., & in di-
cta Calaguritana Dimidii Benefic. de Ava-
lot §. Sic autem, & seq. cor. R. P. D. meo
Corio.*
6 Neque vero in dubium venire poterat,
quin ex duobus prædictis oppositoribus
Dominicus esset longè dignior, nedum quia
ætatis prerogativa Emanuelem precellebat,
quæ in concursu ad beneficia est valdè atten-
denda, cum Senior de Jure præferri debeat
Juniori, *cap. cum in cunctis ubi gloss. verb.
ætatis de elect. Innocent. in cap. 1. n. 1. de
majorat., & obedient. Rot. coram Rojas de-
cis. 289. n. 4., et coram san. me. Alex. VIII.
dec. 222. n. 3., et 4., et coram Dunoz. Jun.
dec. 950. n. 3. et coram Benincasa decis. 11.
n. 2.*, quæ omnes decisiones editæ fuerunt
7 super beneficiis hujus Diœcesis, & quia in-
super idem Dominicus erat Cappellanus in
eadem Ecclesia de Grannon, eique longo
tempore inservierat, quæ circumstantia cum
de Jure plurimi facienda sit *cap. nullus di-
stinct. 61. cap. Metropolitano distinct. 63.,
et cap. ne defectu de elect.*, tum, & multo ma-
gis attendenda est in beneficiis hujus Diœ-
cesis propter memoratum motum proprium
Clementis VIII., & Statuta Ecclesiæ, &
Diœcesis, expresse demandantia, quod be-
neficia conferenda sint inservientibus, &
antiquioribus *Rot. cor. Rojas dec. 486. n. 4.,
& cor. Celso. dec. 174. n. 2., & cor. Emerix,
d. dec. 815. §. Ex his, et rec. dec. 171. nu. 5.
par. 10., et dec. 493. n. 17., et seq. par. 17, et
dec. 760. n. 9. et 10. par. 18.*
8 Verum preterea in eo potissimum Domi-
nicus præ Emanuele longè dignor erat,
quod ille simplici Tonsura initiatus, ille ve-
ro jam Sacro Diaconatus ordine insignitus
fuerat, ut considerant fere omnes laudatæ
decisiones, & preter illas *dec. 4. n. 6. coram
Priolo*, imò vero, quod plus est idem Do-
9 minicus in alio examine præcedenter habi-
to anno 1713. occasione alterius vacationis
ab eisdem Examinatoribus approbatus quo-
que fuerat ad curam Animarum, ex quo fit,
ut idem Dominicus, vel tamquam solus ha-
bilis, & idoneus ad curam Animarum præ-
ferri debuisset ceteris ad simplicia dumta-
10 xat approbatis juxtà secundum casum con-
sideratum in d. motu proprio, & firmata
per *Rotam coram Rojas dec. 289. n. 1., et co-
ram Peutinger dec. 132. n. 3., et coram Ot-
tobon. dec. 86. nu. 4. et coram Priolo dec. 4.
n. 1., et cor. Bich. dec. 284. n. 6., et in rec.
dec. 393. n. 15. par. 17., et dec. 760. n. 4. par.*
11 18. cum semel approbatus ad curata non
possit amplius ad similia reprobari, sed po-
tiùs scientia, & habilitas in eo semel cogni-
ta præsumi debeat magis aucta cum ipso
ętatis cursu, & incremento, ut in nostris ter-
minis dixit *Rot dec. 252. n. 2., et dec. 393.
n. 4., et 5. par. 17.*
12 Vel quatenùs etiam procedi velit juxta
terminos tertii casus, itaut omnes opposito-
res considerari debeant tamquam approba-
ti dumtaxat ad simplicia, negari saltem non
potest, quod præcedens approbatio ad cu-
rata non faciat Dominicum longe prę cæte-
ris digniorem, ut sequitur *Rota coram Ro-
jas dec. 289. n. 4., et coram Zarat. dec. 18. n.
6., et coram Ottobon. dec. 96. n. 4.*, & in om-
nibus aliis supra allegatis decisionibus.
13 Nil turbante quatenus opponatur, quod
ab-

absoluto examine Episcopus mandaverit, ut Capitulum Beneficiatorum procederet ad præsentationem unius ex approbatis, & Dominicus eodem mandato usus fuerit illud exhibendo coram Capitulo; sicuti enim mandatum nil ultra continebat, nisi quod Beneficiati eligerent *quello, che più convenga per il buon servizio di Dio, e per l' utile della medesima Chiesa*, ita non aliter à Dominico acceptatum intelligitur, nisi quatenus Beneficiati dignorem eligerent, servata forma dictæ Clementinæ Constitutionis ut in specie dixit *Rota decis.* 591. *numero* 4. *versic. sed substinetur par.* 1. *recent.*

Et ita unica &c.

REATINA PRIMOGENITURÆ DE NOBILIBUS SUPER RESERVATIS.

Veneris 3. *Iulii* 1722.

Nec Argumento indiget, nec Summario;

DECISIO MCCCLXIII.

CUM in præsenti Congregatione Rotali Octavius Vecchiarellus ad impediendam causæ expeditionem, pro eo, quod respiciebat nutam *Repasti* obtenderet sibi deberi immissionem saltem pro quarta parte virtute Fideicommissi Antonii Senioris de Nobilibus prorogati in laudo Angeli ad Filios Antonii Junioris, Domini animadvertentes hujusmodi inspectionem extraneam esse à præsenti Judicio, in quo solùm quæritur de identitate bonorum subjectorum Primogenituræ Joannis Baptistæ Senioris, mihi demandarunt ut procederem ad expeditionem causæ, extensa tamen hac brevi decisione, in qua eidem Octavio reservatum esse voluerunt jus agendi, si quid habet prò dicta ejus prætensione in suo congruo, ac particulari Judicio.

Et ita &c.

ARIMINEN. SALVIANI.

Lunæ 22. *Novembris* 1722.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius sub die 4. Julii 1721. emanatæ.

Immissio clara per exceptionem turbaidm exsoterlori credito desumptam, quod suspicaretur extinctum, non retardatur.

Livella ex continuata bonorum retentione pro eis assignatorum exacta à Moniali præsumenda sunt, multoque fortiùs, si etiam pro futuris quietantiam exarasset, nulla facta mentione de præteritis.

Deliberatio per rem judicatam vulnerata, & revocata, nullum ad effectum retinendi, titulum parit.

SUMMARIUM.

1 *Immissio, tribus verificatis extremis, scilicet credito cum hypotheca, possessione antiqua penes debitorem, & moderna penes reum conventum, non denegatur.*

2 *Assignatio prædii pro livellorum solutione, finito livello, cessat, & prædium in omnes reincidit hypothecas favore creditorum ipsius assignantis.*

3 *Immissio non retardatur per exceptionem crediti anterioris ex causa livellorum, quod extinctum reperiretur, & ob id istud neque retinendi titulum parit*, amplia ut in num. 14.

4 *Livella præterita præsumuntur soluta, ex quo Monialis se etiam satisfactam pro futuris, ex assignatione novorum effectuum, declarasset*, & num. 5.

6 *Amplia, si Monialis bona assignata pro livellis alteri cessisset cum onere, ut sibi ista solverentur.*

7 *Subamplia si comprobaretur solutio ex fide Archivistæ Monasterii, nec fides suspectæ & mendicatæ è contrario admittuntur.*

8 *Deliberatio pro credito consumpto irrita est, imo etiam pro credito illiquido*, & nu. 9.

10 *Vulnerata per rem judicatam, nullum retinendi titulum tribuit.*

11 *Consumpta pro credito livellorum à fortiori corruit, si pars prædii deliberati fuisset ab exequtione per Iudicem præservata*, amplia ut in num. 12.

12 *Deliberationis nullitas dicitur approbata eo ipso, quod quis super eadem repetit manutentionem, ac si non fuisset deliberata.*

13 *Heres non potest canonizzare validam deliberationem, quam pro nulla ejus auctor recognovisset.*

14 *Immissio clara, & pro credito certo intentata, per exceptionem crediti turbidi, & illiquidi non retardatur.*

DECISIO MCCCXLIV.

EDitis binis decisionibus coram Me diebus 7. *Martii*, & 4. *Iulii superioris Ianni* pro infirmatione Sententiæ Rotalis denegantis immissionem ad Prædium *di Pietra fitta* quam in vim utilis Salviani postulaverat Franciscus Angelinus, opeque novæ Audientiæ per Ricciardellam ream conventam obtentæ ad examen revocatis fundamentis dd. resolutionum sub consueto dubio -- *An sit standum, vel recedendum à decisis* -- responsum accepi, *pro persistentia in decisis*.

1 Siquidem favore Angelini clarè iterum constitit de credito censuum cum hypotheca super d. Prædio *di Pietra fitta*, quod de tempore impositionis, ex renunciatione Sor. Mariæ Columbæ filiæ Monialis, jam plenè acquisiverat Theodora Stivivi origina-

ria debitrix, ideoque juncta moderna posses-
sione ejusdem Prædii apud dictam Ricciar-
dellam ream conventam, dubitari nequis de
necessariis extremi s, quibus concurrentibus
immissio ex memorato Interdicto petita
actori denegari non potuit, *Barthol. in l. 1. sub
num. 93. ff. de Salv. interd. Rota in Licen.
Salviani 8. Martii* 1706. §. *Poterat coram
bonæ memor. Ansaldo*. Etiamsi viginti tor-
2 naturæ per d Theodoram assignatæ fuissent
eidem Moniali pro faciliori livellorum exa-
ctione; quia stante istius obitu, ac subsequuta
reversione ad hæreditatem debitricia Præ-
dium remanet obnoxium hypotecæ favore
Angelini contractæ, ut præter allegatos in
dd. præcedentibus decisionibus hujus causę
optime probat *Rota in Bononien. associatio-
nis, seù Prædii 20. Aprili.* 1722. §. *Posita
coram Me.*

Nec attendi meruit iterum allegata ex-
ceptio retentionis pro credito anteriori li-
vellorum, quæ in actu emissæ renunciationis
sui favore reservaverat dicta Soror Maria
Columba; constans enim in facto comper-
tum fuit, Theodoram renunciatariam usque
de anno 1640. in causam eorundem livello-
rum assignasse filiæ fructus nonnullorum cen-
suum, illisque retrovenditis de anno 1657,
Monialem reportasse similem assignationem,
ac subrogationem aliorum Censuum, quibus
denuò distractis pro expedita, ac faciliori
solutione eorumdem livellorum assignatas
extitisse super dicto Prædio tornaturas vigin-
ti, quas retinuit tàm Monialis, quam Julius
Cæsar Ricciardellus ejus Cessionarius, & au-
ctor ipsius reæ conventæ; proindeque his
stantibus statim apparuit, exceptionem desu-
3 mi ex credito penitus extincto, quod pro
retardanda immissione est undequaque inef-
ficax, & pro retentione non valet allegari, ad
tradita per *Rot. in Romana Salviani* 19. *Fe-
bruarii* 1712. §. *Cæterum coram bo. me. An-
saldo cum aliis coram Me in dicta decisione
hujus causæ* 6. *Martii anni præteriti* §. *Uni-
cum*.

4 Etiamsi Monialis explicitè non dixerit;
fuisse satisfactam de livellis præteritis; cum
enim ista post primam assignationem sui favo-
re factam approbaverit novas subrogationes
& assignationes in causam livellorum, qui-
nimò de anno 1670. daclaraverit se integrè
satisfactam de livellis mediante vitalitia
exactione fructuum imposterum facienda ex
tornaturis viginti, satis convincitur, quod
usque ad dictum annum livella præterita jam
plenè fuerant persoluta, tùm ex natura in-
definitæ quietationis, quæ principaliter re-
ferri debet ad præstationes jam decursas;
tum quia etiam ex solutionibus, & quietan-
tiis exaratis pro annis futuris, seu subsequen-
tibus justificata remanet solutio, ac satisfa-
ctio annualitatum præcedentium ad fir-
5 mata per *Pignat. ad Stat. Ferrar. rubr. 38.
num. 20. Rota in Maceraten. seù Seno-
gallien. Census 14. Martii* 1715. §. *Subse-
quens coram R. P. D. Crispo*, alias Monialis,
quæ aliud assignamentum habuisse non presu-
mitur, quietationem non explevisses indefi-
nitam, sed illam restrinxisset ad livella futu-
ra, vel saltem de præteritis non tacuisset,
sed facta de illis mentione reservasset, ut
benè expendit *Rot. in rec. dec. 146. nu. 14.
& seq. par. 11. in Romana Salviani 16. Maii*
1717. §. *Quamvis coram Em̃o Scotto cum
aliis in postrema decisione hujus Causæ §.
Neque obstat coram Me*
6 Satisfactio autem livellorum ab anno 1670
usque ad obitum Monialis, ad effectum, de
quo agitur, comprobatur ex ipsa assignatio-
ne tornaturarũ viginti, quia hac stante presu-
mitur, quod Monialis perceperit fructus sibi
asignatos, maximè dum post annos aliquot
jura sua cessit Julio Cæsari Ricciardello ejus
fratri uterino, qui sub onere solutionis eo-
rumdem livellorum, tornaturas in usufructu
assignatas retinuit ac possedit, ut probant
tradita per *Rotam apud Pacific. de Salvian.
dec. 87. num. 2. dec. 350. nu. 6. coram Cels. dec.
432. num. 14. in rec. dec. 611. par. 19. & in d.
decisione 7. Martii anni præteriti §. indè ve-
rò coram Me*.
7 Non attento, quod dictæ antiquæ asigna-
tiones censuum fuissent fictitiæ, continentes
census in rerum natura non existentes, quod-
que asignatio Prædii effectum non habuerit
juxta declarationem ipsius Monialis, ac de-
positiones Testium; quia de veritate, ac sub-
sequuto effectu præfatæ assignationis satis
constitit, tùm ex fide Archivistæ, tum ex aliis
publicis documentis, adeout contrariis de-
clarationibus, ac mendicatis depositionibus
tamquam suspectis nulla fides sit adhibenda,
ut firmatum fuit *in dicta decisione 7. Martii
anni præteriti §. Absque eo quod coram
Me*.

Hisque positis ad intentum reæ conventæ
prodesse non poterat, quod pro credito li-
vellorum de anno 1675. processum fuisset ad
subhastationem controversi Prædii favore
Littæ uxoris dicti Iulii Cæsaris Ricciardel-
li; cum enim assertum creditum livellorum
8 ex superius ponderatis non existeret, sed sa-
tisfactum jam esset ex præfatis asignationi-
bus, utique dicta deliberatio dici debet om-
ninò nulla, ac irrita, ut ponderatum fuit *in
dicta decisione 7. Martii §. His circa credi-
tum, & in postrema 4. Iulii anni præteriti
§. Et sicut*. Quinimò sat est, quod post dictas
9 asignationes liquidatio crediti non proces-
serit, ad hoc, ut sequuta subhastatio, ac deli-
beratio in nulla haberi debeat consideratio-
ne, ut tradit *Bartol. in l. si non fortem §. Si
centum, & ibi Jason. num. 2. ff. de condict.
indebit. Card. de Luc. de judic. disc. 40. nu. 7.
Rota coram Merlin. dec. 239. nu. 6. cum duo-
bus seqq., & in Romanà Spolii 3. Febr.* 1713.
§. *Quamobrem coram R. P. D. Falconeria*.
10 Idque certiùs procedere visum fuit ex eo,
quod agentibus successivè illis de Rigazzis
Creditoribus Theodoræ contra illius hæ-
reditatem, ac bona, facta executione super
controverso Prædio, A. C. mandavit proce-
di

di ad ulteriora in executione mandati, non obstante dicta deliberatione, aliisque exceptionibus propositis per Julium Cæsarem, sive Litiam ejus uxorem, quod judicatum approbavit etiam Eminentissimus Orighus. Et propterea hac stante re judicata, infringente dictam deliberationem, præclusa remanet actio amplius de illa excipiendi, juxta *Text in l. rei judicata ff. de reg. Iur. Rot. in Romana Salviani super mandato executivo 1. Iulii 1707. §. Nec subsistit coram Emo Scotta, & in Ferrarien. Pecuniaria 6. Maii 1708. §. final. coram R. P. D. Corio*. Non obstante, quod Eminentis-

11 simus Orighus in ejus Judicato præservaverit ab executione nonnullas tornaturas, quia cum istæ principaliter præservatæ fuerint intuitu præcedentis assignationis in causam livellorum, hæc præservatio non solum nullum præbet fomentum validitati deliberationis, sed potius pro illius subsistentia clariùs præbet argumentum, adeoùt vis rei judicatæ evitari non possit ad *Text. in leg. si quis totum §. Generaliter ff. de except. rei judic., Rota in Hispalen., seu Granaten. Pecuniaria 23. Aprilis 1708. §. 17. coram Reverendissimo Aldrovando, & in Burgen. Iurisdictionis super Remissoria 22. Martii 1715. § Fortius coram R. P. D. meo Cerro*.

12 Potissimè quia post dictum Iudicatum, ipsemet Iulius Cæsar Ricciardellus Pater, & Auctor reæ conventæ in illius executionem anno 1693. obtinuit super tornaturis sibi, tamquam Monialis Cessionario, ut supra præservatis, manutentionem, in quibus circumstantiis, cum oriatur explicita acceptatio ipsius rei judicatæ decernentis executionem mandatorum non obstante dicta deliberatione pro credito livellorum, utique datum non est Ricciardellæ, impugnando fa-

13 ctum sui Auctoris, deliberationem, jam pro nulla, & infecta canonizatam, & respectivè acceptatam, denuo in medium deducere, per *Text. in l. sicut Cod. de act. & oblig. Rota in Maceraten. legitimæ 2. Iulij 1717. §. Quandoquidem, & §. Quod quidem coram Reverendissimo Crispo, & in Romana Census 13. Iunij 1718. §. Creditum coram R. P. D. Gamaches*.

Quibus omnibus perpensis pro irrelevantia crediti livellorum, & respective deliberationis, quorum inani fundamento innititur petita retentio, favore Actoris facilioremi etiam pro immissione aditum præbuit reflexio illa, quod post obitum Monialis originariæ Creditricis eorumdem livellorum sequutum de anno 1693., non obstante, quod Prædium reverti deberet ad hæreditatem Theodoræ assignantis, juxta indolem temporalis, ac vitalitiæ assignationis eidem Moniali factæ, adhuc Ricciardella, ejusque Auctor continuavit usque ad præsens in retentione controversi Prædii, fructus ex illo percipiendo; ideoque posito etiam,

14 quod creditum livellorum dici posset superextans in aliqua summa ex perceptione fructuum fere 30. annorum facta per Ricciardellos, oerte, vel penitùs extinctum, vel saltem undequaque illiquidum, ac turbidum remansit, quod etiam sufficit ad effectum, ut immissio per Creditorem undique certum petita, nequeat impediri, ut passim firmavit *Rot., et signanter cor. Emerix Jun. dec. 252. num. 13. in Taretina Salviani 28. Novembris 1707. §. final. coram bo. me. Molines, et in Romana Salviani 9. Iunii 1713. §. Atque hinc cor. R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore*.

Et ita conclusum fuit utraque.

TIBURTINA FIDEICOMMISSI.

Lunæ 23. Novembris 1722.

ARGUMENTUM.

Substituti per medium fœmininum sub denominatione *filii*, *vel filiæ*, linea masculina extincta, æque, & collectivè dicuntur vocati, adeout masculi non præferantur fœminis, præsertim quia agnationis conservandæ impulsus tali casu in testatore adesse non potuit.

SUMMARIUM.

1 *Expeditio causæ à Rota ante lapsum decennii decreta, non absolvitur, sed denuò, juxta stylum, de meritis gustat*.

2 *Immissio ad trientem hæreditatis uni ex vocatis à testatore concessa, æquo jure ad alterum trientem similiter vocato non denegatur*.

3 *Substituti sub denominatione alternativa* filii, vel filiæ *fœminarum post extinctam lineam masculinam, concurrente in testatore charitatis impulsu, intelliguntur, quod primorio sint vocati iidem masculi, & post fœminæ ex fœminis*.

4 *Limita in casu, quo ex verisimili dispositionis mente ex conjecturis desumpta alternativa vocatio in collectivam resolveretur* & has conjecturas collige in num. 5., & 6.

5 *Agnatio non dicitur contemplata, quando sunt vocatæ fœminæ*.

6 *Substituti sub alternativa* filii, vel filiæ *ex fœminis, collectivè intelliguntur gratificati, si nulla occurrat ratio, ob quam prius masculi, quam fœminæ vocati intelligendi essent*.

7 *Amplia, si testator se retulisset ad testamentum Paternum, in quo tam masculi, quam fœminæ ex fœminis post extinctam lineam masculinam æqualiter vocarentur, cui dispositioni suam accomodare præsumitur voluisse*.

8 *Portio hæreditaria in stirpes est dividenda, & non in capita inter cohæredes, quando probatur, quod illi ex substituto per duas lineas descendunt*, & vide casum.

DECISIO MCCCXLV.

POstquam Fideicommissum Bartholomei senioris de Cioffis fuerat æquis portionibus adjudicatum fororibus de Sabuccis, Petro Fillato, & Josepho Capretto tanquàm descendentibus ab Angela, Lucia, & Catharina filiabus Testatoris, ex rationum momentis latè deductis in decisione cor. bo. me. Ansaldo 2. Martii 1705., suas quoque promoverunt instantias Lucia de Cortesiis, Felix Sirocca, & Dominicus Cimallus, veluti eamdem habentes originem à d. Lucia Seniore super consuccessione cum Petro Fillato in d. fideicommissaria hæreditate: & eorum votis annuit Sac. Tribunal, respondendo competere simul cum d. Petro Immissionem, in quo sensu perstitit etiam in aliis causæ propositionibus, ut videre est in decisionibus desuper editis 18. Junii, & 15. Decembris 1710., & 14. Decembris 1711. *coram Clar. memoriæ Priolo*.

1 Verum subindè licet fuisset etiam decreta Causæ expeditio, quia tamen Partes obdormierunt ultra decennium, qua temporis usura neglecta non solet de stylo Tribunalis ad expeditionem amplius procedi, nisi denuò proposita causa super eisdem, propterea instante d. Dominico, & litis Consortibus dedi consuetum dubium – *An sit standum vel recedendum à decisis, & D.D. steterunt in decisis juxta modum*.

2 Siquidem inspecto supremo Bartholomei elogio, neutiquam dubitari poterat de existentia Fideicommissi, ejusque purificatio favore actorum clarè apparebat, ex quo penitùs deficit linea Ioannis Petri, & Ioannis Antonii primorum hæredum, sub qua conditione Testator expressè mandavit succedere Filias suas Fæminas superstites, Catharinam, Angelam, & Luciam, vel Filios, aut Filias earum, unde quemadmodum pro Triente hæreditatis debito Catharinæ concessa fuit immissio Iosepho de Caprettis ab ea descendenti, & pro alio Triente ad Angelam delato, similiter data fuit immissio fororibus de Sabuccis ab ipsa provenientibus, ità sanè respectu alterius trientis spectantis ad Luciam non videbatur controverti posse, quin danda esset una cum Petro de Fillato Immissio etiam Luciæ de Cortesiis, Felici Sirocchæ ejus Sororibus, & Dominico Cimallo, veluti ab eadem Lucia Seniore descendentibus, ad *Text. in l. fin. C. de edict. divi Adrian. tollen. Rot. dec 179. num. 3. par. 18. rec., & in Nepesina Immissionis 14. Martii 1721. §. Docebatur cor. Me*.

3 Quin valeat Fillato ad exclusionem Fæminarum deducere argumentum prædilectionis Masculorum, ex quo Testator, extincta linea masculina suorum filiorum, progressus ad vocationem Filiarum, substituerit earum Filios, & Filias dictionibus alternativis ibi – *vel Filios, aut filias*, hujusmodi enim dictiones quamvis soleant quandoque, ita exigente in uno potius, quam in altero Personarum genere majori charitatis, & affectionis ratione, designare ordinem succedendi, per quem masculi priùs nominati Fæminis præponantur, ad *Text. in l. cum Pater §. Penult. de legat. 1. Bartol., & alii in l. Gallus §. Quidam rectè ff. de liber., & posthum*. Attamen in præsenti casu videbatur

4 ex verisimili mente disponentis vocatio alternativa in conjunctivam resolvenda, ut per *Text. in l. cum quidam 4. Cod. de verb. & ver. signif.* notant *Bald., & Jason. num. 1. Bellon. de jur. accresc. cap. 5. quæst. 26. nu. 7. 11. 141. & Rota dec. 148. num. 4. par. 15. rec.*

5 dum nullo fundamento adstrui poterat prælatio favore Masculorum, ne dum quia cum Testator ageret de ordinanda successione inter personas sola Cognationis Jura habentes dici non potest quod ejus mentem perstrinxerit conservandæ agnationis desiderium *Rot. cor. Cavaler. decis. 125. nu. 10. & decis. 258. num. 7. coram Peutinger.*; verum etiam

6 quia nulla alia occurrebat justa ratio, cur potiùs Masculis, quam fæminis in sua hæreditate voluerit gratificari, quin imo cum ex-

7 pressè professus fuerit, se velle dispositionem Andreæ sui Patris imitari, & habuerit relationem ad ejus Tabulas, in quibus ille defecta linea masculina, copulativè vocaverat Fæminas, *eorumque Filios, & Filias masculos, & Fæminas*, hinc satis aperte videbatur ostendere, non aliud in votis habuisse, nisi ad instar paternæ dispositionis, tam Masculos, quam Fæminas simultaneæ successionis beneficio complecti, ut prosequuntur *dec. in causa edit. 18. Junii 1710. §. Neque hodie cum. seqq., & 14. Decembris 1711. §. Etenim, cum pluribus aliis cor. cl. me. Card. Priolo*.

Vindicata itaque simultanea vocatione, tam favore Cimalli, quam ipsius Petri Fillati, eiusque sororum ad Trientem Fideicommissa-

8 riæ hæreditatis Luciæ Seniori delatum, animadvertebant Domini, & illi duas uncias deberi prædicto Cimallo, & reliquas duas æqualiter esse dividendas inter Fillatum, ejusque sorores, cum enim ex arbore delineata in decisione bo. me. Ansaldi 2. Martii 1705. appareat, nec hodiè impugnetur duas à præfata Lucia Seniore prodiisse Filias, alteram nempè Felicem, & ab isto provenire Fillatum, ejusque Sorores, Alteram vero Margaritam, & ab ea per medium Hyeronimi descendere Cimallum, conveniens esse visum est, non in capite, sed in stirpes inter eos præfatam Luciæ portionem dividi §. *Cum Filiis instit. de hæred. quæ ab intest.*

Et juxta hunc modum quinto, & sexto, post consuetum turnum suffragium ferentibus, & Cimallo, & litis consortibus tantum informantibus responsum fuit.

ROMA-

ROMANA PECUNIARIA, SEU CESSIONIS.

Veneris 27. Novembris 1722.

ARGUMENTUM.

Dubietas crediti inter emptorem, & venditorem in contractum deducta, & ab articulo juris dependens operatur, ut venditor de nulla, ultra factum proprium, evictione teneatur.

SUMMARIUM.

1 *Vendens Creditum* per tale, quale è, e per un sacco d'ossa *quidquam emptori bonificare non tenetur in casu diminutionis, præsertim si incertitudo illius sit in contractu considerata*, & n.4.

2 *Amplia, quando creditum venditum fuisset prætio rationabili, & ejus validitas à stricto juris articulo dependisset*, & n.3.

3 *Cambia, & recambia an currant post decotionem debitoris, apud Doctores pendet adhuc in decisum, & sunt hinc inde opiniones.*

4 *De evictione non tenetur venditor favore emptoris, si dubium eventum super re vendita ab articulo juris dependentem in contractum deduxisset.*

5 *Evictio promissa intra factum proprium à venditore, extra illud non ligat.*

DECISIO MCCCXLVI.

Corre spectivè ad cessionem cambii, & fructuum decursorum expositam die 30. Novembris 1709. à fratribus de Santinellis favore Com. Hieronymi, & Innocentii fratrum de Porta, cum isti in forma Cameræ se obligassent Cedentibus solvere intra annos duodecim summam scut. 1200. scilicet scuta 100. quolibet anno, sed post annos aliquot à promissa solutione destitissent, res in judicium deducta fuit coram R.P.D. meo Cerro tunc A.C. Locumtenente, qui relaxato contra dictos Fratres à Porta congruo mandato pro terminis ad eam diem decursis, definitivè quoque pronunciavit super validitate, & subsistentia dicti contractus.

Sententiæ ejusmodi visi sunt debitores tunc acquievisse; nam fatendo in actis debitum, & suscepto 30. dierum termino ad solvendum, passi subinde fuerunt in eam causam deliberari, & subhastari quædam loca Montium, ad ipsos pertinentia. Verum quia interim cedente die aliorum terminorum, dd. Santinelli Creditores novum pro istis mandatum ab A.C. postulabant, curarunt fratres à Porta, ut causa appellationis adversus dictum mandatum R.P.D. mei Cerri, jam plenæ exequutioni commissum, in devolutivo delegaretur Eminentissimo Scotto, tunc uni ex sacri hujus Tribunalis Auditoribus, subscriptoque per eum dubio -- *An constet de credito*, eidem supervenit alia commissio signata cum clausula -- *Si quid exequendum* adversus novum mandatum pro aliis terminis postea decursis ab A.C. interim relaxatum. Subrogatus igitur in locum dicti Eminentissimi Scotti una cum dicto dubio jam subscripto, proposui etiam aliud -- *An mandatum A.C. sit exequendum*. Et cum per duas vices ob suffragiorum paritatem causa resolvi nequiverit. Hodiè tandem, quinto, & sexto de more ad suffragandum adscitis, quod ad primum attinet, *affirmativè* responsum fuit.

Difficultas sane causæ tota restringebatur in eo, utrum videlicet valida, & efficax censeri posset obligatio assumpta per fratres à Porta correspectivè & in pretium dictæ cessionis eorum favore expositæ à Santinellis, dum illi professi fuerunt cedere creditum ascendens ad insignem summam scut. 7058. quando tamen demptis fructibus cambii decursis post decoctionem principalium Debitorum, quos successive A.C. Gomez minimè deberi declaravit, idem creditum non subsistebat nisi in summa longe minori. Verum ab hujusmodi difficultate statim Dominos expedivit contextus Apocæ, qua mediante contractus celebratus fuit; licet enim
1 in ea Santinelli professi fuerint cedere creditum scut. 7088. bona tamen fide, & sine ulla versutia exposuerunt dictam summam pro majori parte componi ex fructibus decursis post convocatum concursum super Bonis principalium Debitorum, immo etiam potestati fuerunt se dictum creditum vendere *Tale quale è, e per un sacco d'ossa*. Unde si hoc non obstante fratres à Porta è re ipsorum putarunt ejusmodi creditum acquirere, convento in id pretio scut. 1200., minutatim solvendorum; jam quisque planè videt, quod sibi, & non Santinellis imputare debent, dum scientes qualitatem, & conditionem crediti, immo verò (si fides aliqua adhibenda est depositioni Nicolai Diemsn, tunc eorum Ministri) consulto etiam desuper bo. me. Gaspare de Turchis, illud nihilominus emerunt, *l. Si fundum sciens Cod. de evict.*, bene *Rota dec. 4. num. 20. coram Cerro, & decis. 661. num. 12. coram Emerix*.

2 Nil propterea urget, quod postea Judex ad instantiam ipsorum fratrum a Porta dd. fructus minime deberi declaraverit. Ultra quod enim sententiam istam valde suspectam de collusione reddunt plures, gravesque conjecturæ in id ab informantibus cumulatæ; illud unum pro responsione exuberat; quod nempe non ideo dici potest, quod creditum, & prætensio dictorum fructuum talis, qualis erat de tempore contractus non esset justo pretio æstimabilis, dum pendebat ab articulo juris adeo gravi, & ancipiti, ut Sacrum hoc
3 Tribunal in magna Doctorum discordia ab eo decedendo semper hucusque supersederit, ut patet *ex dec. 2078. num. 3. cor. Emer., & in Romana Cambiorum 9. Decemb. 1697.*

§. *In*

§. *In nibilum caram bo. me. Muto*, quod suf-
4 ficit ut Sanctinelli nullam evictionem præstare teneantur, cum videatur hoc casu in contractum deductus dubius eventus, & illos a Porta emisse dumtaxat si quid juris venditores, & cedentes habebant, *l. Quod si in venditione ff. de hered.*, *vel act. ven. l. Si pactam*, *& l. Emptorem §. Qui autem ff. de act. empti*, & benè pluribus relatis distinguit *Mangil. de evict. quæst.79. n.5.*, *& n.31.*

5 Prout quoque minus obstat, quod fratres de Sanctinellis sese obligaverint de evictione tam generali, quam speciali; ea enim obligatio restricta fuit ad casum, quo evictio crediti cessi sequeretur ex facto, & dato eorum proprio; si nimirum postea detegeretur idem creditum fuisse, vel præcedentèr à Cedente, vel alteri cessum, venditum, aut obligatum. Unde trahi nequit ad casum, quo citra ullam culpam, factumque Cedentium, imo verò urgentibus, & instantibus ipsis Cessionariis, & Emptoribus nomen cessum deterius factum fuit; ut benè in proposito advertit *Rot. decis.745. num.3.*, *& seq. cor. Buratto*, ubi concordantes.

Et ita Sanctinellis tantùm in hac tertia propositione informantibus, altera verò parte dilationem petente sub vano obtentu, quod aptandum esset dubium, resolutum fuit *quinto*, *& sexto ex Dominis* suffragium ferentibus.

EADEM CORAM EODEM SUPER MANDATO.

Veneris 27. Novembris 1722.

Argumentum Habes in Sumario.

SUMMARIUM.

1 *Obligatio Cammeralis paratum habet executionem.*

DECISIO MCCCXLVII.

EX iisdem fundamentis, ex quibus in contemporanea decisione resolutum fuit *constare de credito*, rescripserunt quoque Domini quoad illud in suspensivo commissum *Mandatum A.C. esse exequendum*. Posita
1 enim ex ibi deductis validitate obligationis assumptæ per fratres à Porta, nihil adeo juri, & æquitati consonum est, quam quod mediante mandato cogantur ad solvendos terminos hactenus non solutos, atque ita celeriter implendam obligationem per eos expositam, & Camerali obligatione munitam *Rota dec.513. num.1. coram Dunoz.*, *& decis. 304. num.1. coram Emer.*, *& seq.* & alibi.

Et ita Sanctinellis tantum informantibus, ac videntibus *quinto*, *& sexto* responsum fuit.

BALNEOREGIEN. REDDITIONIS RATIONIS.

Mercurii 2. Decembris 1722.

ARGUMENTUM.

Est revocatoria præsens decisio alterius in parte diei 4. Februarii hujus anni.

Tutor sine libris, & tutelari Inventario ad reddendam rationem de bonis Pupilli à se administratis non admittitur, nisi in eo tantum casu, quo per adeò concludentes probationes fructatum rei, & annuorum redditus justificaret, ut quælibet dubietatis umbra penitus exularetur.

SUMMARIUM.

1 *Tutor absque inventario, & libro tutelari ad reddendam rationem, non potest admitti, cum ista redditionis rationis basis dicantur*, & nn. 10., & 11.

2 *Limita in casu, quo per concludentes omnino probationes, quasi per veritatis lucem ostenderet quid in singulos annos ad ejus manus pervenerit, quidque in re pupillari erogasset*, & n. 4.

3 *Tutor non admittitur ad redditionem rationis de administratione bonorum pupilli per exhibitionem scripturarum, & Instrumentorum ad effectum firmandi annuum redditum pupilli, quando eadem documenta de dolo fuissent suspecta, & gesta ad effectum diminuendi redditus pro minoranda solutione collectarum.*

5 *Redditio rationis de fructatu rei pupillaris, non potest fieri à Tutore ad tramites antiqui fractatus desumpti ex antiqua concordia inita ad effectum dividendi æqualiter eadem bona, & quare*, atque amplia, ut in n. 7.

6 *Fructus stabilium tractu temporis præsumitur immutatus, nec valet illatio de uno tempore ad aliud.*

8 *Tutor non admittitur ad reddendam rationem de administratione gesta per pupillum absque inventario, & libris, & quando pro fundamento afferret æstimationem antiquam bonorum, contra quam ejus proprium fructum obstaret.*

9 *Amplia quando eadem æstimatio præcessisset absque ullo legabili documento, nec non teste mobilium quantitatē probante, nullisque notulis de nominibus debitorum, & documentis super gregibus, & armento.*

10 *Inventarium tutelare defectuosum Tutoris assertione non suppletur*, & numero 11.

12 *Confessio emissa occasione initæ concordiæ per sententiam rescissæ, nullum producit effectum.*

DECI-

DECISIO MCCCXLVIII.

IN præcedenti hujus Causæ propositione, procedentibus DD. de bono, & æquo, quemadmodum par esse videbatur inter Patruum, & Nepotem, qui jactabant, non alio animo Judicium Sac. Tribunalis exposcere, quàm ad effectum regulandi concordiam ex præcepto Bonaventuræ alterius Patrui prædefuncti super hac ipsa controversia ineundam, mitiùs agendo, & relaxato in omnibus rigore Juris, resolutum fuit coram Me sub die 4. Februarii proximè præteriti *Constare de legitima redditione rationis, & non esse locum juramento in litem*, prout etiam antea definitum fuerat in alia decisione contumaciali edita sub die 21. Aprilis 1716. cor. bo. me. Ansaldo, quo verò ad relaxationem mandati, responsum fuit *Iterum proponatur*.

Verum quia assumpto per Me de mandato DD. tractatu concordiæ, ea nullo pacto potuit ad finem perduci e visum idcirco fuit non aliter, quàm ad tramites Juris controversiam hanc definiri opportere, & sub hac diversa methodo reproposita causa cum regulari consueto dubio -- *An sit standum, vel recedendum à decisis*, respectu vero juramenti in litem mandarunt, *ut particulariter videretur*.

Præmisso enim in facto, quod Nicolaus,
1 assumpta usque ab anno 1679. tutela, & cura Dominici, & Lazzari ejus Nepotum, nullum confecit Inventarium de bonis ad Pupillos spectantibus, nullosque hactenus exhibuit Codices, jam inde primo rei aspectu resultabat, quàm difficile absque illis redderetur legitimam explere rationem, cum ejus basis, & caput de jure sit Inventarium una cum libris tutelaribus *leg. cum servus* 81. *ff. de condit.*, *& demon.*, *Munoz. de ratiocin. cap.* 10. *per tot.*, *Rot. dec.* 198. *n.* 1., *& seq.*, *& dec.* 204. *n.* 4., *& seq. p.* 10. *rec.*, *& se-*
2 *pe alibi*. Et quamvis etiam sine illis ratio quandoque reddi possit, ut pluribus allegatis concordantibus inquit præcedens decisio Causæ §. *Quamvis enim*, hoc tamen tunc dumtaxat admittitur, quando Tutor aliunde, quàm ex Inventario, & libris tutelaribus æque bene firmare possit statum Patrimonii pupillaris, & per concludentes omnino probationes, quasi per lucem veritatis ostendere, quid ad ejus manus in singulos annos pervenerit, & quid ex opposito in rem Pupilli erogaverit, aliàs namque, si Pupillorum substantia simplici Tutorum fidei committeretur, quod à legibus ætati illi præsidium paratum fuit, in ejus perniciem converteretur, sicuti in proposito bene observat *Card. de Luca de Tutor. disc.* 7. *nu.* 5., *& disc.* 16. *pariter n.* 5., *Casareg. de commerc. disc.* 102. *n.* 43., *bo. me. Ansald. de commerc. disc.* 73. *n.* 46.

At longè nimis ab hoc concludenti probationum gradu abesse visus fuit Nicolaus; si-
3 quidem ad firmandum statum, & annuum redditum Patrimonii pupillaris, nil aliud coram Perito exhibuit, quàm divisionem quamdam anno 1674. inter Capitaneum Franciscum Pupillorum Patrem, ipsum Nicolaum, & Bonaventuram alterum fratrem celebratâ, & æstimationem tàm portionis in eumdem Capitaneum obventæ, quàm bonorum spectantium ad Franciscam Bisentiam illius Uxorem, & respectivè Matrem Pupillorum factam in sequenti anno 1665. Verum ultra quod dicta divisio, & æstimatio semel, atque iterum declarata fuit ab hoc Sacro Tribunali pro simulata, & conficta ad solum finem minuendi collectas, & onera communitativa, ut recognoscere licet ex pluribus decisionibus editis in *Balneoregien. Pecuniaria cor. bo. me. Molines*, *& Reverendissimo Aldrovando*, & præsertim in illa *diei* 15. *Aprilis* 1712. §. *Quod autem cor. Reverendissimo Crispo*, urget insuper ea animadversio, quod etiam si de dd. resolutionibus nulla ratio habenda esset tamquam alio posteriori rescripto, & subsequuta Partium concordia suspensis, sicuti ponderat decisio, quæ revidetur §. *certiùs* illud nihilominus controverti non posset, quod saltem dd. actus, tamquam non leviter suspecti de collusione, & simulatione attingere nullo pacto valeant gradum illum perfectæ, & concludentis probationis, quæ,
4 ut supra firmatum fuit, omnino requiritur ad effectum supplendi defectum Inventarii, & librorum Tutelarium: Ipsa namque concordia in ea Causa à Sac. Tribunali demandata, & à Partibus subinde exequuta clarè ostendit, quàm dubia essent Jura Nicolai, qui etiam tunc dictæ divisioni innitebatur, juxta deducta per *Coccin. annot.* 299. *per tot.*

Præterea, ut bene DD. animadvertebant esto etiam, quod d. divisio ab omni collusionis suspicione purgata fuisset propter dictam concordiam, inde tamen non benè inferri posset, quod eodem quoque modo admittenda esset æstimatio bonorum, tàm Paternorum, quàm maternorum facta anno 1665., prout perperam admisit Peritus in utraque ejus relatione, firmando super illa annuum redditum Patrimonii pupillaris ad
5 rationem taxæ legalis. Sicuti enim quoad istam, nulla vis fieri potest in dicta concordia unicè restricta ad æquandas portiones capitalium tunc divisorum, ita ex opposito semper magis evincitur illius illegalitas, & irrelevantia, tùm ex quo facta fuit quindecim annis ante susceptam, & respectivè triginta tribus ante dimissam à Nicolao Tutelam, & administrationem, quod sufficit ad effectum, ut nulla de ea ratio haberi possit propter
6 mutationem, quæ tanti temporis decursu contigisse præsumitur, *l. prætia rerum* § *final. ff. ad leg. Falcid.*, *Rota dec.* 46. *nu.* 10. *p.* 6., *& cor. Greg. dec.* 553. *nu.* 4., *& cor. Emer. dec.* 40. *n.* 6., *ubi concordantes*, tùm
7 & certiùs, quia ea tota circumstantia facti, quod d. æstimatio non processit, ut moris est, divisionem, sed eam subsequuta fuit post lap-

lapsum unius anni, quod insuper una simul ęstimata fuerunt bona Uxoris in d. divisione minimè comprehensa; quodque demum nulla erat occasio, aut justa causa, propter quam ęstimatio fieri tunc debuerit, manifesto indicat, eam fuisse non seriò, & legaliter, sed apparenter solum, & simulatè confectam.

Sed ad illam penitus evertendam mini-
8 mè opus erat indiciis insistere, & conjecturis; dum enim ipse Tutor anno 1693., quo adhuc durabat Tutela occasione cujusdam Partiti eidem oblati à Bonaventura altero fratre accepit conditionem erogandi ex redditibus communibus summam scut. 500. annuorum in rem, & usum totius familiæ, & alia sc. 170. in singulos pariter annos subministrandi Bonaventuræ ultra victum pro eo, & Familia, jam quisque videt, quod juxta confessionem ipsius Tutoris redditus annuus unius ex tribus portionibus excedebat plusquam in triplo summam scut. 69., in qua Peritus inhærendo ęstimationi anni 1665. firmavit annuum redditum portionis Paternę. Rursus valor bonorum maternorum fuit in d. ęstimatione calculatus in summa scut. 2740., & tamen sæpe d. Bonaventura alter ex Fratribus Nicolai in actu serio & alieno ab omni suspicione sub Sacramento declaravit, illum ascendere ad scuta circiter 9000. Imò vero Nicolaus ipse in notulis quibusdam anno 1699. per eum exhibitis ad præcisum finem reddendæ rationis, partem eorumdem Bonorum maternorum, eorum nempe, quæ sita sunt in Territorio Balneor. g[illegible]i, calculavit ad scut. 348t. non comprehensis aliis existentibus in Territorio Montis Falisci; quamobrem nemo non videt, quàm parum eurandum sit de dicta ęstimatione, quam ipsa confessio Nicolai destruit, & subvertit, *cap. per tuat de probat. §. Cum te C. de transact. l. final. C. de non numer. pecun.*, quibus in proposito utitur *Rot. cor. Emer. dec. 1214. n. 1., & 2.*

Ad hæc addebatur, quod in d. divisione
9 & ęstimatione nec mobilia, nec Semoventia, neque alia plurima stabilia comprehensa fuerunt longe post à Francisco Pupillorū Patre acquisita, & respectivè in Matrem obventa; & nihilominus ad firmandum valorem, & annuum redditum horum stabilium nullum productum fuit legale documentum, nullus Testis inductus ad probandam quantitatem mobilium, & domesticę supellectilis, nulla pariter justificatio circa corpus, & nomina debitorum; nullum denique documentum super gregibus, & Ar-
10 mentis, sed hęc omnia verbo tenus, & ex placito Tutoris constituta, & æstimata quasi quod defectus Inventarii, & librorum tutelarium simplici Tutoris assertione suppleri possit, quo nihil esset absurdius, *Decius cons. 403, n. 12., Paris. cons. 98. n. 3. lib. 1., Montic. de tacit. lib. 4. tit. 6. n. 4., Rota dec. 561. n. 8. cor. Dunozz. jun.*

Rebus igitur ita se habentibus, quamvis propter extrinsecas illas circumstantias in præcedenti decisione ponderatas, quod videlicet agatur de Patruo, ac Sacerdote, qui omnia bona sua eisdem Nepotibus liberaliter donavit, DD. noluerint quidquam statuere circa juramentum in litem, sed hujusmodi inspectionem à probatione doli pendentem ad particularè examen remisérint; quia tamen pessimo esset exemplo ra-
11 tionem a Tutore sine Inventario, & libris, & sine alia equipollenti probatione, solo verbo redditam ex hujusmodi dumtaxat simplicibus, & extrinsecis præsumptionibus approbare, non dubitarunt pro nunc à præcedenti Decisione in hac parte recedere. Cum maxime hodie Dominicus alter ex dd. Nepotibus nullum commodum ex d. Patrui donatione sentire debeat, ex quo Jus omne alteri Fratri cessit, qui ideo à lite consultò se abstinet, & cæteroquin in facto deficiat notabilis illa circumstantia, quæ animos DD. in præcedenti propositione Causæ plurimum moverat, quod nimirum Dominicus
12 ipse aliàs confessus fuerit Nicolaū Patruum, ne in obulo quidem remanere pro d. Tutela debitorem, dum in præsenti constiit, concordiam, cujus occasione d. confessio emissa fuit, nedum nullam respectu Lazzari tunc minoris, sed etiam læsivam, & injustam respectu Dominici ętate majoris declaratam fuisse per sententiam Reverendissimi D. mei tunc A. C. Aldrovandi ob non interpositam à Nicolao appellationem in judicatum transactam.

Et ita utraque &c.

EUGUBINA FRUCTUUM.

Mercurii 2. Decembris 1722.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius sub die 19. Januarii 1722.

Ex confusa rei hæreditariæ descriptione, scilicet argenti sine pondere creditorum, debitorum, & scripturarum sine distinctione, numero, quantitate, & qualitate tabularum pictarum sine notula valoris, fructuum extra taxam legalem liquidatorum, & similium, inventarium efficiunt omnino nullum, sicut pariter si deficeret citatio, & intimatio diei, oræ certæ, & loci, ubi describenda bona existerent.

SUMMARIUM.

1 *Inventarium dicitur caput, & basis legittimæ redditionis rationis.*

2 *Defectuosum dicitur, si fuisset confectum, non citatis Creditoribus, nec facta intimatione diei, & oræ certæ, & loci.*

3 *Amplia, si non coram Notario, & Testibus esset confectum, sed solum coram iis, exhi-*

exhibita descriptio jam antea privatim facta ad libitum conficientis.

4 *Subamplia, si argentum sine pondere, mobilia in confuso, animalia sine numera, Scripturæ sine qualitate, & distinctione, aliaque omnia turmatim fuissent descripta*, & nu.6. 7. 8. 10. 12., & 13.

5 *Inventarium non fecisse, & minus legaliter fecisse paria sunt.*

8 *Fructus stabilium in confectione Inventarii ad formam taxæ legalis taxandi sunt, nisi aliunde minoritas fructuus concludenter probaretur*, & n. 9.

9 *Taxa legalis tunc cessat, quando aliunde legitime constat de quantitate fructuum perceptorum.*

10 *Inventarium est nullum, si in statu hæreditatis passivo partitæ impensarum diversarum specierum sine ulla distinctione adnotatæ reperirentur*, & n.11.

11 *Fructus Prædiorum, quando juxta taxam legalem taxantur, non habenda est ratio de collectis, & Calonorum cibariis.*

12 *Inventarium, ut sit validum, documenta statum passivum afficientia sunt coram Judice subdelegato exhibenda, nec satis est, quod Perito calculatori exhibeantur.*

13 *Amplia, si de hoc Creditores sese solemniter protestassent.*

14 *Hæres ex inventario nulla tenetur in bonis propriis ad debita hæreditaria.*

15 *Apoca privata nullo teste, & solemnitate munita, neque recognita, nisi post longissimi temporis lapsum interesse habentibus non citatis, non attenditur*, & nu. 16, & 17.

16 *Caracter per testes asserentes simpliciter se notam manum habere recognitum dicitur periculosè.*

18 *Testis contra inducentem plenè probat.*

19 *Inventarium defectuosum pœna dupli in eo suppletur casu, quo in solis omissionibus deficeret, itaque possent certificari; secus verò si defectus tales essent, ut nulla status hæreditarii certitudo haberi posset.*

DECISIO MCCCXLIX.

CUM jam pridem Sac. Rota coram clar. mem. Cardinali Priolo prævijs tribus decisionibus censuisset procedendum esse ad legitimam executionem mandati ab A. C. relaxati favore illorum de Raphaellibus in summa scut. 2500 monetæ Romanæ ex causa restitutionis fructuum tàm contra bona hæreditaria Laurentij, & Leonelli de Andreonibus, quàm contra personas, & bona propria Andreonij, & Pauli de Andreonibus, & Sororum de Caccia, delegata mihi per Signaturam Justitiæ ulteriori Causæ cognitione, iterum responsum fuit sub die 29. Januarii 1712. procedendum esse ad ulteriorem legitimam; verum quia postmodum memoratæ Sorores de Caccia exhibito Inventario quodam, sese paratas obtulerunt rationem reddere de bonis hæreditariis prædicti Andreonij, bis reproposita causa sub diebus 31. Januarii, & 30. Junii 1721. confirmata semper fuit præcedens decisio quoad bona propria Andreonij, & Paulli, sed respectu Sororum de Caccia placuit illam in suspenso relinquere, prefixo brevi termino ad reddendam rationem, salvisque exceptionibus Inventarii.

Ad hunc itaque effectum subdelegato Iudice in Partibus, electo Perito calculatore, & remisso tandem processu, proposui hodiè dubium *An sit standum, vel recedendum à decisis sub d. die 29. Januarii 1712. quoad Sorores de Caccia*, & cum compertum fuerit rationem ab eis redditam esse omnino illegalem, & insufficientem, DD. non dubitarunt *in decisis* persistere.

Incipiendo namque ab Inventario, quod
1 est caput, & basis legitimæ redditionis rationis; illud profectò tam in forma, quàm in substantia tot patiebatur defectus, ut perinde haberi deberet, ac si factum omninò
2 non fuisset. In primis enim deficiebat citatio tum fratrum de Raphaellibus, tùm aliorum plurium creditorum, qui tamen certi erant, & non ignoti; deficiebat intimatio, quę subsequi debet diei, & horæ certæ, & loci quibus Inventarium conficiendum erat,
3 præterea idem Inventarium, non coram Notario, & Testibus confectum fuit, sed solum coram iis exhibita descriptio jam antea pri-
4 vatim facta ad libitum conficientis; inde etiam, & Animalia, quibus fundi instructi erant, & domestica supellex, & solidioris materiæ mobilia, nec non argenta, & tabulæ pictæ, deposita denique, pignora, Codices, & scripturæ hereditariæ sine numero, sine pondere, sine valore, sine qualitate, sine ulla denique distinctione omnia confusè descripta, & quidem non à rudi, & rerum agendarum ignaro homine, sed à Iuris consulto, & causidico earumdem Sororum Patre, & modo alterius ex eis renunciatario, adeout sicuti exinde nulla prorsus certitudo status hereditarii erui potest, ita consequenter nullum hæredibus Beneficium separationis oriri valeat, cum
5 paria in Iure sint Inventarium non fecisse, ac minus legitimè fecisse, ut in similibus circumstantiis aliàs respondit *Rota*, & *præsertim in Romana Pecuniaria, seu Locorum Montium 11. Junii 1706. coram bon. mem. Molines*, & *11. Decembris 1712. cor. Me*, & *in Lauretana Censuum 22. Martii 1715. cor. R.P.D. meo Bosearo ubi concordantes.*

Et si autem hoc satis videri potuisset ad causæ decisionem, nihilominus DD. ulterius assumentes examen rationis à dd. Sororibus expositæ, & hanc quoque pluribus defectibus laborare compererunt; quod enim
6 attinet ad statum activum, quamvis in facto certum sit animalia plurima juxtà Regionis usum reperta in hereditate fuisse, non alla tamen melior ratio de eis reddita fuit, quam

simplex assertio etiam in Inventario emissa,
sed nullo comprobata legitimo documento,
quod illa ad Bernardinum Sororum Patrem
pertinerent: rursus de una ex tabulis pictis
7 in d. Inventario descriptis cum generali no-
ta insignis Auctoris de abaco cum argenteis,
de doliis Vinariis, de pluribus pignoribus,
de scripturis, & libris hæreditariis, imò
vero de duobus Prædiis *Pian di Galasso, e
l'Anziata*, nec mentio quidem fuit habita.
A valore aliorum Prædiorum *dell' Acqua-
lagna, e dell' Isolo de Gulini* constituto per
Perlium judicialiter electum dempta fue-
runt, ac diminuta sine causa in calculo ac-
tivo scuta 500. Domus posita in Civitate Eu-
gubii, & allibrata in catastro defuncti in
scutis 3000. calculata fuit in solis scutis mil-
le sub obtentu, quod per Apocam priva-
tam, deinde in publicum instrumentum re-
dactam tanti, & non pluris vendita fuerit,
& tamen ultra quod eadem apoca nonnisi
decennio post in publicum Instrumentum
redacta fuit, illicò insuper de simulatione
convincitur ex eodem catastro, dum etiam
post venditionem Emptor illam describi
passus fuit ejusdem valoris scutorum 3000.,
8 Fructus denique ab anno 1701., usque in
præsens calculati fuerunt in scut. 1633., &
nihilominus cum nulla super eis allata fue-
rit probatio, non aliter calculari poterant,
quàm juxta taxam legalem ad rationem qua-
tuor pro centenario, & sic in summa longè
maiori ex adductis per *Rot. in Pisauren.
Hæred. 27. Januarii 1636. cor. clar. mem.
9 Card. Priolo*, ubi quod tunc solum recedi-
tur à taxa legali, quando aliunde legitimè
constat de quantitate fructuum percepto-
rum.

Sed gravioribus quoque defectibus nota-
10 batur status passivus, aliis enim pluribus
omissis, quos longum fuisset singillatim pro-
sequi, duo præ cæteris visi fuerunt speciali
li censura digni. Primus consistebat in par-
tita satis insigni sc. 2657 posita in confuso
ad debitum hæreditatis *per collette, impo-
sitioni, cibarii, frutti de Censi, Barbie-
ro, Scarpe, & altre spese*, quæ sanè diver-
si generis impensæ, neque ullibi justificatæ
fuerunt, prout de Jure requirebatur, &
quidem distincte, & singillatim, neque si
justificatæ fuissent, potuissent admitti, cum
11 collectæ, & cibaria Colonorum non com-
putentur, quando fructus, prout in casu li-
quidantur juxta taxam legalem, *Rota in
Nepesina fructuum 14 Martii 1721 per to-
tum cor. Me*, minusvè subducantur hære-
dis alimenta, *Rota in Senogallien. Concur-
sus 5. Februarii* 1719. §. *Cumque coram
R.P.D. meo Foscaro*.

Versabatur alter circa aliam partitam
12 scut. 1023. hæreditatis debito pariter ad-
scriptam pro sorte, & fructibus census ac-
collati, ut dicebatur per Andreonum; &
nihilominus de huiusmodi accollatione cor.
solo Perlio Calculatore exhibitum asserebatur
batur Instrumentum, non vero coram Ju-
dice subdelegato, aut in Actis Rotalibus,
prout etiam factum fuisse dicebatur de aliis
Instrumentis, quasi quod ad officium Cal-
culatoris pertineret, & non ad Judicem In-
strumenta recognoscere, quando præsertim
13 altera pars de hoc solemniter protestata
fuerat, & Judex mandaverat asserta docu-
menta pænes acta dimitti, ut propterea lo-
cum sibi vindicat vulgat censur. *text. in cap.
Cum dilect. de rescript.*, *de quo Gabr. cons.
43. n. 18., & seqq. lib. 1., Rot. cor. Buratt.
dec. 165. n. 5.*
14 His itaque stantibus facile DD. conve-
nerunt in sensu, quod dum dd. Sorores ra-
tionem legitimam non reddiderant bono-
rum hereditariorum Andreonii, neque etiam
poterant executionem in bonis propriis ef-
fugere. Multo autem minus effugere illam
poterant super duobus illis jam supra me-
moratis Prædiis *Pian di Galasco, e l'An-
ziata*, sub obtentu, quod ea desierint esse
de Patrimonio Andreonij usque ab an. 1690.
quo ipse eadem Prædia titulo Dotis assigna-
15 vit Piæ ejus Nepti; cum enim non aliter
de dicta assignatione constiterit, quam per
Apocam privatam, nullo Teste, nullaque
solemnitate munitam ex iis, quæ de jure re-
quiruntur, per *text. in l. Scripturas Cod.
qui potior. in pignor. habean* ea sane digna
non videbatur cui fides nulla adhiberi pos-
set, præsertim quia nedum recognita non
fuit, nisi post lapsum longi temporis viginti
circiter annorum, minimè citatis fratribus
de Raphaellibus, qui jam super dd. Prædiis
executionem expleverat, ac per testes sim-
16 pliciter asserentes se habere notam manum,
quod sanè recognitionis genus est valde pe-
riculosum *l. Comparatio C. de fid. Instr.* Ve-
17 rum etiam quia in decursu huius diuturnæ
litis, nunquam amplius producta fuit, &
aliundè in facto constat dictam assignatio-
nem effectu vacuam remansisse, juxta depo-
sitiones Testium, aliàs ab ipso Bernardino
sororum Patre inductorum, qui proinde
18 cōtra inducentem plenè probant ex addu-
ctis per *Rotam dec. 44. n. 9., & decis. 78.
n. 16 cor. bo. me. Ansoldo*.
19 Ea, quæ dicebantur de pœna dupli nullo
modo admitti poterant, ea enim tunc pro-
cedit, quando Inventarium deficit in solis
omissionibus, & istæ hujusmodi sunt, ut sin-
gulæ res omissæ in qualitate, & valore
certificari possunt, non quando, prout in
casu defectus sunt tales, ut nulla haberi pos-
sit certitudo status hæreditarii, tunc enim
sicuti haberi nequit certitudo simpli, ita
neque admittitur pœna dupli, prout aliàs
respondit Rota pluribus adductis concor-
dantibus in Romana annuæ præstationis, &
census super relevatione 22. Junii 1714. §.
Quæ cum cor. Me.

Et ita &c.

ROMANA LOCORUM MONTIUM.

Veneris 4. Decembris 1722.

ARGUMENTUM.

Hæc est alterius juxta modum confirmatoria sub die 26. Ianuarii hujus anni emanatæ.

Spoliatus de locis Montium, si æquivalens prætium de tempore sequti spolii à spoliante recipiat, quærere non debet augumentum illorum casualiter post sequtum spolium superventum, quando spoliatus risico etiam decrementi possibilis steterit. Fructus non percepti, si nec de violento, neque attentato spolio agatur, non debentur, sed tantum effectivè percepti.

SUMMARIUM.

1 *Spoliatus de locis Montium ad nil ultra habet actionem, præterquam quod ad summam pro illorum exemptione necessariam de tempore sequti spolii*, & n. 2

3 *Reintegrationis natura est, ut spoliatus ad pristinum restituatur statum, ac si spolium nod fuisset sequutum.*

4 *Spoliatus de Locis Montium bene dicitur reintegratus, quando tantundem recipit, neque curare debet, si sequto spolio, aliquid lucri spolians captaverit, quando etiam risico decrementi pretii stetisset.*

5 *Amplia, si tàm augumentum, quàm decrementum non stetisset ex natura, & spolii causa, sed ex qualitate* Montium, & n.6.

6 *Spoliator justè restituit, quando tradit id, quad intra spolium spoliatus esset consequturus.*

7 *Spoliator non tenetur in gratiam spoliati monetæ valorem, post sequtum spolium immutatum attendere, sed illum de tempore spolii currentem.*

8 *Ut teneatur ad restitutionem fructuum, quas non percepit, requiritur, vel quod in possessionem rei violenter, seu attentatè se intruserit, vel quod dolo posidere desierit.*

9 *Dolus ut dicatur esse in spoliante probandum est, quod per sordes in bonorum possessionem se intruserit, & consultò possessionem dimittere noluerit.*

10 *Limita, si omnes adhibuisset conatus, ad hoc, ut veritas circa rei pertinentiam appareret*, & vide casum.

DECISIO MCCCL.

Potius quam Causæ necessitati, stylo Tribunalis obsequendo, facta fuit Patribus Carmelitis facultas Jura sua iterum deducendi adversus postremam decisionem coram Me editam 26. Januarii labentis anni, ex quo in ea respectu fructuum à Creditoribus Domus Sabellæ non perceptorum, revocata fuerat alia præcedens decisio diei 10. Februarii 1721.; Quamobrem proposito hodie dubio -- *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis*, responsum fuit -- *standum esse in secundo loco decisis* -- addito tamen modo infra exprimendo.

Ac primum quidem placuit Dominis resolutio capta, tàm in prima, quàm in secunda decisione respectu capitalis; nam sepositis inutilibus subtilitatibus, veritas facti erat,
1 quod dum Patres de tempore restitutionis spolii tantum pecuniæ acceperant à Creditoribus Domus Sabellæ, quanti emi tunc statim poterant totidem loca Montium ejusdem speciei, & bonitatis, ac erant illa, quibus spoliati fuerant, nihil ultra hoc nomine prætendere poterant, cum solutio prætii tunc currentis, eumdem omninò effectum præstare debuerit, ac præstitisset effectiva eorumdem locorum Montium restitutio, ut latiùs ponderat prima decisio §. *Distinctè*, & secunda §. *Ac sermonem eum seqq.* Dum
2 sive tradendo pretium tunc currens, sive totidem loca Montium restituendo, semper idem sequebatur effectus, quod videlicet spoliatus in pristinum statum perinde re-
3 ducebatur, ac si spolium commissum non fuisset, ad quod unicè tendit, & non ultra indoles ipsa, ac natura reintegrationis, juxta *text. in cap. gravis de restit. spoliat., l. si quis C. ad l. Jul. de vi*, & firmat *Rot. cor. Duran. dec. 47. n. 5.*, & *cor. Merlin. dec. 992. n. 36.*, & *in Romana Spolii, seu Immissionis super mandato 17. Martii 1719. coram Rmo Ravennaten.*

4 Hoc autem posito, minimè curandum erat, quod Creditores Domus Sabellæ ex iisdem locis Montium maius pretium consequuti fuerint à Creditoribus Domus Perettæ à quibus intermedio tempore, & ipsi consimile spolium passi fuerant: Cum enim juxta notas regulas Jus ab Actore metiendum sit, attendi utique non debet si quid debitor compendii cæperit ex contingenti mutatione extrinseci valoris, quæ sicuti illius comodo cessit, ita pariter incommodo ac detrimento cedere poterat; sed solum inspiciendum est, an aliquid Creditori desit, & cum in casu, certum, indubitatumque sit nihil Patribus deperiisse, ex quo cum pecunia in eam causam accepta, statim potuissent tot loca Montium ejusdem speciei emere, quot spoliati fuerant; hoc sane sufficit, ut plenè reintegrati censeantur, sicuti bene prosequitur secunda Decisio §. *Placuit*, & *seqq.*

Extranea itidem reddebatur animadversio illa, quod æquius sit augumentum intermedium, potius quam lucro spoliatorum addici beneficio PP., qui non satis cautos se asserunt ex attergatione controversorum locorum Montium: Si enim ipsi revera satis tuti non sunt, sibi imputare debent, quod pignori à principio acceperint Loca Montium extractionibus, & diminutionibus obnoxia, vel in alio congruo Judicio, jus suum
5 super hoc experiri; Cæterum quod ad præsentent controversiam attinet, cum augu-

mentum, & decrementum non provenerit ex spolio, sed ex natura ipsa locorum Montium, nihil imputare debent Creditoribus Patrimonii Sabelli, dum quatenus spolium commissum non fuisset, & loca Montium in manibus Patrum semper mansissent, nihilo-
6 minùs quo tempore restitutio facta fuit, non amplius ex illorum venditione retrahere potuissent, quam quod ab iisdem Creditoribus renumeratum fuit, *Text. est literis, & expressus in l. restituere 75. ff. de verb. sign.*, ubi Paulus inquit -- *Restituere is videtur, qui id restituit, quod habiturus esset Actor,*
7 *si controversia ei facta non esset*; Et ita potiùs quam obstaret, retorquebatur exemplum monetæ, cujus extrinsecus valor si mutatus fuerit, attenditur tempus solutionis juxta magis communem, & veriorem opinionem, quam sequitur *Rot. ut in decis. 135. n. 2. par. 3 rec., & dec. 316. n. 10. coram Cerro* ubi concordantes.

Atque ità absoluto examine super liquidatione capitalis: Quod attinet ad fructus ejus temporis, quo Creditores domus Sabellæ spoliati fuerunt à Creditoribus domus Perettæ, Domini etiam hodiè approbantes fundamenta secundæ Decisionis iterum censuerunt absolvendos esse ab eorum restitutione memoratos Creditores domus Sabel-
8 læ, cùm ad effectum ut quis condemnari possit ad restitutionem fructuum, quos non percepit omninò necesse sit, vel quod in possessionem rei violenter, seu attentatè se intruserit, vel quod dolo possidere desierit, sicuti latè firmat secunda Decisio §. *Hactenùs, & §. Pro remotione.*

At verò neutrum in præsenti verificatur, non quidem primum, quia agitur de spolio judiciali, sed nè quidem secundùm, quia loca Montium è manibus eorumdem Creditorum avocata fuerunt, ità mandante Con-
9 gregatione Baronum, propterea que ut dolus probatus dici posset ostendere oporteret, quod illi colludendo cum Creditoribus Domus Perettę per sordes, aut gratiam, ejusmodi avocationem passi fuerunt de industria, & ex condicto, ut fraudem Patribus facerent: Hoc autem tantum abest à veritate facti, ut nedùm nulla certa probatio fraudolentę hujusmodi collationis, sed neque etiam ulla subsit, vel lævis, & remotissima suspicandi ratio: Constans enim, & exploratum est, quod toties memorati Creditores Domus Sabellæ inviti, & reluctantes coacti fuerunt loca Montium dimittere creditoribus Domus Perettæ, ex quo in litteris patentibus, imò verò in ipsis quoque Secretariæ Muntium recentioribus Codicibus expressum fuerat, quod illa proveniebant à domo Peretta, & consequenter nihil erat impedimento, quo minùs hujus Creditores beneficio separationis essent super illis præferendi, tanquam in jure potiores, & con-
10 stans pariter, ac supra omnem controversiam est quod, statim atque ab occulto Revelatore iidem Creditores Sabelli certiores facti fuerunt de errore, qui in dictis litteris patentibus irrepserat, nulli prorsùs, aut labori, aut expensæ pepercerunt, quousque eadem Congregatio, mediante opera Periti ad id specialiter electi, qui libros antiquiores diligentissimè perquisivit, errorem denique agnovit, & pretium eorumdem locorum interea temporis distractorum restitui mandavit. In his autem circumstantiis adeò exorbitans redditur doli quæstionem promovere, ut imò neque alicujus levis culpę nota iis infici posse videatur, prout benè concludit secunda Decisio §. *de hujusmodi, & seqq.*

Cæterum quia grave Patribus videbatur, quod memorati Creditores non curaverint unà cum capitali locorum Montium etiam controversos fructus sibi restitui: Illi verò sustinebant se ab hac petitione haud immeritò destitisse propter bonam fidem, qua se tuebantur Creditores Domus Perettæ; Domini idcircò, ut jus suum unicuique salvum, & illæsum maneret, modum resolutioni addiderunt, quo Patribus pręservatum foret jus agendi pro dictis fructibus contrà Creditores Domus Perettæ, cessis etiam, quatenus opus fuerit, actionibus per Creditores Domus Sabellæ.

Et juxtà hunc modum Dominis unà mecum suffragium ferentibus, & utraque parte audita resolutum fuit.

ROMANA LOCORUM MONTIUM SUPER PRÆLATIONE.

Veneris 4. Decembris 1712.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Prælatio non competit Creditori, cujus jura ex post fuissent à Judice rejecta.*
2 *Prælatio in Creditorum concursu competit illi, qui primus tam in tempore, quam in jure inter cæteros reperitur.*

DECISIO MCCCLI.

Cohoerenter ad resolutionem hodiè captam inter Creditores domus Sabellę, & PP. Carmelitas super dubio præsenti, fuit quoque quoad istud secundariò vertens inter eosdem Patres, & Dominum Principem Burghesium resolutum, *quod standum esset in secundo loco decisis*. Posito enim ex deductis in contemporanea decisione quod Patres nihil ultrà consequi debeant à Creditoribus domus Sabellæ, neque ex causa Capitalis, neque fructuum nomine, jam indè
1 sequitur, quod neque ullam prætendere valeant prælationem super pretio Palatii Sabelli, cum ea tanquam necessarium ante-

ce-

s cedens creditum supponat, sed benè quidem illa competit D. Principi Burghesio, qui Prioribus exclusis remanet primus, tam in tempore, quam in jure inter alios quoscumque ejusdem domus Sabellæ Creditores, prout latiùs dictum fuit in secunda causæ decisione coram Me edita 26. Januarii labentis anni, ad quam Domini remissivè se habuerunt.

Et ità utraque &c.

CALAGURITANA DIMIDII BENEFICII.

Lunæ 7. Decembris 1722.

ARGUMENTUM.

Gratificatio Ordinarii habet locum favore unius ex duobus æque habilibus præsentatis; & quando gratificantes sunt inter se discordes, ad Metropolitanum gratificandi jus devolvitur.

SUMMARIUM.

1 *Institutio illi ex duobus æque habilibus præsentatis, & approbatis competit, qui ab Ordinario gratificationem retulit.*

2 *Amplia, quando gratificatio non processit ex mero arbitrio, sed ex debito justitiæ, dum gratificatus esset Concionator, & Confessarius, quo casu Subdiacono præfertur.*

3 *Constitutio Apostolica Juri Canonica uniformis sine dubio paratam habere debet exequtionem.*

4 *Gratificati æqualiter à duobus Vicariis, neuter eorum gratificatione suffragatur.*

5 *Gratificatio Metropolitani, in discordia Gratificantium Vicariorum, quando prævaleat?*

6 *Consuetudo non minorem, quam ipsa lex, in jure authoritatem sortitur.*

DECISIO MCCCLII.

IN contumaciam Matthiæ pluries moniti, & informare recusantis, proposui hodiè dubium -- *An, & cui sit adiudicandum Beneficium, seu potiùs danda sit institutio*, & responsum fuit, *Beneficium adiudicandum, & respectivè institutionem dandam esse Emanueli.*

Movit DD., quod ad dimidium Beneficium, de quo agitur, vacans in Parochiali
1 Ecclesia de Victoria, licet in examine desuper habito dictus Emanuel æque approbatus fuerit à Capitulo Beneficiatorum, ac Matthias alter ex Oppositoribus, Emanuel tamen reportavit à Metropolitano Burgen. gratificationem, atque ideo, ea stante, nequit illi denegari Institutio, sivè attendatur constitutio, & consuetudo particularis vigens in dicta Ecclesia, sive etiam dispositio Sacrorum Canonum, juxtà quam ex duobus præsentatis ille institui debet, cui Ordinarius gratificatus fuerit juxta *Text. in cap. cum autem de jurep. Card. de Luc. da jurep. disc. 53. n. 3. Rot. cor. Penting. dec. 202. n. 8, & in Vaden. Canonicatus 30. Junii 1704. §. Quoniam cor. bo. me. Molinez.*

2 Certius autem in casu præsenti, in quo gratificatio Metropolitani non processit ex mero ejus arbitrio, sed quasi ex debito justitiæ propter præponderantiam meritorum in Emanuele concurrentium, dum ipse nedum erat Concionator, verum etiam Sacerdos, & ad excipiendas fidelium confessiones approbatus, unde etiam de jure præferri debebat Matthiæ in solo Subdiaconatus ordine constituto ad *Tex. in Can. si fortè dist. 63.*, & aliàs respondit *Rot. in Benef. Diœcesis in Calaguritana decis. 515. n. 4, & seqq. par. 18., & in Calaguritana dimidii Beneficii de Lanziengo 23. Aprilis 1706. §. Sed quatenus cor. bon. mem. Caffarello*, quod expressè quoque cavetur in dicta particulari constitutione Ecclesiæ de Victoria ibi -- *Et si duo sunt naturales cæteris paribus, Presbiter præferatur Diacono, & Diaconus Subdiacono*, quæ sanè constitutio maxime in hac parte, adeo uniformi juri Ca-
3 nonico sine dubio exequenda venit *Cap. fin. ubi Glos., & DD. de Const. Rot cor. Bich. dec. 640. n. 3., & cor. bon. mem. Ansald. in addit. dec. 78. n. 60.* ubi concordantes.

4 Absque eo quod obstare possit, quod vacante tunc temporis Ecclesia Calaguritana ex duobus Vicariis per modum unius, sicuti moris est in illis partibus à Capitulo electis, alter gratificatus fuerit Emanueli, & alter Matthiæ: quoniam ex hoc nihil aliud consequitur, nisi quod Vicarii prædicti fuerint in gratificando discordes, itaut neuter Oppositorum inde potuerit jus ullum desumere ad ea, quæ tradit *Abbas in cap Ecclesia vestra 57. sub n. 13. versic. unde electio de electione, Lotter. de re benefic lib. 3. q. 17. n. 170 Rot. cor. Burat. dec. 225. n. 2., & dec. 808.*
5 *n. 1.*, sed hoc nihil conducere potest ad intentum Matthiæ, quia Emanuel minimè insistit super gratificatione obtenta ab altero ex dictis Vicariis, sed bene quidem in alia gratificatione subindè reportata à Metropolitano, ad quem in discordia Vicariorum devolutum fuerat jus gratificandi, juxta antiquissimam ejus Ecclesiæ consuetudinem,
6 quæ non minorem, quam ipsa lex fortitur in jure authoritatem *leg. 1. §. fin. ff. de aq. pl. arc. leg. vetustissima C. de jure Dom. Rota cor. Emer. dec. 1083. n. 2., & seq.*

Et ità altera &c.

MELEVITANA COMMENDÆ.

Lunæ 10. Decembris 1722.

ARGUMENTUM.

Inter venerandam Italiæ Linguam, & Sacræ Religionis Hyerosolimitanæ Thesaurum anno 1693. inita fuit conventio à magno Magistro, & Consilio approbata, ut idem Ærarium commendarum administrationem, & possessionem restituere non teneatur, nisi prius de toto eo, quod sibi competit sit integraliter satisfactum, adeoùt Commendatarii nudo titulorum honore sui favore smutitorum potiri queant, & frui, nec eo interim fructuosam possessionem, imò neque congruam, prætendere valeant.

SUMMARIUM.

1 *Restitutio in integrum adversus rem judicatam justam, & acceptatam numquam conceditur.*

2 *Citationis defectus opponi nequit, quando quis in judicio comparuit, & fuit discussa materia, pro qua fuisset citandus, & succubuit, cum hęc in materia smutitionum de stylo Religionis Hyerosolimitanæ servari non soleat.*

3 *Conventio inter Linguam Italiæ, & Ærarium S. Religionis Hyerosolimitanę adest, ut istud non teneatur dimittere possessionem commendarum, nisi sit integraliter satisfactum de omni, & toto eo, de quo foret;* & num.4., & 15.

4 *Commendatarii Hyerosolimitanę Religionis non possunt fructuosam commendarum possessionem adipisci, sed simplicem earum Titulum, donec Ærarium reintegretur;* amplia, ut in num.5. 6., & 15.

7 *Conditionis natura est, ut dispositio, & actus suspendantur, quoad usque illa non purificetur.*

8 *Libri Thesauri Sacræ Religionis Hyerosolimitanæ plenissimè probant partitas dati, & accepti in eis descriptas.*

9 *Amplia, si partitis prædictis cohæreant Instrumenta locationum de bonis in eisdem libris descriptis.*

10 *Divisio bonorum commendæ subiectorum in duas partes facta non obstat, quin, si una plus altera persolverit, illud plus ab ea repetere valeat.*

11 *In pignus, qui plura recipit, non potest cogi, ut liberet unam, ex quo in parte solutionem receperit: nisi accepto universo, quod ei debeatur;* amplia, ut in num.12., & 14.

12 *Pignus pro una rata non liberatur, si plures essent debitores, & unus sibi portionem tangentem persolveret, imò potest à Creditore vendi.*

13 *Calculus idealis, & illegalis nil probat.*

16 *Congrua non habet locum in commendis Religionis Hyerosolimitanæ in præjudicium Ærarii, quod esset Creditor.*

17 *Non debetur Commendatariis simplicis Tituli, quibus, sicuti cessat supportatio onerum commendæ, ita deficit ratio assignandæ congruæ.*

DECISIO MCCCLIII.

AD formam conventionis anno antecedenti initæ inter Venerandam Linguam Italiæ, & Ærarium Sacræ Religionis Hyerosolimitanæ, anno 1694. divisa fuit in duas, Majorem videlicet, & Minorem insignia Commenda Beatæ Mariæ de Templo, nuncupata *della Maggione di Bologna*, earumque titulis pluries successivè smutitis, anno tandem 1716. de Majori provisus fuit Eques Gratianus, & de Minori D. Eques Franciscus Columna: Verum quia respectu Equitis Gratiani, Lingua eodem tempore smutivit antianitatem justitiæ, ab ipso acquisitam, quæ est expectativa ad consequendam titulo, ut ibi vocant, cabimenti, Commendam primò vacaturam. Veritus ille, ne per assequtionem simplicis tituli Commendæ Majoris sine fructibus spoliaretur jure, quod habebat ad aliam Commendam fructuosam, quam deindè vacare contigisset, recursum habuit ad magnum Magistrum; Qua occasione, cum Procuratores Thesauri retulissent, eundem Thesaurum remanere adhuc creditorem in summa scutorum circiter 30. mil., atque ideò non dum esse factum locum ingressui fructuoso dd. Titularium, certior de hac relatione factus Eques Columna, & ipse quoque pro suo jure se opposuit: Quamobrem, deputatis de more duobus Commissariis, & partibus pluries per eos auditis, denique sub die 7. Aprilis 1717. Consilium decrevit, smutitionem Commendarum sustineri quoad simplicem dumtaxat titulum, & consequenter smutitionem Antianitatis Equitis Gratiani esse nullam, & invalidam, repertisque Equitibus offerentibus integrum creditum communis Ærarii, eorum favore smutiendas esse Commendas

Ab hoc decreto Eques Columna tunc minimè appellavit; Quin imò cum Eques de Speculis ejus Fiernaldus, obiecta illi incapacitate, contenderet sibi conferendum esse titulum dictæ Commendę Minoris; Columna ab utroque Consilio duplicem sententiam obtinuit super validitate smutitionis ad ejus favorem factę; *Firmo tamen remanente Decreto Venerandi Consilii sub die 7. mensis Aprilis proximè præteriti*; Et cum hac eadem clausula etiam subindè literas Magistrales expedivit: Mox autem gravè illud sibi nimium reputans, obtinuit manu Sanctissimi signari Commissionem in devolutivo mihi directam, ad cujus terminos sub die 14. Januarii labentis anni proposito per Me dubio *An conflet de causis restitutionis in integrum, & an, & quomodo litera*

teræ Magistrales sint exequendæ, cum Domini tunc rescripserint *Dilata, & præfigatur terminus Ærario ad exibendam notulam juratam fructuum perceptorum, & expensarum, & scribatur strictè super divisione bonorum* - hodiè postquam Ærarium mandatis Rotalibus jam paruit, iterum proposui idem dubium, & responsum fuit - *Non constare de causis, & literas Magistrales esse exequendas, juxta modum, idest juxtà conventionem anni* 1693.

Præmisso enim in facto, quod hodiè minimè disputatur de validitate, & subsistentia dicti decreti anni 1717. in ea parte, in qua dictum fuit, quod repertis Equitibus, solventibus creditum Thesauri: Commendæ eorum favore smutiendę essent, cum respectu istius controversia ilia, quę anno 1720. per Equitem Samperium mota fuit contra Equitem Columnam, nullum postea habuerit progressum, referente Lingua requisita pro voto, quod Decretum in hac parte editum fuerat sine prejudicio jurium Commendatariorum Titularium, & ipsius Linguæ: Sanè quod attinet ad aliam ejusdem decreti partem, in qua resolutum fuit, smutitionem Commendarum sustineri quoad simplicem dumtaxat titulum, cum illud va-
1 lidum sit, & undequaque justum, cessat quęcumque læsio, sine qua restitutio in integrum non conceditur, & multo minus conceditur, quando, prout in casu, ea petitur adversus rem judicatam semel, iterum, ac tertiò in judicio acceptatam, *l. cum antea C. de arbitr.*, & in debilioribus terminis tacitæ acceptationis *Rota in Melevitana seù Portugallien. Commendæ super restitutione in integrum* 16. *Decembris* 1720., & 20, *Junii* 1721. *coram R. P. D. meo de Gamaches*.

2 Non benè autem validitas ab Equite Columna impugnabatur sub obtentu, quod ipse auditus non fuerit, quamvis enim à principio solus Eques Gratianus institerit pro declaratione, utrum provisio intelligenda esset de solo titulo, vel potius etiam de fructuosa possessione; Deindè tamen etiam Eques Columna eidem instantiæ adhæsit, & coram Commissariis, ad eum effectum, deputatis jura sua deduxit, quod satis est, ut ipse inauditus dici nequeat, etiamsi servata non fuerit formalitas citationis, cum ista de stylo Religionis in hujusmodi recursibus servari non soleat, & generaliter ejus defectus opponi nequeat, quando quis comparuit, fuit discussa materia pro qua erat citandus, & succubuit, *Rot. dec.* 302. *nu.* 13. *par.* 17., & *dec.* 495. *n.* 4. *par.* 19. *rec.*

Immeritò etiam magis in controversiam
3 vocabatur justitia dicti decreti, cum enim usque ab anno 1693. convenisset inter Linguam, & Thesaurum, quod hic dimittere non teneretur possessionem, & administrationem Commendarum, nisi postquam integrè fuisset satisfactus de omni, & toto eo, de quo foret, sivè ex causa pensionis à Summo Pontifice impositæ, sivè ratione mortuorii, & vacantis, sivè ex titulo annuarum responsionum ordinario jure communi Ærario debitarum: sivè denique ex capite aliarum quarumlibet expensarum creditor futurus, jam indè sequebatur, quod si de dicto anno 1717. Ærarium Creditor remane-
4 bat scutorum circiter 30. mil., non erat fructuosa Commendarum possessio ab ipso dimittenda, sed Commendatarii contenti esse debebant simplici, & nudo honore Titulorum ad eorum favorem smutitorum, tum quia dicta conventio non sine maturo rei examine inita, & à magno Magistro, & Consilio specialiter approbata, omnino servanda erat, *l. Legem, & tot. tit. Cod. de pact. l. prima §. Convenit ff. depositi, cum aliis in dec.* 316. *n.* 3. *cor. Benincasa*: Tum etiam
5 quia cum Thesaurus inhęrendo mandatis fa. me. Innocentii XII. non aliter assumpsisset obligationem solvendi pensionem super Commenda, tunc nondum divisa reservatam, nisi illa loco pignoris retenta pro ejus indemnitate, & reintegratione, incivile, & injustum fuisset à possessione pignoris, & Commendarum illum deturbare, antequam solidè satisfactus, & reintegratus fuisset *l. fin. Cod. de pignorat. act. l. gregem §. Etiamsi ff. de pignor. Rot. post Salgad. in labyr. decis.* 35. *n.* 30., & *decis.* 422. *cor. Dunozet. Jun.* & *dec.* 129. *n.* 1. *par.* 12. *rec.*

6 Minimè urgente responsione, quod ad formam Capituli 4. dictæ conventionis Titulares ingredi proportionabiliter debuissent fructuosam possessionem Commendarum, statim atque pensio à Pontifice reservata in aliqua ejus parte extingui cœpisset, qui casus jam evenerant ante ann. 1717. per obitum clar. mem. Card. Ferrarii, cujus favore reservata fuerat summa sc. 1900.: ut enim Domini animadvertebant, pactum in eo capite conventum non stat absolutè, & de per se, sed cohærenter ad duas conditiones disertè expressas in capitulis antecedentibus, & in eodem Capitulo 4 non obscurè suppositas; altera nempè, quod Thesaurus jam prius fuisset integrè satisfactus, & altera; quod ultra ejus satisfactionem aliquid etiam singulis annis superfuisset, ex quo cautum illi foret quoad usque tota pensio extingueretur: Si igitur nedum nihil residui annis antecedentibus superfuerat, sed immò fructus longè impares fuerant re-
7 integrando Thesauro, jam quisque planè videt, quod deficiente utraque conditione, etiamsi tota pensio defecisset, factus nihilominus non fuisset locus fructuosæ Titularium possessioni, cum ea sit conditionis natura, ut dispositionem, actumque suspendat quoad usque purificata non fuerit, *l. quibus §. Thermilius, ubi Bart. ff. de cond., & demonstrat. Rot. dec.* 298. *n.* 3. *cor. Priolo*, & *decis.* 1019. *num.* 9. *coram Emerix*, & sæpè alibi.

Tota itaque causę difficultas reduci potuisset ad quæstionem facti, utrum scilicèt The-

Thesaurus integrè satisfactus fuisset, sed in hac parte, postquam Religio, mandatis Rotalibus obsequens, exhibuit hodie notulam *Dati, & Accepti*, cessare statim visa fuit
8 omnis dubietas, & cum ex liquido constet, Thesaurum; contrapositis, ac deductis fructibus perceptis nedum tunc cum Decretum editum fuit, sed etiam hodie, & magis præcisè usque ad totum annum 1721. remansisse creditorem ingentis summæ sc. 12863. monetæ Romanæ: Non est autem ambigendum, quin dictę notulæ deferri debeat, etiamsi jurata non fuerit, quia sufficit, quod partitæ *Dati, & Accepti* in ea descriptę, extractæ fuerint ex libris, & codicibus ipsius Ærarii, & juxtà juratum testimonium plurium Equitum cum iis fideliter conveniant. Quippè quia libri, & codices prædicti plenam ubique faciunt probationem, ut alias de illis dixit *Rota dec. 149. n. 3. par. 5., & decis. 216. n. 7. par 7., & dec. 238. nu. 24. & seqq., & decis. 257. num. 14. cor. Bichio, & Melevitana Bajulivatus 21. Martii* 1718. §. *æquè cor. R̃mo Ravennaten.*

9 Accedente potissimum in eorum comprobationem duplici valdè gravi circumstantia, prima scilicèt, quod ipse Eques Columna jam tunc anno 1717. coram Commissariis ingenuè admittebat, quod Thesaurus adhuc creditor remaneret, restringendo controversiam circa majorem, vel minorem crediti quantitatem; Et secunda, quod cum partitis prædictis mirabiliter consonat Instrumentum locationis utriusque Commendæ conductę anno 1706. à clar. mem. Bajulivo Zondadario, postea magno Magistro pro annua responsione scut. 1966. 80. monetæ Romanę: Undè concurrentibus hisce adminiculis, multò major fides eis illis adhibenda, ut pluribus aliis adductis concordantibus, sequitur *Rota dec. 238. num. 26. coram Bichio*.

Nil autem refert, quod in dicta notula non distinguatur partitę respicientes Commendam Minorem, ab aliis respicientibus Commendam Majorem, quamquamvis Sacr.
10 Tribunal, ut maturius procederet in precedenti causę propositione, demandaverit, quod strictè scriberetur super divisione bonorum; hodie tamen pro constanti habuit, quod divisio secuta anno 1694. afficere quidem possit ipsos Commendatarios, ita quidem, ut si una ex dd. Commendis plus solverit, possit illud ab alia repetere in suo congruo, & particulari judicio, ad ea, quę in similibus terminis firmavit *Rot. post Merlin. de pignor. decis. 127. n. 17. & dec. 1300. n. 2. cor. Emerix, & dec. 260. num. 10. cor.*
11 *Benincasa*, sed non etiam Thesaurum, cui utraque Commenda pignori data fuit, qui enim pignori plures res accepit, non cogitur unam liberare, nisi accepto universo quantum debetur *l. qui pignori 19. ff. de*
12 *pignor.*, & si plures sint debitoris hæredes, & unus suam ratam solvat, non ideò pignus pro eadem rata liberat, sed adhuc totum à creditore retineri, immò vendi potest *l. unus ex multis 16., & ibi Baldus in summa Cod. de pign. distr. Merlin. de pignor. lib. 5. par. 1. to. 1. num. 18., Capon. de pact. tit. de stipul. qu. 7. n. 2. et seq. Rot. dec. 162. nu. 26. par. 6. rec.*

13 Irrito propterea labore Eques Columna, mediante quodam calculo, juxta propriam opinionem confecto super redditibus, & expensis solius Commendæ Minoris ostendere conabatur, quod Thesaurus erat quoad illam plenissimè satisfactus: Ultra quod enim ejusmodi calculus nulli omninò innitebatur legitimo documento, immò verò in partitis introitus plurimum aberrabat ab instrumento dicti affictus; præterea utcumque illa se haberet, Domini ponderabant,
14 quod cum ex eo minimè concludi possit, quod Ærarium reintegratum fuerit de omnibus expensis, pro utraque Commenda factis; hoc unum sufficit, ne aliquam ex eis dimittere teneatur: sive attendi velit indoles, ac natura contractus: sive magis spectari placeat conditio expressè apposita in memorata conventione anni 1693., in qua disertè adeò cautum fuit in *Capit. 1., et 2.*, quod Thesaurus. *Primieramente si soddisfaccia dell' ordinarie responsioni, e della somma della pensione sudetta, poi di tutte l' altre spese, etc.*, ut nulla alia admitti possit interpretatio, juxta vulgatum *Text. in l. ille, aut ille ff. de legat. 3. de quo Rota coram Emerix decis. 1273. num. 5*, & passim alibi.

Atque his ita constabilitis quoad priorem dubii partem, facilis admodum, & plana reddita fuit resolutio posterioris, quod ni-
15 mirum literę Magistrales expeditæ favore D. Equitis Columna sint exequendæ, sed non aliter, quam juxta modum præscriptum in toties dicta conventione anni 1693., quod scilicet ipse gaudere quidem debeat honore Tituli Commendæ Minoris, sed ingredi minimè possit, neque pro parte, neque in totum fructuum illius possessionem, nisi priùs satisfacto integrè Thesauro, sicuti in substantia decretum fuit à Venerando Consilio anno 1717., cum pronunciavit, fructiones sustineri quoad simplices duntaxat titulos, inhærendo in hac parte dictæ antecedenti Conventioni, quę, ut supra firmatum fuit, tanquam lex est servanda: Absque
16 eo quod in hisce terminis locum habere possit assignatio saltem alicujus honestę congruæ, ex iis, quę habentur in *Statuto 10. de Communi Ærario, et in Statut. 7. et 23. de Ecclesia.* Hæc enim Statuta loquuntur de Commendatariis jus habentibus ad fructus,
17 non verò de simplicibus Titularibus; quorum respectu, sicuti cessat supportatio onerum Commendæ, ita quoque deficit ratio, cur congrua assignari debeat, ut in simili respondit *Rota coram Cæsare de Grassis decis. 115. per tot. de præbend., et Dignit., et coram Mantica decis. 255 nu. 1.* Et de facto neque Titulares antecessores, neque moder-

dernus Commendatarius Commendæ majoris congruam istam unquam petierunt.
Et ità utraque &c.

NEAPOLITANA PRIMICERIATUS.

Ven. 11. Decembris 1722.

ARGUMENTUM.

Primicerius in Cœtu Ecclesiastico, cui Officialis nomen sit datum, *Dignitas* appellari non potest; dignitatis enim denominatio, rei Ecclesiasticæ administrationem, simulque præeminentiam, & jurisdictionem præsupponit; neque Apostolica Privilegia sunt allegabilia in quibus *Dignitas* ille appellaretur, quando talis denominatio ex parte tantum supplicantis enunciaretur, quodque vere sit *Dignitas*, vel potius *Officialis* ex collationum enunciativis, & subsequta observantia desumitur.

SUMMARIUM.

1 *Capitulum B. Silvestri Papæ Neapolis nullam habet Dignitatem, sed quatuordecim Canonicos præbendatos, septem Diaconos, totidemque Præsbiteros.*
2 *Officium Primicerii, & Cantoris idem est.*
3 *Dignitas Ecclesiastica, ut talis appellari possit, requiritur facultas administrandi cum jurisdictione perpetua, alias non potest denominari dignitas*, & n.4.
5 *Primicerius Capituli non potest appellari* Dignitas, *etiamsi iste pro suæ intentionis fundamento afferret litteras Apostolicas, ubi talis describeretur, quando hæc denominatio staret ex parte tantum supplicantis*, & nn. 6. & 7.
6 *Papa si sub nomine* Dignitatis *aliquem tractet, non inde sequitur, ut iste in Dignitate dicatur approbatus, neque ei novum Ius ex tali denominatione tribuitur*; amplia, ut in n.7.
7 *Adde, ut tali denominationi de mente Papæ concedentis, semper inesse intelligatur conditio illa* -si nimirum res ita se habeat- sicuti à supplicante supponitur.
8 *Subamplia quando talis enunciativa, sive denominatio incidenter fuisset emissa, neque staret* propter se; *ita ut necesse sit, cum de veritate enunciati personaliter agatur, aliunde illam probare, & quarel* atque amplia, ut in n.10.
9 *Papa non præsumitur incidenter velle immutare statum, & qualitates Beneficiorum.*
10 *Primicerius Capituli non dicitur* Dignitas, *licet ad talem Titulum fuisset collatum, tale Beneficium, quando res judicata adesset, quæ* Dignitatem *non esse declararet*; & nn. 12. & 22.
11 *Amplia, ut ista res judicata statum faciat quoad successores in Primiceriatu.*
13 *Primus Diaconus quod non sit vere* Dignitas, *sed antiquior inter Pares, & primus inter cæteros Canonicos, probatur ex ratificatione in actu Visitationum per eum emissa.*
14 *Sententia etiam si in una parte effectum non habuerit, ob super venientiam rescripti Principis, non inde sequitur, quin in altera illam habere possit, ad quam rescriptum non protenderet*; & vide casum.
15 *Gratia Apostolica salvari potest à subreptione inducta, ex quo in supplicatione fuisset erroneè expositus Primiceriatus uti* Dignitas, *quando, sub motivo quod Primiceriatus semper fuerat* Dignitas *reputatus, sicque per sententiam declaratus id evenisset.*
16 *Amplia si concurreret uniformis observantia ex præsentationibus factis tamquam ad titulum Primicerii, & non dignitatis*, & n.17.
17 *Collectiva facta ab Ordinario indicat, quod Beneficium non sit Ecclesiastica* Dignitas.
18 *Primiceriatus, quod non sit* Dignitas *probatur, ex quo in omnibus Visitationibus, relationibus, & similibus, numquam uti Dignitas denunciata appareret.*
19 *Amplia, si ipsi Primicerii pro tempore sese, non uti* Dignitates, *sed uti Canonicos Præbendatos denominassent, & Hystoricorum opinio etiam concurreret.*
20 *Observantia, & communis reputatio possunt efficere, ut Beneficia, quæ ex primeva institutione* Dignitates *fuissent*; *quatraginta annorum decursu, gradum, & dignitatis nomen amittant*; amplia, ut in n.21.
22 *Primiceriatus de jure non est Ecclesiastica* Dignitas.
23 *Hystorici, qui in errores irrepsisse comperiuntur, non sunt allegandi ad firmandum, utrum Primeceriatus sit vere* Dignitas, *vel ne.*
24 *Testes alienigenæ, & minime informati non admittuntur ad testificandum alienum factum, & ab eorum officio disjunctum.*
25 *Dignitas ex sola aliquali præeminentia sine jurisdictione in Beneficiato esse non dici potest.*
26 *Amplia; si Officialis nomen ei tribueretur.*
27 *Documenta illegalia dici nequeunt ea, quæ fuerunt extracta ex Episcopali, & Sacrarum Urbis Congregationum Archiviis.*

DECISIO MCCCLIV.

INsigne Capitulum Neapolitanæ Ecclesiæ cum in proxima præcedenti hujus Causæ propositione, *alter ex ejus Canonicis, Primicerius nuncupatus*, coadiuvatis probationibus sese ab hoc nostro Tribunali *Dignitatem* declarari obtinuisset; molestè adeò, & gra-

graviter hoc tulit; ut omnem sibi conatum
adhibendum esse statuerit, quo Sacra Rota,
recedendo ab ultimo, rediret ad primo lo-
co decisa; quamobrem summa, & penè in-
credibili contentione perquisitis, extractis-
que Juribus omnibus ad rem facientibus,
tam quæ publicè, quam quæ privatim, & in
Urbe, & *Napoli* à pluribus usque sæculis
recondebantur, causam hodiè reproponi
per Me curavit, tanquam subrogatum in lo-
cum Reverendissimi Ravennaten., sub regu-
lari Dubio -- *An sit standum in primo, vel
secundo loco decisis* -- Et DD. maturè, accu-
rateque ponderatis tum serie Facti novi-
ter expositi, tum quoque fundamentis utrius-
que Decisionis; alterius nempè editæ favo-
re Capituli die 9. mensis Junii 1719.; & al-
terius contrà ipsum die 17. Junii 1720., eius
Votis annuere non dubitarunt, rescribendo
In primo loco decisis.

Ac illud in primis constare in Facto vi-
sum fuit, quantum saltem ex antiquissimis,
documentis, & probatis Historicorum te-
stimoniis erui potuit, Capitulum videlicèt
1 Neapolitanum B. Silvestri Papæ auctoritate
à Constantino Magno fundatum, *nullam à
principio habuisse Dignitatem*; sed quatuor-
decim dumtaxàt Canonicos Præbendatos,
septem Diaconos, ac totidem Præsbyteros,
juxtà veterem illam Ecclesiæ disciplinam,
cujus meminit *Gonzal. in cap. 2. n. 3. de offic.
Archidiaconi*, & latiùs *P. Thomasin. de ve-
teri, & nova Eccles. discipl. par. 1. lib. 2. cap.
3. n. 13., & cap. 71. n. 3., & seq. Vanespen.
in jus Eccles. par. 1. n. 8. cap. 1. n. 5., & seqq.
Francesc. de Eccles. Cathed. cap. 14. nu. 92.*;
quamvis autem incertum sit à quo tempore
unus ex septem Canonicis Presbyteris, *Pri-
micerius denominari* cœperit; illud tamen
æquè *constat*, nullam unquam fuisse eidem
commissam rerum Ecclesiasticarum admini-
strationem cum jurisdictione perpetua; sed
solam incubuisse curam, Antiphonas, &
Hymnos præintonandi, ut Divina Officia
graviter, & ordinate Altissimo persolveren-
tur; sicuti colligitur ex antiquissimo Cœre-
moniale Ecclesiæ Neapolitanæ Gothico cha-
ractere conscripto, & usque ab anno 1615.
in actis Rotæ producto coram bon. me. Da-
masceno; cum quo consonat tum depositio
*Cæremonialis Romani lib. 1. cap. 1. vers. In-
terim Cæremoniarius*, tum quoque censura
2 Sac. Canonum; juxtà quos idem est *Primi-
cerii, & Cantoris Officium*, ut bene adver-
tunt post *Gloss. in rubr. tit. de offic. Primi-
cerii, Barbos. in Jur. Eccles. lib. 1. cap. 28.
n. 6. Gonzal. in cap. unico n. 3. de offic. Pri-
micerii, Thomasin. dicta par. 1. lib. 2. cap. 78.
sub n. 6., & cap. 103. n. 7.*

3 Cum itaque his positis, *Canonicus*, qui
hodiè *Primicerius* nuncupatur, neque spe-
ctata *dispositione Sac. Canonum*, neque atten-
ta lege *Fundationis*, Dignitas propriè dici
possit, dùm per earum neutram facultas illi
facta fuit Bona Ecclesiæ administrandi cum
jurisdictione perpetua, quod est character,
& verum distinctivum *Dignitatis à simpli-
cibus Officiis, Prob. ad Monac. in rubr. de
Præben. in 6. n. 13., & seqq. Pagn. in cap.
Ad hæc de Præben. n. 34. Card. de Luc. de
Benefic. disc. 95. n. 19., & 20., Rot. coram
Priolo dec. 469. n. 15.*, ubi concordantes;
4 jam indè sequitur, ut quatenùs successivis
temporibus se Dignitatis honore auctum
fuisse contendat; id plenè, & concludentèr
probare debeat, vel exhibendo privilegium
expressum, vel ostendendo, quod in Capi-
tulo, & Diæcesi communiter pro Dignita-
te *habitus*, & *reputatus* fuerit; ipseque
pro tali se gesserit spatio longissimi temporis;
alias enim non est à *dispositione Juris*, &
Fundationis lege temere deflectendum,
*Abb. in cap. de multa sub n. 22 vers. Quin-
ta conclusio de Præben, Lotter. de re Bene-
fic. lib. 2. quæst. 33. n. 31. Rot. in recent. de-
cis. 228. n. 2. par. 5., dec. 195. sub n. 23. par.
17., & in Brictinorien. Beneficii 20. Janua-
rii 1717. §. Constito coram R. P. D. Corio.*
5 At vero quod attinet ad *privilegium*, non
benè illud desumi visum fuit ex litteris Apo-
stolicis san. mem. Leonis X., & Clementis
VII., quibus Familiæ de Ianuario ex causa
augumenti dotis reservatum, & respectivè
confirmatum fuit Jusparronatus, & præsen-
tandi ad dictum Primiceriatum; quamvis
enim in dictis litteris enunciatus ille fuerit
pro Dignitate; imò vero pro prima Dignita-
te, & majori post Pontificalem; & insuper
Summi Pontifices derogaverint *regulæ 4.
Cancellar.*, quæ pariter respicit primas Di-
gnitates; cum tamen ejusmodi *enunciativa*
processerint ab *assertione supplicantis*, ut
præclarè indicant verba illa earundem litte-
rarum: *Sanè pro parte dicti Anibalis nobis
nuper exhibita petitio continebat, quod &c.*,
nullum super eis constitui potest juridicum
6 fundamentum; si enim cum Papa, etiam ex
certa scientia, aliquem sub titulo Dignita-
tis, verbo, constitutione, vel litteris nomi-
nat, aut alio quovis modo tractat, non ideò
illum in tali Dignitate approbare intelligi-
tur, aut quidquam ei tribuere novi Juris,
ut expressè cavetur *in Clement. fin. de sent.
excomm.*, ubi communitèr *Gloss.*, & *Scri-
bentes*, & præsertim *Vital. n. 38., & seqq.
& n. 48, & seq Pagn. in cap. Quod Præ-
decessore de Schismat. n. 116., & seq Pacion.
7 de probat. lib. 2. cap. 27. n. 142.* Longè sanè
fortius eadem Juris ratio obtinebit, quando,
prout in casu, Summus Pontifex aliquem
pro Dignitate nominat ex *sola suggestione*,
& insinuatione Supplicantis; cum in his ter-
minis ex mente ipsius Concedentis semper
inesse intelligatur conditio illa, *si nimirum
res ità sit*, quemadmodum à Supponente
supponitur, sicuti ad litteram cavetur *in cap.
Ex par. 2., ubi Gloss. verb. Conditio de Re-
script.*, & alias respondit *Rot. dec. 124. n. 2.,
& seq. cor. Ubald., & dec. 25. n. 5., & dec.
306. n. 10. par. 10. rec.*

Ad hæc accedit, quod Gratia Papæ non
tendebat ad mutandum *statum* Canonicatus
illi

illi à *Fundatione* impressum, eumque tunc erigendum ex simplici officio in Dignitatē; sed solum ad reservandum pro Familia de Januario Jus præsentandi, & Patronatus, unde
8 fit, ut dictæ enunciativæ dicantur *incidentèr* emissæ, & *non propter se*; ità ut omnino necesse sit, cum de veritate enunciari *personaliter* agitur, *aliundè* illam concludenter probare, *Text. est clarus, & apertus in cap. Si Papa de privil. in* 6., & dixit *Rot. coram Cerro dec.* 120. *n.*5., *coram Emerix dec.*307. *n.*4., *&* 5. *& in Hispalen. Primitiarum* 12. *Ianuarii* 1721. §. *Ast hoc coram R.P.D. meo*
9 *de Gamachest* cum Papa nunquam censeatur velle incidenter immutare *statum*, & qualitatem Beneficiorum, *Calderin. cons* 26 *de Præbend., Thomat. dec.*154. *n.*35. *Rot. decis.* 308. *n.* 2. *par* 1., *dec* 236. *n fin. par.* 4. *tom.*1, *& coram Carill. dec.*41. *n.*11., *& decis.* 159. *n.*16., & sepè alibi.

10 Sed omnis in hac parte removeri hodiè videbatur difficultas ex noviter in facto deductis. Perquisitis enim actis illorum temporum, opportunè recognitum fuit, quod postquam Marinus de Januario, qui primus omnium vigore dicti Induiti Leonis ad dictum Primiceriatum præsentatus fuerat, innixus eisdem *enunciativis*, controversiam moverat in hoc nostro Sac. Tribunali super prima Dignitate, ac præcedentia in Choro, & functionibus contrà primum Diaconum, & in *ejus contumaciam* geminas quoque obtinuerat sententias coram Puteo, & Jo: Paulo; devoluta, eo defuncto, Causa coram Mohedano, liteque instaurata à Simeone Gattula in Primiceriatu successore, prodiit anno 1544., scribente pro filio primo Diacono Grammatico Patre non incelebri ejus ætatis Jurisconsulto, *ut in ejus dec.*64., sententia Rotalis, qua, non curatis dd. enunciativis, definitum fuit, *primam Dignitatem, dignioremque locum, et Ius præcedendi in Cathedrali Neapolitana, et Choro illius Primo Diacono, et Canonicis Primis Diaconis in dicta Ecclesia pro tempore existentibus legitimè spectare, et pertinere*; & hæc Sententia subindè transiit in auctoritatem rei judicatæ; imò vero cum viginti circiter post annis in *Synodo, et Visitatione* Jacobus Provensalis tunc Primicerius iterùm petiisset ab Archiepiscopo sibi decerni præcedentiam suprà Primum, & cæteros Diaconos, alia quoque superaccessit Sententia, qua pronunciatum fuit, *obstare Primicerio exceptionem rei judicatæ, et litis finitæ*, & utraque hæc Sententia inserta subindè fuit in actis alterius subsequentis Visitationis anni 1582.

11 His itaque stantibus, in comperto remanet nullo numero haberi posse, nec dictas enunciativas in Indultis Leonis X., & Clementis VII. emissas, nec tres collationes interim factas de dicto Primiceriatu; cum prima, quę prodiit favore Marini de Januario anno 1523. immediate post Indultum, causam litis dederit; alię vero duę posteriores favore Simeonis Gattula, & Provensalis, factæ fuerint lite pendente, & omnes in universum contrà se habeant *duplicem Sententiam, et rem judicatam*; alteram hujus Sac. Tribunalis; & alteram Ordinarii; adversus quas hodiè amplius Primicerio reclamare non licet, ut ad rem firmavit *Rot. dec.*142. *n.* 12. *coram Buratt. dec.*124. *n.* 14. *coram Ottbobon. dec.*239. *n.*3. *coram Benincas.*, cum aliis *in Compostellana Beneficii* 14. *Martii* 1717. §. *Quapropter, et* §. *Porrò, cor. Emo Altbam.*

Minimè urgente responsione illa, cui adhęsit secunda Decisio Causæ, quod nimirum Sententia Mohedani effectum non habuerit, prout colligi dicebatur ex alia Decisione successivè edita occasione alterius litis coram Blanchetto, quæ de stylo Tribunalis est supponenda; quodque ad summum, si quod ex ea argumentum sumi valet, exindè potius resultet, quod tam Primicerius, quàm Primus Diaconus Dignitatis honore fulgerent, dum inter eos contendebatur, uter eorum esset prima Dignitas.

12 Etenim ex documentis hodie *de novo* exhibitis & hæc quoque difficultas cessare in facto visa fuit: Sicuti namque constat ex iis, quæ gesta fuerunt in Capitulo per Cardinalem Alphonsum Carafa congregato anno 1565., Primus Diaconus nunquam contendit se esse *Dignitatem propriè, et strictè sumpta*, sed solum sibi deberi pręcedentiam suprà Primicerium in Choro, & functionibus, tanquam antiquiori, & Primo in Diaconos, qui tunc sedebant à latere dextro Archiepiscopi; cum Primicerius, & reliqui Presbyteri Sedes à sinistro haberent, juxtà antiquissimum illius Ecclesiæ morem; qui tum à Sacra Rota coram Mohedano, tum quoque à dicto Cardinali Archiepiscopo approbatus, & confirmatus fuit, *Primicerio contradicente*, mediantibus illis duabus Sententiis in rem judicatam transactis, quarum supra meminimus, & quæ postea productę, & insertę fuerunt in actis alterius Visitatio-
13 nis anni 1582., in qua iterum Primus Diaconus ingenuè fassus fuit, quod qui prior inter Canonicos Diaconos Præbendatos asse-cutus fuerat possessionem Canonicatus, is dicebatur Primus Diaconus, & ratione antianitatis optabat primam sedem à dexteris Archiepiscopi. Quo quidem nil clarius exprimi poterat ad explicandum, quod ipse non erat propriè, & verè Dignitas, sed *antiquior inter pares, & Primus inter cæteros Canonicos*, qui abusivè, & impropriè dicuntur quoque Dignitates, & de facto in Ecclesia Neapolitana Cardinales vocabantur, ad *Text. in cap. Statutum* 11. *de Rescript. in.*6., *& in cap. Quamvis de Prebend. in* 6., *Ludovic. Gomez in dicto cap. Statutum n.* 24. *Paris. de Resign. lib.*2. *quæst.*1. *n.* 101. *Lotter. dicto l.b.* 3. *quęst.* 5. *n* 10. *Corrad. in prax. Benefic. lib.*5. *cap.* 5. *n.*30. *Rot. in Augustana Summæ Custodiæ super secundis Litteris* 15. *Maii* 1716. §. *Tum etiam, cor. R. P.D. meo*

meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore.

Cæterùm, ex quo in alia Causa subindè agitata coram Blanchetto inter Familiam
14 de Januario, & Promotorem Fiscalem, non satis tunc constare dictum fuerit de effectu Sententiæ Mohedani, non benè hodiè infertur, quod dicta Sententia effectum re vera non habuerit; dum ex aliis documentis, quæ tunc forte exhibita non fuerunt, certissimum hodie redditur, quod illa plenum effectum habuit usque ad annum 1601., quo Card. Jesualtus Archiepiscopus ex auctoritate, & decreto San. Congregationis Rituum, specialiter confirmato per Breve fa. me. Clementis VIII., antiquum sistema Chori immutavit, translatisque Primo, & cæteris Diaconis ad latus sinistrum, sedere à dexteris jussit Primicerium, ac reliquos Canonicos Presbyteros in eisdem sedibus, quas usque eo temporis occupaverant Primus, & cæteri Diaconi; unde licet hodiè dici valeat, quod cessaverit in hac parte effectus Sententiæ Mohedani; non tamen etiam subsistineri potest, quod defecerit in alia, in qua sublata fuit vis omnis, & efficacia *enunciativarum*, quæ in Indulto Leonis X., & Clementis VII. irrepserant. Cum imò sumpta exindè per Promotorem Fiscalem occasione impugnandi præservationem d. Jurispatronatus, tanquam obtentam sub falsa narrativa, quod Primiceriatus esset Digni-
15 tas in Capitulo major post Pontificalem, non alio medio salvari tunc potuerit Gratia Apostolica à vitio obreptionis, quam dicendo, quod Primicerius usque ad annum 1539. habitus, & reputatus fuerat, uti Prima Dignitas, atque talis declaratus in duabus precedentibus Sententiis Putei, & Jo: Pauli, prout latius recognitum fuit ex allegationibus in ea Causa tunc distributis, & ex ipsa Decisione coram Blanchetto.

16 Sed clariùs etiam hanc veritatem ostendit subsecuta uniformis *Observantia* supra centum & quinquaginta annos jugiter continuata. In primis enim, postquam lata fuit sententia Mohedani, Patroni ipsi (quod utique valde notandum est) licèt in tribus præcedentibus vacationibus præsentare consuevissent ad Primiceriatum tanquam *ad primam Dignitatem*, immutata deinde forma nominandi, semper in posterum præsentarunt, tanquam *ad Canonicatum prebendatum Primiceriatum nuncupatum*, & non ampliùs tanquam ad *Dignitatem*, ac longe minus tanquam *ad primam Dignitatem*. Et cohærenter ad hujusmodi præsentationes, factæ eodem modo fuerunt *Collationes*, & *Provisiones* pro tempore tam ab Ordinario, quàm
17 à Sede Apostolica. Harum autem *Præsentationum*, *Collationum*, & *Provisionum*, quanta sit in hujusmodi controversiis efficacia, & virtus, nemo est qui ignoret, & firmat in specie *Rot.cor. Priolo dec.*469. *n.*4. & *seq.*, & *n.*16., & *dec.*197. *n.*20. & *seq.p.*17. *rec.*
18 Præterea in omnibus *Visitationibus* factis ab Archiepiscopis, in omnibus *Relationibus* ab eisdem transmissis ad Sanctam Sedem super *STATU ECCLESIÆ NEAP.*, & maxime in illa Anibalis de Capua, qui statum totius Diœcesis quàm diligentissimè perquisivit, semper dictum, & affirmatum fuit, quod in *CAPITULO DICTÆ ECCLESIÆ, NULLA ADERAT DIGNITAS*, semperque tam in iis, quàm in pluribus aliis, tum, *publicis Actibus*, & *Instrumentis*, tum *litteris Apostolicis*; tum quoque *Diariis Magistrorum Cæremoniarum*, Primicerius connumeratus fuit inter alios Canonicos Præbendatos. Ipsi in-
19 super Primicerii se, non uti Dignitates, sed uti Canonicos Præbendatos denominarunt, imo vero alter ex eis Pompeius de Januario anno 1601. obtinuit signari commissionem contra Canonicum primum Diaconum, ad hoc, ut declararetur, quod in Ecclesia Neapolitana nulla aderat Dignitas; & denique idipsum testati fuerunt *Grammatic.*, & *Corrad.*, *plures Cronici*, & *Historici*, pluresque etiam Canonici in alia causa Neapolitana Cimiliarcatus coram Damasceno, coram quo pro certo, & constanti habitum fuit, nullam in toto Capitulo adesse Dignitatem, ut colligitur ex allegatione Lotterii, qui scripsit in causa.

Hinc igitur Domini bene hodie concludebant, quod nedum Primicerio suffragari non poterant *Enunciativæ* emissæ in Indulto Leonis X., & Clementis VII., ex quo contra eas militabat *duplex Res judicata* in hac parte semper observata; sed imo, quatenus etiam dici posset, quod Primicerius earum virtute auctus tunc fuisset gradu, & honore veræ Dignitatis, vel saltem, quod illæ deservire valeant loco justæ probationis, quod Primiceriatus eo tempore pro prima Dignitate haberetur, in quo sensu videtur eos accepisse, *Rot. in d. Decisione cor. Blanchetto*. Adhuc nihilominus *à gradu*, & *honore* isto decidisse propter continuam *Observantiam* spatii longissimi, & immemorabilis temporis centum, & quinquaginta circiter anno-
20 rum continuatam; quandoquidem si verum est, prout nemo certè dubitat, quod *communis reputatio*, & *observantia* efficere potest, ut ea, quæ ex primæva institutione, aut de jure est Dignitas, prout Archidiaconus, & Archipresbyter, solo 40. annorum decursu, gradum, & nomen Dignitatis amittat, juxta doctrinam *Innocentii in cap. De multa, sub n.*6 *de Præbend.*, quam sequitur ibidem *Hostien. n.*9., aliisque antiquioribus relatis, *Faguan. in cap. Ad hæc n.*45., & *seqq. de Præbend. Paris. de resign. lib.*2. *q.*1. *n.*83, *Barbos. de Canon. cap.*4. *n.*9., *Panimoll. dec.* 1. *annot.* 6, *n.*14., & in terminis Capituli Neapolitani, *Rot. cor. Bich. decis.*
21 312.; longè sanè fortius eadem *communis Reputatio*, & *Observantia* hunc effectum operabitur, quando, prout in casu, memoriam hominum multò excedit, convenitque non minus cum primæva Beneficii *Institutione*, quàm cum *dispositione*, & *censura* Sac.

22 *Sac. Canonum*, ut in præcisis terminis Pri-
micerii, qui de jure non habet nomen Di-
gnitatis, advertunt *Alex. consil.77. num.5.
lib.2.*, *Pacion. de probat. lib.2. cap.27. nu.
47. & 52.*, *Michael. Ferr. de præc. Eccles.
q.30.n.3.*, *Barbos. de Jur. Eccles. lib.1. cap.21.
num.34.*

Minimè obstantibus, aut testimonio duo-
rum Historicorum Caroli de Leliis, &
Chioccarelli, aut depositionibus quorun-
dam Testium fide, & conditione probato-
rum asserentium, Primiceriatum esse Di-
gnitatem, aut demum, quod Primicerius
gaudeat in Capitulo quibusdam prærogati-
vis, & præeminentiis, quibus destituti sunt
23 cæteri Canonici; quod enim ad Historicos,
& Testes attinet, cum illi *in plures alios er-
rores incidisse* comperiantur, isti verò sint
24 *extranei, alienigenæ, & minimè informa-
ti*, imo etiam quidam ex eis sese *retracta-
verint*, visi sunt contraponi non posse tot
documentis ab *Archiepiscopis* pro tempo-
re, à cæteris *Canonicis*, à *Patronis* ipsis,
imo quoque ab ipsis *Primiceriis* proficis-
centibus, cum horum nemo in re propria,
aut ad ejus officium spectante, & in qua quo-
tidie versabatur, deceptus censeri possit.
Quod verò spectat ad præeminentias, &
prærogativas singillatim enumeratas in utra-
que præcedenti Decisione, cum Capitulum
Et hodie, & semper negaverit illis frui Pri-
micerium, substinendo in specie *Functiones
Pontificales absente, vel impedito Archie-
piscopo celebrari per Turnum* à septem Ca-
nonicis Presbyteris, Cardinalibus nuncupa-
tis, juxta mentem Sacræ Congregationis
Rituum, eidem Capitulo significatam à clar.
mem. Card. AQUAVIVA per quamdam
ejus epistolam hodie *originaliter* sub
oculis DD. exhibitam. Itemque primum
stallum cum reliquis præeminentiis ab eo
dependentibus, occupari à Primicerio con-
tra dispositionem Brevis san. mem. Clemen-
tis VIII. ex sola urbanitate Capituli ita
semper *protestantis*; Domini propterea
maturè, de more procedentes, ne circa hu-
jusmodi particulares prærogativas Jura Par-
tium læsa incidenter remaneant, nihil certi
super eorum subsistentia statuere voluerunt;
25 cum ad effectum, de quo agitur, exubera-
re visa fuerit responsio illa, quod nempe,
ut aliquis verè, & propriè Dignitas dici pos-
sit, sola aliqualis præeminentia non sufficit
sine jurisdictione, *Aretin. consil.23. n.5.*, *Pa-
cion. de prob. lib.2. cap.27. n.23.*, *Barbos. de
Canon. cap.4. n.21.*, *Pavimoll. dec.1. ann.6.
n.19. & 26.*, & in specie Capituli Neapolita-
ni, *Corrad. in prax. dispens. lib.9. cap.3.
sub n.5.*, *Rot. post Tambur. de jur. Abbat.
26 dec.7. n.1.*, & multò minus sufficit, quando
prærogativæ hujusmodi resident in eo, qui
de jure habet nomen *Officii*, non *Dignita-
tis*, & quando is pro Dignitate in Ecclesia
non *reputatur*, *Geminian. in cap.1. n.8. de
Consuetud.*, *Fagn. in d. cap. Ad hæc n.45. de
Præben. Barbos. de Jur. Eccles. dict. cap.21.
n.26. & 33.*, *Pignatell. consul.36. n.16. tom.
4.*, *Rot. post Tambur. tom.3. dec.14. n.5.*, qui
omnes in specie præsertim agunt de præce-
dentia in Choro, & Sessionibus, recipienda
thurificatione, & similibus.

27 Super iis, quæ dicebantur circa *illegali-
tatem* documentorum, DD. immorandum
esse non censuerunt; cum jura producta
partim extracta fuerint à Cancellario Ma-
jori Curiæ Archiepiscopalis, partim ab Ar-
chivio Sac. Congregationis Episcoporum,
& Regularium, Concilii, & Rituum, par-
tim à Secretaria Brevium Apostolicorum;
& alia denique perpauca, dimissa fuerint
originaliter penes acta Sacræ Rotæ; unde
nihil deesse visum fuit eorum *legalitati*, ut
aliàs dixit *Rot. dec.33. p.3. rec.*

Et ita *suffragantibus unà mecum omnibus Dominis*, resolutum fuit, *Standum esse in primo loco decisis*; Capitulo quidem jura sua latè deducente, Primicerio autem excipiente dumtaxat de illegalitate documentorum, & petente per memoriale *Compulsoriam generalem*, quæ tamen visa fuit minimè oportere concedi.

ROMANA, SEU PORTUEN. TENUTARUM QUOAD PALUM.

Lunæ 11. Januarii 1723.

Præsens decisio est confirmatoria alterius sub die 17. Aprilis 1722. emanatæ, ubi fusius habes.

ARGUMENTUM.

Controversorum prædiorum identitas ex instrumentorum enunciativis inter tertias personas initorum convincitur, sicuti è contra ex generica confinium denominatione probata non remanet, cum specificæ, atque individuæ istorum designationes, & terminationes requirantur; ac in uno, eodemque vocabulo plura inter se diversa prædia possint includi; & reliqua secum fert præsens.

SUMMARIUM.

1 *Actor dicitur ille, qui jure dominii rem de manibus alterius sibi curat vindicare, & e contra reus dicitur, qui ab illo in sua possessione perturbatur.*

2 *Desertio litis super excessu exequtionis non obstat agenti ad recuperationem bonorum, quando per aliam viam nempè per admissionem ad purgationem moræ eadem bona recuperasset.*

3 *Judicii antiqui prosequtio non infertur ex facultate illud prosequendi, aut ex quo novum dubium disputatum non fuerit, quando judicium promotum sub illo antiquo cadere debuisset, vel fuisset idem*; & vide casum.

4 *Decisio Rotæ inducit præsumptionem boni juris.*

juris, & incidenter non est revocanda.

5 *Appellatio facit, ut sententia allegabilis non sit contra appellantem.*

6 *Diversitas inter unam, & alteram litem resultat ex quo in uno Judicio de exequtionis excessu ageretur, & in altero à domino directo peteretur devolutio, ob finitam lineam investitorum.*

7 *Devolutio, ut habeat locum, agens ad eam tenetur probare confinia rei emphytheuticæ per distinctas, & æque concludentes demonstrationes*; amplia, ut io n. 8.

9 *Quantitas prædii emphytheutici, quod sit quarta pars totius Castri non convincitur ex instrumentis investiturarum præseferentibus, illud esse quartam partem tenutæ ejusdem Castri*; & vide casû, ac amplia, ut in nn. 10. 11., & 13.

11 *Confines certi fundi non probantur ex generali regionis, seu contradæ denominatione, cum speciales dicti generalis vocabuli confines sint inspiciendi*, & nu. 12.

14 *Actus, à quo quis jus metitur, plurimi faciendus est.*

15 *Confines non probantur ex enunciativis instrumentorum inter se discordantium, sed standum est Instrumento, quod partium facto adhæreret, præsertim si esset Principis auctoritate roboratum.*

16 *Confines antiqui ut designati possunt etiam probari ex enunciativis Instrumentorum inter tertios initorum.*

17 *Quantitas prædii emphytheutici probatur ex Instrumentis investiturarum antiquitus initis, atque ex plantis de illo constructis*; amplia, ut in num. 18.

18 *Jura producta contra producentem plenè probant.*

19. *Identitas prædii non destruitur per hoc, quod in designatione confinium fuisset omissa vocatio confinis invariabilis, qualis est via publica, si ex aliis præponderantibus probationibus illa descenderet*; intellige, ut in num. 20.

DECISIO MCCCLV.

COllegium Germanicum, & Ungaricum Urbis ex munificentia, & largitione san. memor. Gregorii XIII. Dominus directus cujusdam Tenutæ vulgo denominatæ *il Quarticciolo di Palo*, quamvis hodie ultro fateretur non fuisse in Emphyteusim concessam quotam aliquam pro indiviso Tenimenti Pali, sed certum fundum proprio nomine distinctum, propriisque limitibus circumscriptum, & materialiter separatum à contermiois bonis allodialibus, iodeque etiam admitteret non posse amplius in causa procedi cum arbitrario temperamento, cum quo processum fuerat coram bon. mem. Ansaldo; ad effectum tamen evertendi fundamenta resolutionis captæ coram Me sub die 17. Aprilis 1722., enixè, firmiterque sustinebat intra limites dicti fundi emphiteutici contineri debere quartam partem geometricam totius dicti tenimenti, itaut meridiem versus Maris litus includeret, adducens in probationem hujus assumpti geminas investituras annorum 1521., & 1551., nec non possessionem alias captam à Card. Cybo, anno 1543.: verum his non obstantibus Domini responderunt *Standum esse in decisis.*

1 Iterum namque pro certo, & constanti habitum fuit non posse in hoc judicio Collegium alias, quàm Actoris partes, & personam assumere. Possidente enim D. Duce Balthaxare fuodum controversum singulari titulo deliberationis jamdiu, & dum adhuc in humanis esset clar. mem. Dux Flavius Ursinus, ex Decreto Congregationis Baronum expletæ favore Principis Don Livii Odescalchi ejus Auctoris. Si hodie Collegium jure dominii eumdem fundum ab illius manibus vindicare intendit, clarius est quàm quod dicendo exprimi valeat, non posse ab eo aliam, quàm Actoris personam assumi, quippè quia Dominus Dux nihil petit à Collegio, sed Collegium petit à Duce, qui solùm ad suam possessionem tuendam totus est, & laborat in actione, & petitione Collegii elidenda: Textus est litteratis, & apertus in § *Æque Instit. de act.* ibi - *Is agit, qui non possidet; Ei verò qui possidet non est actio prodita per quam neget rem actoris esse.* Et consonat alius *Tex. in cap. forus de verb. sign.*, ubi is à quo res petitur non est Actor, sed Reus *cum concordan. adductis in Decisione, quæ revidetur §. Quamvis igitur.*

2 Minimè subsistente responsione illa, quod præsens lis sit prosequutio alterius, quæ jamdiu mota fuit à memorato Duce Flavio super excessu exequutionis mandati de associando per Collegium obtenti ob Canones non solutos, dum illa post editam Decisionem coram bon. memor. Emerix inter ejus impressas in 1686. in suspenso relicta fuit, & Dominus Dux Balthaxar, sive Princeps D. Livius ejus Auctor subinde eam reassumpsit, instando in Rota coram bon. mem. Ansaldo pro recessu à decisis: quoniam quidquid sit, an dicta antiqua lis super excessu in suspenso remanserit, vel potius habita fuerit à Duce Flavio pro deserta, & derelicta semel ac admissus à nostro Tribunali ad beneficium purgationis moræ recuperavit hoc medio integram possessionem bonorum omnium, super quibus consumatum fuerat mandatum de associando, atque ita restitutus in eum statum in quo reperiebatur ante executionem dicti mandati, opus amplius non habuit prosequi dictam litem super excessu, quæ cum non alio principaliter tenderet, quàm ad recuperandam partem dictorum bonorum, inutilis prorsus remansit, postquam alio medio non eam solùm partem, sed omnia dicta bona consequutus fuerat, ut ponderat mea præcedens Decisio §. *Frustra*,

Quidquid, inquam, de hoc sit, Domini pro remotione objecti animadverterunt difficultatem non consistere in eo, utrum videlicet

licet d. antiqua lis super excessu deserta
3 fuerit, vel in suspenso relicta. Esto enim ad sensum Collegii, quod illa relicta fuerit in suspenso, nihil ultra exinde inferri potest, nisi quod hæres Ducis Flavii ad affectum restitutionis fructuum, & emendationis damni passi propter excessum; & Dominus Dux Odescalchus pro suo interesse potuisset illam contra Collegium quandocumque instaurare; sed ex hac facultate, & potentia, nec sequitur, nec argui potest, quod Dominus Dux eam litem de facto prosequutus fuerit, & reassumpserit coram bon. memor. Ansaldo, in quo stat punctus, & cardo difficultatis. Ad hoc enim probandum nihil confert, quod coram d. bon. mem. Ansaldo non fuerit disputatum dubium aliquod originale complexivum novæ actionis Collegii, sed an esset standum, vel recedendum à Decisis coram bon. mem. Emerix: ut namque responsum jam fuit in Decisione, quæ revidetur cum in dicta Decisione 1086. coram Emerix ad effectum recognoscendi prætensum excessum actum fuisset de Confinibus fundi Emphiteutici; illa necessariò revidenda erat sub dicto dubio, etiamsi ageretur de novo, & omnino distincto judicio, & non amplius ad effectum recognoscendi excessum, sed bene quidem ad alium admittendæ devolutionis ob lineam finitam, cum
4 juxta notissimum stylum Sacri hujus Tribunalis non possint Decisiones incidenter revocari, *Rot. cor. Corcin. dec. 115. num. 1., & cor. Arguell. dec. 18. nu. 13., & alibi sæpè;*
5 Prout etiam nihil conferunt enunciativæ emissæ in sententia per eumdem bon. mem. Ansaldum successivè prolata, quia cum Dominus Dux ab ea solemniter appellaverit, effectu, & beneficio appellationis fraudaretur, si in hac ulteriori instantia posset dicta Sententia contra ipsum allegari, ut cæteris omissis dixit in puncto *Rot. dec. 245. n. 12. & 13. p. 8. rec.*

Cæterum quod præsens lis non sit prosequutio alterius super excessu, sed ab ea prorsus distincta, ac diversa, nedum evincitur, ex quo causa, quæ modo agitur commissa fuit ex audientia Sanctissimi cum clausula, *tamquam in prima*. Sed manifestò etiam comprobatur ex palmari, & evidenti diversitate, quæ inter utrumque judicium
6 intercedit. In illo enim Dux Flavius spoliatus possessione bonorum ob Canones non solutos, agebat ad recuperandam illorum partem sub fundamento, quod Collegium excessisset in exequutione mandati de associando. In isto autem ex opposito Dominus Dux quietus, & pacificus à pluribus annis possessor omnium controversorum bonorum ex titulo singulari emptionis, seu deliberationis, nec de excessu queritur, nec quidquam omnino sibi à Collegio deberi prætendit, sed ex diverso Collegium ob finitam lineam investitorum eadem bona vindicare satagit è manibus Domini Ducis, tamquam ad ejus proprietatem directo dominii jure pertinentia; unde in tanta actionis, & causæ diversitate, nemo statim non videt, quantum lis, quæ modo agitur, differat, ac diversa sit ab antiqua *l. cum quæritur 12. ff. de excep. rei jud., & tot. tit. C. quibus res jud. non nocet.*

Hoc igitur pro constanti, & per modum certissimi præliminaris supposito, facilis admodum, & plana reddita fuit resolutio cau-
7 sæ contra Collegium. Cum enim documenta per ipsum adducta ad probandum confinia, & certam mensuram fundi Emphiteutici sint minus concludentia, incerta, & æquivoca, & magis etiam confundantur ab aliis pro parte Domini Ducis in contrarium exhibitis, necessariò consequitur, ut secundùm ipsum judicari non possit, cum generalis illa juris regula, quod Actore non probante reus absolvi debeat, speciali quadam ratione diligentius custodienda sit, cum
8 quis non ad consequutionem Laudemii, aut Canonum, sed ad rem ipsam agit jure directi dominii ex capite devolutionis vindicandam, ut pluribus adductis concordantibus firmavit *Rot. in Romana Canonum 13. Martii 1722. §. Quamvis enim cor. Me.*
9 Et sanè minus concludens, incerta, & æquivoca visa est probatio desumpta ex geminis antiquis investituris annorum 1521., & 1551., & ab actu possessionis, quæ dicitur capta à Cardinali Cybo anno 1543; quamvis enim Collegium sibi suaderet certum ex iis oriri argumentum, quod fundus emphiteuticus implere, & æquare debeat quartam partem geometricam totius tenimenti Pali meridiem versus mare ipsum attingentem; ea tamen ad litteram sedulò, maturèque examinata tale quid concludere minimè videbantur, si enim sermo est de antiquiori investitura anni 1521., aut motu proprio san. mem. Pauli III., qui anno 1546. illam confirmavit, & possessione interim capta à Card. Cybo anno 1543., sicuti in nullo ex hisce documentis exprimitur quarta pars totius tenimenti Pali, sed solùm *quarta pars Tenutæ Castri diruti Pali communiter appellati il Quarticciolo di Palo juxta suos fines sit: & confinat*; ita nullum ex eis trahi potest argumentum, quod fundus emphiteuticus implere debeat quartam partem geometricam totius tenimenti Pali, tum quia Tenuta, quæ tunc temporis dicebatur Castri diruti Pali potuit esse minoris capacitatis, quàm sit hodie universum tenimentum Pali, imo potuit esse ab isto prorsus distincta, ac diversa, sicuti non obscurè colligitur, ex quo spatium illud, quod est inter viam Romanam, & mare, tunc vulgo compellebatur Tenimentum, sive campus maris, quemadmodum constat ex antiquissimis Testibus examinatis in alia causa coram bonæ mem. Seraphino, & ex quo jam tunc prope mare extructum fuerat Fortallitium, usque ad hæc nostra tempora insigne sub nomine Arcis Pali, & duobus ferè passuum millibus distans à ruderibus, & cæmentis antiqui Castri,

stri, quæ etiam hodie prope viam Romanam conspiciuntur, prout latiùs animadversum fuit in præcedenti mea decisione §. *Pari modo*, & §. *His accedit*.

10 Tum, & fortiùs quia quatenùs etiam tenuta Castri diruti Pali fuerit eadem, atque ejusdem capacitatis, & extentionis, cujus est hodie tenimentum Pali; nihilominus pars in emphiteusim concessa potuit esse minoris capacitatis integra quarta parte Geometrica dictæ tenutæ; cum generalis illa denominatio quartæ partis continuò, & statim restricta fuerit ad magis specialem ibi -- *Communiter appellatur lo Quarticciolo di Palo juxta suos fines situm, & confinatum*, quæ sane postrema verba satis clarè ostendunt, quod fundus Emphitheuticus, non erat integra quarta pars Geometrica, sed *Quarticciolo* comprehensum quidem, & situm intra dictam quartam partem tamquam sub generali denominatione, & intra fines generales, sed una simul habens suam particularem denominationem, suosque speciales, ac magis distinctos, & restrictos confines, prout quoque in eodem motu proprio fan. mem. Pauli III. practicatum fuit res-

11 pectu Quarti *di S. Sovo*. Quamobrem sicuti incongruum esset ex generali denominatione regionis, seu Contradæ adhibita in designatione certi fundi contendere, quod talis fundus eo usque extendi debeat, quo dicta regio, seu contrada diffunditur; ita pariter ex generali denominatione quartæ partis tenutæ Castri diruti Pali adhibita in designatione Quarticcioli, vanum est, & incongruum asserere, quod dictum Quarticciolum integram quartam partem occupare, &

12 implere debeat, cum ad hunc effectum certa, & indubitata sit regula, quod non confines, & denominatio generalis, sed denominatio, & confines speciales inspiciendi, atque attendendi sint, *Gratian. discept.* 790. *n.*4., & *seqq.*, *Rota cor. Seraphin. decis.* 804. *n.*5., & *cor. Buratt. dec.*132 *n.*5., & *in rec. dec* 198.*n.*3. & 4. *p.*8., & *dec.*406. *num.*4., & *seqq. p.*18., ubi plures concordantes

Incerta similiter, æquivoca, & minùs concludens comperta fuit probatio desumpta ab alia investitura anni 1551.; quatenus enim ista inducitur ad effectum suadendi, quod Quarticciolum Pali æquare debeat quartam partem totius tenimenti, nedum nihil Collegio suffragatur, sed potius contra ipsum retorquetur; quippe quia in illa nedum expressa non fuit quarta pars totius tenimenti Pali, sed neque etiam quarta pars tenutæ Castri diruti Pali, sicuti dictum fue-

13 rat in prima. In hac enim secunda investitura facta in executionem concordiæ inter partes initæ, & à Summo Pontifice specialiter approbatæ, non amplius quarta pars, sed præcisè in Emphyteusim concessa fuit tenuta Quarticcioli, ibi -- *Concessit &c. dictas duas tenutas appellatas lo Quarticciolo di Palo, e Vicarello*, sive in hac parte novando priorem investituram, ut dixit *Card, de Luc. tunc scribens in causa de alien. disc.*14. *n.*1., *Rot. dec.* 1139. *n.*13., & 1188. *n* 4. *cor. Emerix*, & *cor. Card. Cerro dec.*860. *nu.*2., sive eam melius, & magis distinctè explicando, ut animadversum fuit in mea præcedenti decisione §. *Quod autem*. Abindè autem citra quoties incidit sermo super hujusmodi tenuta numquam amplius designata fuit sub generali nomine quartæ partis, sed semper sub ejus propria, ac diminuta denominatione *del Quarticciolo*, prout signanter servatum fuit cum san: me: Gregorius XIII. jure uninnis hunc fundum Quarticcioli Pali una cum aliis tribus fundis pariter vectigalibus Abbatiæ SS Andreæ, & Sabæ Collegio Germanico concessit, juxta verba ad litteram transcripta in dicta mea præcedenti

14 decisione § *Denique*, qui sanè actus, quod ad Collegium attinet plurimi faciendus est cum ab eo jus suum unice dimetiatur, sicuti ponderatum fuit eodem §. *Denique in fine*.

Quatenus autem dicta posterior investitura adducitur ad effectum ostendendi, quod mare sit unum ex confinibus fundi Emphytheutici, ex quo in instrumento alligato in Protocollo Sebastiani Pasquetri ipsum mare expressim legitur inter ceteros dicti fundi confines; & jam satis responsum fuit in *decisione quæ revidetur*, quod nullum super eo certum fundamentum constitui potest, cum in alio instrumento ejusdem investituræ inserto in litteris Apostolicis san. mem. Julii III. non legatur mare, sed tenimentum maris, quod erat fundus hujus nominis in tenimento Pali à via consulari ad mare se-

15 protendens; ut proinde, vel nulla de dictis instrumentis inter se adeo discordibus ratio habenda veniat, vel potius deserendum sit secundo, tamquam unanimi consensu Partium, & Supremi Principis auctoritate roborato, ac aliàs in Rota producto, & per Collegium minime impugnato, ut licèt recognoscere ex *decisione* 860. *sub n* 2. *coram Card. Cerro*.

Sepositis igitur hisce documentis tamquã minimè concludentibus, qui sint veri confines, & quæ præcisa quantitas, & extensio fundi Emphytheutici, & consequenter seposita etiam Planta, & relatione Rotundi Agrimensoris judicium suum fundantis in dictis incertis, & æquivocis documentis, Domini etiam hodie transierunt cum sensu præcedentis decisionis, quod nempe controversa tenuta Emphytheutica denominata *il Quarticciolo di Palo* minime extendi posset usque ad mare, cum Collegium ejusmodi extensionem ceteroquin capientem insignem Terreni quantitatem nullo modo probet; &

16 ex diverso Dominus Dux licèt reus, & possessor nedum illam positivè excludat, ex tot publicis instrumentis in dicta mea decisione singillatim recensitis, quæ tametsi inter alios acta, nihilominus cum sint antiquissima, pro luce veritatis in hac difficili confinium materia etiam contra tertium habentur *Mans. conf.*681. *num.*51., *Kuichen. de jure Territ. cap.*3.

cap.3. num.17, *Zaul. ad Stat.*, *Faven. lib.3.*
rub.37. n.15. tom.1., *R.t. dec.* 520. *n.43. &*
44. p.14 rec.
17 Verum præterea partes Collegii supplen-
do per liquidas, & omnino certas proba-
probationes ostendat controversam tenutam
emphyteuticam excedere non posse mensu-
ram rubrorum 65. aut 70., & sic omnino opus
esse, ut meridiem versus finiatur, ac termi-
netur à via consulari magnis lapidibus strata
qua ab Urbe iter est ad Civitatem Centum
Cellarum; cum ita ad evidentiam suadeant,
tam antiquum instrumentum anni 1577., in
quo Virginius Ursinus emphyteuta occasio-
ne venditionis herbarum *del Quarticciolo di
Palo* expresse addidit, *e se li mantiene per
rubbia* 65. Tum, & certiùs dimensio, & plan-
ta usque ab anno 1650. publicè confecta de
mandato san. mem. Alexandri VII. à Cura-
toribus Viarum, & coarctans eamdem te-
18 nutam *del Quarticciolo ad rubr.* 70., quæ
utique à Collegio impugnari nequit nedum,
quia authoritatem suscipit ex mandato Prin-
cipis, verùm etiam quia ab eodem Collegio
producta fuit, & sic contra producentem
plenissimè probat *Rot. cor. Pamphil. dec.* 225.
n.5., & *dec.70. n.15. p.15.*, & *dec.* 174. *num.*19.
p.17 rec.
19 Nil turbante, quod si tenuta Quarticcioli
terminaretur à via consulari, hæc expressa
fuisset tamquam confinis invariabilis in dictis
geminis investituris; ultra quod enim omissa
designatio viæ tollere nequit certitudinem
corporis resultantem ex tot aliis supra re-
censitis documentis, & multò minùs effice-
cere quod fundus Emphytheuticus non ex-
cedens, juxta plantam publica auctoritate
confectam rubra 70. circiter, augeatur, &
crescat ad rubra fermè 200., ut in proposito
advertit *Cyrіac. contr.* 192 *sub n.* 8.; cessat
penitus objectum, quia cum eidem viæ im-
mediatè adhæreat tenimentum Pali, idem
est tenimentum, ac viam ipsam illi cohæ-
rentem pro confine expressisse; quinimo cum
via longissimo tractu tam citra, quàm ultra
Quarticciolum etiam in alia Territoria de-
currat, magis congruum, & opportunum
fuit illius loco pro confine exprimere teni-
mentum Pali à parte Cerveteris æque ac ip-
20 sum Quarticciolum decurrens, ut aliàs in
simili notavit *Card. de Luc. de regal. disc.* 136.
n.20., *Rot. cor. Seraphin. dec.* 1137. *n.2.*, &
in rec. dec 295. *num.*8. & 9. *p.1.*, & *dec.* 258.
n.11. p.5., & *cor. Emer. dec* 617. *num* 4., & *in
Farfen. Pecuniaria* 31. *Januarii* 1718. §. *De
Testibus cor. R.P. D. meo Falconerio Urbis
Gubernatore*, & de facto ita quoque è con-
verso servatum fuit cum Paulus Jordanus
Ursinus anno 1573. tenutam allodialem Pali
cum pacto redimendi vendidit Card. Farne-
sio, ea namque occasione cum visum fuerit
non sufficere pro uno ex confinibus dictæ
Tenutæ allodialis exprimere solummodo
viam publicam, fuit una simul cum ipsa ex-
pressum pro confini magis certo, & univoco
ipsum Quarticciolum à d. venditione tam-

quam Emphyteuticum nominatim exceptum
ut etiam animadversum fuit in §. *Fortius* au-
tem præcedentis decisionis ad quam DD. in
reliquis remissive se habuerunt.

Et ita collectis *omnium DD. suffragiis*,
responsum fuit utraque &c.

ROMAMA TESTAMENTI.

Lunæ 11. *Januarii* 1733.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio est confirmatoria alterius ema-
natæ sub die 23. Februarii 1722.
In Testamento Patris favore filiorum condito;
non omnes illæ, quæ favore exteri, requi-
runtur solemnitates, cum satis, superque
sit, quod constet de voluntate disponentis.
Filii in usufructu instituti, censentur etiam in
bonorum proprietate, quando nullus alter
in testamento scriptus hæres appareat; præ-
sertim si propria authoritate, & non de ma-
nu hæredis, fructus percipere valent.

SUMMARIUM.

1 *Testamentum Patris ad formam legis* hac
consultissima §. ex iperfecto C. de testam.
valet inter liberos; contrarium colliges
in n.3.
2 *Amplia, si pater filios æqualiter tractet.*
4 *Institutio filiorum scatet ex verbo* -- Vadino
*quod est directum, & explicitam præfert
institutionem.*
5 *Filii, ut dicantur instituti, satis est, quod
Testator eos hæredes vocaverit, & de vo-
luntate eos instituendi constet.*
6 *Amplia, ut sufficiat, quod constet de filio-
rum institutione ex verborum consequen-
tia.*
7 *Subamplia, si filiis datus sit in tota hæredi-
tate substitutus.*
8 *Fructus in defuncti bonis extare non dicun-
tur, quando proveniunt ex ipsa re hære-
ditaria, cum istius substantia non dican-
tur*; amplia, ut in n.5.
9 *Limita quando fructuum distributio inter
liberos secumferat totius hæreditatis di-
stributionem.*
10 *Item, si testator eos percipiendos de manu
hæredis non reliquisset, sed relicti verba
in eos dirigendo, potestatem dedisset eisdē,
ut auctoritate propria eos perciperent.*
11 *Fructus percipiendi, quando loco usufru-
ctus relicti appareant?*
12 *Filii in usufructu instituti, censentur etiam
& in universa hæreditatis substantia,
quando nullus proprietarius hæres appa-
reat descriptus,*
13 *Pater utrumque filium in certa hæredita-
tis quota instituens, dicitur adimplevisse
dispositioni legis* in §. Nos igitur auth. de
testam. imperfect., & n. 14.

15 *Legitima nullum patitur onus, dilationem, aut conditionem.*

16 *Testamentum Patris ex solo capite oneris in legitima relicti non irritatur; & vide casum.*

DECISIO MCCCLVI.

Revocato hodie ad nouum examen Te-
stamento inter liberos condito à Paulo
Morellio, DD. censuerunt nullam deficere
ex illis intrinsecis solemnitatibus novis au-
thenticorum Jure prescriptis, nimirum
quando filiis certa hæreditatis quota hono-
rabili institutionis Jure relinquitur, atque
ideo cum in hac tantum parte impugnaretur
decisio cor Me edita 23. Februarii superio-
res anni, minimè dubitarunt respondere
in *Decisis*.

Et sanè pro eo quod attinet ad solemnita-
tem institutionis, quāvis Scribentes pro Do-
minico negarent illam esse necessario ser-
1 vandam cum Pater, ut in presenti, utens
privilegio sibi à Jure induito in celebri *leg.
hac consultissima §. ex imperfecto C. de Te-
stamentis minus solemniter inter Filios te-
statur*, allegando in id *Glossam notabilem*,
*quam Alex. vocat auream, & singularem in
authentica novissima ver. tit. C. de in off. test.*,
*& ibi etiam Azzo in Sum., & Jason. in prin.,
& n. 16. Jacob de Aret. in leg. illa institutio
ff. de her. instit. Gemin. in cap. si Pater post
Gloss. in verb. instit. de testam. in 6., Alex.
cons. 168. n. 6 lib. 5., Ruin. Consil. 37. n. 6. lib. 1.,
aliisque adductis Petr. Gregor. Tholosan.,
Syntax Iur. par. 3. l. .44. cap. 2. sub n. 8. Pa-
pon. lib. 20. tit. 1. de testam. Arest. 20. Boer.
decis Burdeg. 267. de num. 1. Christin. de-
2 cis. Belgic. 8. n. 2., & 3. lib. 4.*, & multò
minus quando Pater, prout in casu, utrum-
que Filium sub eadem verborum instructu-
ra, & eodem modo tractavit *Vasquez. de
Success. lib. 3. §. 21. limit. 7. n. 68., & seqq.,
Bary. de Testam. lib. 1. tit. 3. n 5.*
3 Contra vero defensores Thome sustine-
rent hujusmodi solemnitatem citra vitium
nullitatis omitti non posse etiam in hisce
privilegiatis Testamentis inter liberos con-
ditis §. *Nos igitur authentica de Testam.
imperfectis, quæ est novell. 107. sit posit.
sub rubrica de Testam.* imperfectis à Paren-
tibus in Filios factis, & hanc opinionem ab-
solutè teneant post *Gloss. in §. aliud quoque
capitulū authentica, ut cum de appellatione
cognoscitur Castren. in Authentica novis-
sima Codice de in off. Testam., Gugliem. de
Benedic. in cap. Raynuntius ver. testam. il
primo n. 89. Gottophr. in novella 18. authen-
tica de Trien., & Semis. n. 21.*, & relatis
aliis antiquioribus, *Peregrin. de Fideicom.
art. 36. n. 55. Rub. de Testam. cap. 52 n. 117.
& seq. Clar. in §. Testamentum quest. 38. n.
n. 1. & 2. Merlin. de Legit. lib. 1. tit. 2. quest.
3. n. 9.*, imò vero huic secundæ affirmativæ
opinioni videatur quoque adhesisse hoc no-
strum Sac Tribunal *dec. 342. n. 13. par. 13. &
dec. 326. n. 6. par. 19. rec.*

Domini tamen ponderabant quæstionem
hujusmodi in casu, de quo agitur, inutiliter
4 assumi, cum ex facto constet, utrumque Fi-
lium fuisse à Paulo hæredem institutum: ne-
dum enim cum inter eos quotas fructuum
distribuit usus est verbo *Vadino*, quod est
verbum directum secumferens explicitam
Filiorum institutionem, *Bald in rubr. C. de
Impub. & aliis subst n. 2. Berò cons. 127. n. 10.
lib. 2. de Pret de Intepr. ult. vol. lib. 3. dub. 1.
vol. 2. interp 2. n. 9 Trantac. de Subst. par. 4. c.
4. n. 9. Grat an. discept. for. cap 542. nu. 23.
Bary. de Testam lib. 3. tit. 1. n. 4.*, verum etiam
5 eosdem Filios pluries, & expresse heredes
compellavit, eisque sine Filiis decedentibus
in tota hæreditate substituit, quod novis-
simo, quo hodiè utimur jure exuberat, ut
hæredes nominatim instituti censeantur, cū
amplius non exigatur scrupulosa illa ver-
borum solemnitas antiquo Jure in ordinan-
dis Testamentis præscripta, sed satis sit de
voluntate, & mente disponentis per quæ-
cunque verba liquere, ut ex litterali *Textu
in leg. quoniam indignum C. de Testam.*, di-
ctum fuit in precedenti decis. Cause in Prin.
6 *& §. sicut igitur*, quinimmo etiam sufficiat,
ut de Filiorum institutione constet ex conse-
quentia verborum *leg. fin. C. de Hæred. in-
stit. & ibi Baldus n. 5. Mantic. de conject.
lib. 4. tit. 1. n. 8. Escan. de Testam. cap. 17. n.
22. & seq., Rot. dec. 32. n. 10. & seq par. 8.*,
7 & ex eo, quod illis datus fuerit substitutus in
tota hæreditate *§. In primis instit. de Fid.
hæred leg. ab eo C. de Fid. leg. cum testam.
§. hæc verba ff. de Hær. instit. Gomez. var.
lib. 1. cap. 5. n. 24. Escann. d. cap. 17. n. 15. &
seqq.*
8 Supposita igitur Filiorum institutione,
pro eo quod attinet ad uncias sive certam
hæreditatis quotam Filiis relinquendam, li-
cet primo rei aspectu videretur Paulus in
legem peccasse, eo quod Thomæ natu Mino-
ri quartam fructuum partem, Dominico
vero majori natu residuum eorumdem fru-
ctuum reliquit, dum fructus hæreditatis re-
vera non sunt in bonis defuncti, *leg. in Fi-
deicom. ff. ad Trebell. Bari in leg. Papin.
§. undè si quis ff. eodem titulo, Sard. decis.
15. n. 13., Rot. cor. Duren. dec. 76. nu. 62.*,
& quia proveniunt ex ipsa re post obitum
Patris, paterna substantia dici nequeunt,
*Rot. dec 259 n. 11., & dec. 62. n. 64. 70., &
9 72. par 5. rec.* Re tamen funditus inspecta,
pro certo, & constanti habitū fuit, fructuum
distributionem inter liberos à Paulo factam
omnino secumferre distributionem totius
hæreditatis, & paternæ substantiæ per un-
cias, & quotas, sicuti per alium *Textum in
§. Probibemus vers. sed modis omnibus au-
thentica de Trien. & semis exigere videntur
ad validitatem Paterni Testamenti Pereg.
de Fid. art. 36. n. 68. Mantic. de Convict.
lib. 7. tit. 10. sub n. 18., Surd. dec. 21. sub n.
12. Magon. dec. Lucen. 85. n. 19., Thomat.
dec. 4. n. 24., & seqq.*
10 In primis enim illud erat in facto adver-
ten-

tendum, quod Paulus fructus hæreditatis suę Filiis non reliquit de manu alterius percipiendos, sed relicti verba in eos dirigendo, potestatem eis fecit eosdem fructus sumendi, & vindicandi propria authoritate, undè ambigi non poterat, quin juxta morem, & consuetudinem ferè omnibus testantibus communem accipiendi fructum pro usufructu, ut notat doctissimus *Cuiac. ad leg. fundi trebatiani, & legem cum ita ff. de usu, & usufr. legat. oper. posth. tom. 3. lit. A., & B., & cum aliis Lagunez de fruct. par. 2. cap. 6. n. 5., & seqq.* Verba illa Testamenti,

11 *Che li frutti vadino tre delle quattro parti à Domenico, e l' altra quarta parte à Tomasso* per indè accipienda, ac si ususfructus hæreditatis fuisset Filiis relictus, juxta litterales *Textus in leg. si quis ita 24. ff. de usufr., & in leg. cum ita 41. §. de usu., & usufr. legato, quos mirabiliter conciliant cum alio Textu in d. leg. fundi Trebatiani Bart.* ibi *n. 1. Hugodonell in com. Iur Civ. lib. 10. cap. 5. §. illud tenendum, cum seqq. & latè explicat Rot. in Bononien. Manutentionis 15. Maii 1722. §. Neque obstare, & seqq. cor. Me.*

12 Præterea, & illud quoque in facto notandum erat, quod Paulus nullum dedit Filiis universalem Cohæredem, unde sequebatur, ut iidem Filii in usufructu instituti etiam in proprietate, atque universa hæreditatis substantia hæredes scripti censeri debeant, si non ex quo ususfructus per Jus accrescendi ad se proprietatem trahat, cum hoc *secundum Baldum cons. 273., & 274. lib. 4.*, quem sequta est *Rot. cor. Merlin. dec. 505. n. 18., & 19., & dec. 599. n. 11. par. 19. rec.*, nullibi in Jure cautum reperiatur, saltem ex quo Paulus pro parte testatus, & pro parte intestatus decessisse videatur ex benigna quadam interpretatione Juris detrahitur, mentio fructuum, sivè ususfructus, & Hæredes in eos scripti, non per Jus accrescendi, sed jure Institutionis universam capiunt hæreditatem, sicuti ad rem nostram explicat *Rosa consult. 34. n. 26. & seqq.* ultra ad alios adductos in decis., quæ revidetur §. *Etenim.*

13 Firmum itaque ex his manet in causa, quod Paulus, nedum honorabili Institutionis Jure, sed etiam in certa hæreditatis quota, utrumque Filium instituit, ut proinde sufficienter in hac parte impleta videatur dispositio legis, in §. *Nos igitur authentica de Testamentis imperfectis, & in authentica, quod sinè Cod. de testam.*. Hoc autem

14 posito, nil penitùs urgebat, quod d. quota liberis relicta fuerit decennio post obitum Uxoris, eorum vita durante, & cum onere Fideicommissi, eo namque Jure, quo hodiè

15 utimur, reiicitur quidem pro rata legitimæ quodcunque onus, dilatio, aut condi-

16 tio, sed Paternum Testamentum hoc solum nomine non irritatur, ut latius responsum fuit in d. præcedenti decisione §. *Nihil obstante, ad quam DD. in reliquis relativè se habuerunt.*

Et ita utraque parte audita, *& omnibus DD. suffragium ferentibus, responsum fuit &c.*

BNONIEN. ASSOCIATIONIS, SEU PRÆDII.

Veneris 15. Januarii 1723.

A R G U M E N T U M.

Est revocatoria alterius sub die 20. Aprilis 1722. emanatæ.

Actio personalis contra tertium possessorem non datur, sicuti neque associatio, simulque facultas subhastandi bona hypothecata, quę facultas ab actionis personalis competentia descendit, neque Judicium exequtivum potest cum ordinario cumulari.

Præcarium dat facultatem procedendi etiam contra tertium, quando in Summario agitur possessorio pro re hypothecata recuperanda, *& nunc pro tunc* possessionem transfert, nũquam vero personalem tribuit actionem contra eumdem exercibilem. E contra verò in Judicio exequtivo plura media, quæ ad celerem tendunt exequtionem, possunt intentari.

S U M M A R I U M.

1 *Duo conformes in locis Bononiæ Statuto subiectis habent vim trium.*

2 *Statutum de duabus locum sibi vindicat in duabus conformibus validis, & justis.*

3 *Sententia, quæ adversus tertium subbastationem, simulque associationem ad effectum sibi ex fructibus satisfaciendi, demandat, nulla est, & quare?* amplia, ut in nn. 6., & 7.

4 *Subbastatio, & deliberatio ab actione personali proveniunt, quæ oritur ex contractu, & ab obligata persona non separatur* amplia, ut in n. 17.

5 *Actio personalis, & exequtiva contra tertium possessorem non competunt.*

6 *Sententia nulla numquam est exequibilis.*

7 *Utrumque adversus tertium cumulans remedium, subbastationis scilicet, & retentionis jure pignoris, nulla dicitur;* amplia, ut in n. 9.

8 *Judicium executivum diversas pati potest actiones, seu remedia ad eumdem exequtionis finem tendentia, quæ sint inter sese compatibilia, sique contra principaliter obligatum agatur;* Limita, ut in n. 9.

9 *Judicium ordinarium contra tertium non patitur remedia inter se pugnantia, quando res est adversus tertium possessorem,* amplia, ut in n. 10.

10 *Judicium Salviani subbastationem, & deliberationem non portat.*

11 *Executivum non potest cum Judicio immissionis cumulari.*

12 *Præcarium dat jus ad prosequtionem rei obli-*

obligatæ, etiam adversus singularem successorem; quidquid sit sequuta debitoris
morte, ad terminos Statuti Bononiæ,
declara ut in n. 13.

13 *Præcarium tribuit facultatem procedendi
etiam contra tertium possessorem, quatenus creditor agat in summario possessorio
pro recuperanda re ex tali pacto hypothecata*, & n. 18.

14 *Amplia, si exequtivè procedatur contra
tertium ejusdem rei possessorem in actione
personali*; ad terminos d. Statuti, & quare? vide in n. 15.

15 *Præcarium continet clausulam* Nunc pro
tunc, *& legittimam possessionem in creditorem transfert*.

16 *Interdictum possessorium potest vigore Precarii promoveri adversus detentorem rei
in linea actionis realis sub præcario pacto
obligate*.

18 *Præcarium dat remedia possessoria in
rem scriptam, non tamen operatur in
actione personali, & executiva, cum
utrumque Judicium inter sese differant*.

19 *Salvianista in Summario possessorio tenetur inhærere propriæ satisfactioni ex fructibus rei de manibus tertii evulsæ, nec
potest pro obtinenda subhastatione, ad
exequtivum convolare Judicium*.

20 *Limita, nisi supremi Principis potestas,
mediante speciali commissione, ut non
rarò accidit, superveniat*.

21 *Salvianum, & subhastandi facultas competunt Creditori ex præcarii pacto agenti
contra principalem debitorem, numquam
verò contra tertium*.

DECISIO MCCCLVII.

SEntentias pro consequenda satisfactione
fructuum cujusdam Census à Ven. Conventu, & PP. S. Dominici Bononiæ in partibus reportatas super associatione ad prædium in Communi *Vetranæ, & Villæ Fontanæ*, sive ad effectum subhastandi, sive
ad effectum idem Prædium retinendi jure
pignoris, ac Salviani usque ad integralem
satisfactionem eorumdem fructuum, Sac.
Tribunal tamquam validas, & justas approbavit in Audientia diei 20. Apr. an. pret., respondendo, *confirmare de duabus, ut ex dec.
d. die coram Me edita*. Verum post concessam Marchionibus de Ratta Reis conventis novam audientiam, iterum revocatis ad trutinam fundamentis capte resolutionis, cum DD. non fuerint concordes
circa merita Causæ concernentia Justitiam
Judicatorum, sed unicè convenerint circa
illorum nullitatem, ideo super consueto
dubio per Me proposito -- *An sit standum,
vel recedendum à decisis* -- responsum accepi
pro recessu à decisis ex capite nullitatis.

Licet enim dd. PP. S. Dominici pro fructibus d. Census originariè impositi dè anno
1622. per Laurentium Pacchionum repor-
1 taverint binas sententias, quæ tàm ex dispositione Statuti Bononiæ *in rubr. de appell.*, quàm ex particulari Constitutione
Sa. me. Gregorii XV. obtineut vim trium;
2 nihilominùs detecto in hodierna propositione, quod in dd. Sententiis nulliter fuerint
cumulata dd. remedia inter se minimè compatibilia, merito suppositis etiam inspectionibus circa merita Causæ, super quibus ob
suffragiorum scissuram nulla capi potuit resolutio, satis ex capite nullitatis corruere
visa fuit demandata Sententiarum exequtio, quæ non minus à Justitia, quàm ab earum validitate semper est dimetienda, ut in
terminis Statuti de duabus tradit *Constant.
ad Stat. Urb. annot. 55. n. 15., Pigant. ad
Stat. Ferr. Rubr. 66. n. 30., Rota cor. Cavaler. dec. 164. n. 30., & in Romana redditionis rationis* 14. *Decembris* 1708. §. *primo cor. bo. me. Ansaldo*.

Nullitas autem Sententiarum præclare
3 enituit, quia, ut dictum est, favore dd.
PP. concessa extitit associatio ad controversum Prędium, non solum ad effectum sibi
ipsis satisfaciendi ex fructibus, sed etiam
ad effectum illud subhastandi in præjudicium DD. de Ratta, qui sunt Tertii Posses-
4 sores; cum enim remedium subhastationis,
ac deliberationis profluat ab actione personali, quæ oritur ex præcedenti obligatione,
vel contractu, & non separatur à Persona
obligata, sive ejus hærede, ad *text. in l.
licet §. Ea obligatio ff. de procur., Cravett.
con. 342. n. 10. lib. 3., Cenc. de cens. q. 80. n. 5.,
5 Surd. dec. 32. n. 2.* explorati juris est, quod
contra Possessorem, in persona, aut bonis à
debitore hypothecatis executivè procedi
non potest in actione personali, ut communiter tradunt *Peregr. consil. 97. n. 9., & seqq.
lib. primo, Bero cons. 47. nu 6. lib. primo,
Cenc. de Cens. q 96. n 22., Giurb. observ.*
104. *n.* 39., *Rota post Zacch. de oblig. Camer. dec. 45. n. primo*. Et propterea Sen-
6 tentiæ, ut supra condemnantes DD. Marchiones de Ratta tamquam amplectentes
remedium minus competens, corruunt ex
capite nullitatis, & contra eos non sunt exequisibiles, ut in terminis probat *Negusan.
de pignor. p ultima membr. ult. n. 24., Rot.
in rec. dec. 759. n. 3., & seq. p. 2, cor. Duran. dec. 109. n. primo, & 2. cor. Gregor.
dec. 330. n. 1., & seq.*

7 Idque procedit, etiamsi in Sententiis
adhibita fuerit *d. cumulatio*, sive ad effectum retinendi jure pignoris, sive ad effectum subhastandi, ac deliberandi; quamvis
8 enim in executivis incongruum non sit simul, & semel intentare diversas actiones,
cumulando diversa remedia executiva, quæ
tendant ad eumdem finem obtinendæ satisfactionis, ex traditis per *Bart. in l. Consentaneum n. 17. Cod. quomodo, & quando Iud.
Jason. cons. 9. sub n. 41., & cons. 28. nu. 8.
vol. 1.* cum aliis plenè cumulatis *per Corleval. de Judic. tit. 2. disput. 2. n. 16.* Hoc autem locum sibi vindicat, ubi ipsa remedia
sunt compatibilia, & agitur contra princi-
pali

9 ter obligatum, sivè ejus hæredes; Non autem ubi prout in casu remedia inter se pugnant, & res est cum tertiis Possessoribus, quos nulla ex proprio contractu obligatio perstringit, *Beltrand. consf.* 238. *n.* 25. *lib.* 4. *Postb. de subbast. inspect.* 27. *n.* 16., *& seq.*, *Merlin. de pignor. lib.* 4. *tit.* 3. *q.* 107. *nn.* 4. *cum seqq.*, *Rot. in rec. dec.* 759. *n.* 1., *& seq.*

10 *p.* 2. Maximè respectu decreta subhastationis, ac deliberationis, quæ naturæ Salviani, ac temporali detentationi nullo modo convenit, ut bene expendit *Ridolphin. in prax. p. prima cap.* 15 *n.* 91., *Pacif. de Solvian. inspect.* 4. *cap.* 1. *n.* 142., *Rot. in rec. d. dec.* 759. *n.* 5. *p.* 2., *& dec.* 161. *n.* 14.

11 *p.* 6. Et generaliter respectu contrariæ actionis unico contextu promotæ dixit *Rot. in rec. d. dec.* 204. *n.* 2., *& seq. p.* 16., *& in Romana fructuum Censuum* 28. *Novembris* 1714. §. *Quandoquidem cor. Rmo Crispo*.

Absque eo quod validitati Sententiarum prodesse visum fuerit, Pacchionum originarium Debitorem in contractu censuali obligasse omnia bona præsentia, & futura cum

12 pacto *præcarii*, quod juxta Formularium, & amplissimam extentionem Statuti Bononiæ jus tribuat ad prosequutionem rei obligatæ, etiam contra singularem Successorem; siquidem quicquid sit in casu præsenti, an virtus præcarii sequta jam morte principalis debitoris, sit amplius allegabilis, postquam tertius Possessor per triginta, & ultra annos stetit in possessione bonorum præcario subjectorum, juxta controversiam, de qua *Grat. respons.* 63. *a n.* 30. *ad* 41., *Rot. apud Cenc. de cens. dec.* 303. *n.* 11., *&* 12., *& in Bononien. associationis* 9. *Maii* 1710. §. *actu enim cor. bo. me. Caffarello*, cessare visa fuit

13 in hoc puncto quælibet difficultas, quia eatenus res ita affecta transit cum suo onere, & præcarium tribuit facultatem procedendi etiam contra tertium possessorem, quatenus Creditor, cujus favore fuit facta stipulatio, agat inSummario possessorio pro recuperanda possessione rei hypothecatæ, & pacto præcarii subjectæ, in quibus terminis procedunt auctoritates relatæ in decisio-

14 ne quæ revidetur; Minime verò, ubi executivè procedatur contra tertium ejusdem rei Possessorem in actione personali, ut in punctualibus terminis præcarii secundum ipsam extentionem Statuti Bononiæ respondit *Rot. cor. Dunoz. jun. dec.* 795. *n.* 17., & consonant tradita per *Tusch. littera P. concl.* 37. *n.* 9., *& seqq.*, *Affict. dec.* 40. *n.* 15., *Rota apud Zach. de oblig. camer. dec.* 175. *n.* 8., *&* 9.

Nec deficit stringens, & adequata ratio,

15 quia præcarium juxtà extensionem prædictam continet verba *nunc pro tunc*, & legitimè transfert possessionem in Creditorem, *Malvas. consf.* 99. *nn.* 12. *cum duobus seqq.*, *Postb. dec. Bonon.* 32. *nn.* 29., *Rota cor. Buratt. dec.* 179. *n.* 3., *& seq.*, *cor. Bich.*

16 *dec.* 403. *n.* 3. Atque hinc distracta re sub d. pacto comprehensa in sequelam translatæ possessionis vigore præcarii, legitimè tributa dicitur facultas directè agendi contra quemcumque detentorem pro recuperanda in linea actionis realis possessione rei sibi subiectæ, mediante interdicto possessorio, ut per *Text. in l. final. cod. de acquir. possess.* probat *Alex. consf.* 85. *à n. primo*, *cum plur. seq. lib.* 6., *Grat. respons.* 63. *n.* 30., *& seq.* *vol* 2., *Rota cor. Mansued. dec.* 325. *n.* 4.

Ex his tamen minimè resultat validitas

17 processus executivi in actione personali, quia cum ista, ex superius firmatis, unicè pendeat à contractu, & propria stipulatione, quæ non adest respectu fratrum de Ratta reorum conventorum, utique Præcarium, quod dat remedia possessoria in rem scriptam, contra illos nequit operari ad intentum obtinendæ subhastationis, ac deliberationis, dum ex sola competentia actionis in

18 judicio possessorio etiamSummario ratione rei, & obligationis realis, nil valet inferri pro competentia viæ executivæ in actione personali, cum utrumque Judicium inter se valde differat, ut aliis relatis optimè prosequitur *Rota cor. Dunozz. jun. d. dec.* 795. *num.* 8.

Et de facto obtenta Jure Salviani, & in

19 Summario possessorio avocatione rei hypothecatæ à manibus tertii possessoris, certum est, quodCreditor undequaque obstringitur inhærere propriæ satisfactioni ex fructibus, nec ei permittitur convolare ad Judicium executivum pro obtineuda subhastatione, ac deliberatione, nisi accedat su-

20 prema Principis potestas, mediante speciali commissione, ut non raro servatum videtur, & tradunt *Ridolphin. in prax. p.* 1. *d. cap.* 15. *n.* 88., *& seqq.*, *Pacif. de Salv. inspect.* 4. *cap.* 1. *n.* 144., *Rota cor. Duran.*

21 *dec.* 445. *n.* 83., contrario tantum procedente, ubi non agitur contra tertium, sed contra principalem debitorem, contra quem est permissa hujusmodi remediorum cumulatio, ut explicando casum à casu, benè advertit *Rot. in rec dec.* 161. *n.* 18., *& seqq. p.* 6., *quam sequitur Merlin. de pignor. lib.* 4. *tit.* 3. *qu.* 107. *n.* 13., *& seq.*

Et ita utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE MARTELLIS SUPER CONSIGNATIONE.

Veneris 22. *Ianuarii* 1723.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Cohæres tenetur pro medietate cum altero cohærede ad debita fideicommissi.*

2 *Relevatio à pluribus promissa, unumquemque pro sua virili tantum ligat.*

3 *Debitor medietatis tantum, in congruum est, ut bis debiti medietatem persolvat.*

DE-

DECISIO MCCCLVIII.

Concurrentibus simul Hæremitis Camaldulensibus Tusculi, ac Roberto Belarmino pro obtinenda consignatione pecuniarum in summa scutorum 900. à Confraternitate S. Joannis Decollati depositarum in executionem sententiæ Rotalis per Me latæ, prævia Decisione edita 11. Martii 1701. dedi hodiè dubium -- *An, & cujus favore sit facienda consignatio, & pro qua summa* -- fuitque responsum *Consignationem esse faciendam PP. Camaldulensibus pro scut. 725.*, & in reliquis -- *Iterum proponatur*.

Recognitum namque fuit in facto, quod postquam PP. Camaldulenses, uti successores una cum Cornelia Alicornia in Fideicommisso instituto per Marium de Marianis, & Claram ejus Uxorem, coacti fuerunt solvere summam scutor. 1450. pro quibusdam Censibus impositis ab Antonio Mariano primo hærede gravato favore illorum de Papinis ratione legitimæ eidem Antonio competentis; In actu, quo dictam summam solverunt Confraternitati S.Joannis Decollati, & Flaminiæ Milviæ hæredibus dicti de Papinis Creditorum, pacto expresso sibi caverunt, quod quatenùs unquam insurgerent alii Creditores Papinis anteriores in dicta legitima Antonii, Confraternitas, & Flaminia tenerentur ipsos indemnes relevare.

Cum autem deindè contigerit, quod Robertus Belarminus ex juribus dictæ legitimæ Antonio primo heredi competentis egerit contra Patres Camaldulenses Possessores cujusdam Domus provenientis ab hæreditate, & Fideicommisso dictorum Conjugum, tanquam longè ante impositionem dictorum Censuum àb eodem Antonio subrogatæ loco alterius per eum venditæ Cardinali Sarnano, & obnoxiæ alteri Fideicommisso tunc per ipsum possesso Camilli de Martellis, & postea purificato favore ejusdem Roberti, sivè ejus Auctorum, itaut Patres prædicti coacti fuerint devenire cum Roberto ad transactionem illique solvere scuta 2500., nempè scuta 1370. pro integra satisfactione portionis debiti ad ipsos spectantis, & scuta 1130. in diminutionem alterius portionis ejusdem debiti spectantis ad hæreditatem Corneliæ Alicorniæ, quæ
1 sicuti successerat, una cum dictis Patribus in fideicommisso Marii de Marianis, & Claræ ejus Conjugis, ità etiam pro medietate solvere tenebatur creditum Belarmini.

2 Indè consequenter factum est, ut sicuti stipulatio relevationis à Confraternitate dicto Joanni, & Flaminiæ Milviæ promissæ non aliter commissa censeri poterat ex prædictis molestiis per Belarminum illatis, quam favore cujuslibet ex contrahentibus pro sua virili, ità pariter pecuniæ à dicta Confraternitate in eam causam depositæ pro summa scutorum 725. omninò consignandæ essent PP. Camaldulensibus, ut illi hoc modo consequantur integram medietatem scutorum 1450. eidem Confraternitati, & Flaminiæ sub dicto pacto relevationis solutorum, *l. 1. fundus, §. si duo, & leg. aliena res §. si pluribus, & pignor.*, *Surd. cons. 150. n. 34. lib. 1.*, & cum aliis *Corb. de rat. ratæ qu. 32 n. 1. & 2.*

3 Minimè turbante responsione, quod PP. Camaldulenses nihil omninò solverint Confraternitati, & Flaminiæ, quodque hoc debitum posterius illo Belarmini fuerit unicè, atque integrè satisfactum à Cornelia Choerede: Quamvis enim verum sit, quod à principio Cornelia, quæ tunc possidebat universum Fideicommissum integrè solverit dictam summam scutor. 1450. Eque tamen verum est, quod PP. Camaldulenses ea defuncta reintegraverant ejus hæreditatem de medietate ad ipsos spectante, ut constat ex transactione inita cum Jacobo Toracca illius hærede anno 1676., ut proindè semper subsistat ratio illa, quod nec congruum, nec justum est, ut iidem PP. debitum legitimæ Antonii primi heredis pro medietate eos tangente bis persolvere debeant, semel scilicet hæredibus illorum de Papinis, & iterum Fideicommisso de Martellis.

Et ità, reservata cognitione pro reliqua summa, quam PP. Camaldulenses solvisse pariter Belarmino asserebant pro portione debita à Cornelia, sive ejus herede, super qua DD. non fuerunt concordes, utraque parte informante, resolutum fuit, &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE FELICINIS.

Lunæ 25. Januarii 1723.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio est in parte revocatoria, & in parte confirmatoria alterius emanatæ sub die 19 Januarii 1722.

Privilegium *Authenticæ res quæ* ad transversale fideicommissum non se extendit, bene verò ad ascendentale, cujus bona, deficientibus masculis, possunt pro dote congrua totaliter applicari, nequeunt tamen fæminæ majorem sibi portionem vindicare, quam consequerentur, si essent masculi, qui super eisdem concurrerent.

Laudum à Partibus acceptatum, vel judicatæ, & transactionis vim habet.

Identitas prædii non concluditur ex Catastro, quod illud in uno vocabulo genericè designaret, quando idem vocabulum plurium compossessorum bona in se contineret.

Fructus dotalis augumenti, quod in casu recuperationis bonorum promissum esset, à die tantum sequutæ recuperationis debentur.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Mulier certa persequens fideicommissaria bona pro consequutione dotis virtute* Auth. res quæ, *convincentibus probationibus tenetur justificare, quòd illa ab ascendentibus fuerint possessa, alias à sua petitione reiicitur*, & nu. 11.

2 *Dos ex fideicommisso transversali non detrahitur, cum ad illud* Auth. res quæ *privilegium non se extendat.*

3 *Pertinentia bonorum ad fideicommissum transversale, non ascendentale per Rotam approbata, in dubium amplius non revocatur in altera causa, licet diversa ab illa*, & quare.

4 *Amplia, si talis pertinentia, & diversitas inter unum, & alterum fideicommissum per Judicem compromissarium fuissent recognitæ, & approbatæ, illiusque laudum hinc inde acceptatum*; & nn. 5. 6. & 7.

5 *Laudum à Partibus acceptatum, et exequtioni demandatum, vim rei judicatæ, pacti, et transactionis habet*, & nu. 16.

6 *Laudum probat qualitates bonorum, et ad quale, ex duobus fideicommissis, talia, et qualia bona pertineant.*

7 *Subamplia, si distincta pertinentia talium bonorum esset per sententias, tam ante, quam post laudum canonizzata.*

8 *Identitas prædii cum subiectione ad fideicommissum Patris non probatur ex divisione bonorum inita inter fratres, quando ageretur de filiis industriosis, qui à Patre independenter alia bona essent adepti, quæ sola dubietas ad identitatem destruendam satis est*; amplia, ut in num. 10.

9 *Pertinentia bonorum potius ad unum, quam alterum de duobus patrimoniis non probatur ex æquivoca adnotatione in inventario tutelari impressa, & ad aliud referibili, præsertim quando pupillus plura bona ex diversis fontibus profluentia possideret.*

10 *Possessio in uno vocabulo non concluditur ex partitis catastri, vicinos describentibus, & vocantibus, cum alter in dicto vocabulo posset esse confinans, & in contiguo communi prædia possidere*; & nu. 13.

14 *Possessio omnium corporum intra generales confines existentium excluditur, ex eo, quod probetur, quod alia corpora inter eosdem confines ab aliis possideantur.*

15 *Dotis complementum super fideicommisso ascendentali peti potest ad tramites, & in ea quantitate, quæ in laudo hinc inde acceptato, & juri consono designata fuit*, & nn. 16. & 17.

18 *Dos potest constitui super tota substantia ascendentalis fideicommissi, quando deficiant masculi, & ista sit ad congruam dotem necessaria*; limita, ut in num. 19.

19 *Fœminæ pro detractione dotis ex fideicommisso ascendentali instantes, una cum masculis, majorem nequeunt obtinere portionem ea, quam consequerentur, si essent masculi*; amplia ut in num. 21.

20 *Dotis augmentum per Arbitrum in certa summa taxatum in casu recuperationis bonorum non retardatur per exceptionem, quod bona adaucta fuerint ex purificatione alterius fideicommissi, & non ex recuperatione de manibus tertii. Arbiter ad augumentum in genere obventum respexisset.*

21 *Fructus dotalis augmenti debentur à die, qua debitor dotis bona recuperasset, & non priùs*, & num. 23.

22 *Mulier in vim* Authenticæ res quæ *agens contra certa bona ascendentalis fideicommissi pro sorte, vel interusuriis dotalibus, absorbere nequit virilem portionem fratris cum ea concurrentis.*

24 *Beneficium* Authenticæ res quæ *progreditur tam pro capitale dotis, quam fructibus*; limita, ut in num. 25.

25 *Creditor fructuum dotalium, quos diù petere adversus gravatum distulit, illius obitu supervento, eos non potest adversus successorem postulare*; & quare?

DECISIO MCCCLIX.

APprobaverat Sacr. Tribunal favore Comitissæ Ursulæ de Felicinis, & Marchionis Palmerii ejus viri actionem pro consecutione residui dotis, & fructuum in vim *Auth. res, quæ* intentatam super nonnullis Prædiis fideicommissariis per Comitem Hyacinthum de Felicinis possessis, *juxtà contumacialem decisionem cor. Me editam sub die 3. Julii anno 1719.*; Verum distinctè postmodum assumpta meritorum discussione in partium contradictorio, quoad Prædium *della Barisella*, ob suffragiorum scissuram nulla capta fuit resolutio, reformata in reliquis pro dicto residuo dotis, immissione ad quartam partem duorum Prediorum in communi *Cerretuli*, & *S. Joannis Triario*, & pro interusuriis dotalibus consequendis à die sequutæ recuperationis dictorum Bonorum tantum, *ut ex altera decisione edita sub die 19. Januarii superioris anni pariter coram Me.* In hoc autem statu post concessam utrique parti novam Audientiam, reproposui hodie causam etiam super puncto in antecedenti propositione non resoluto, & responsum accepi - *Recedendum à decisis quoad Prædium della Barisella, & in reliquis in secundo loco decisis.*

1 Siquidem quoad Prædium *della Barisella*, urget inconcussa juris regula, quod mulier certa prosequens Bona pro consecutione suæ dotis in vim *Auth. res quæ* tanquam fundamentum propriæ intentionis, inter alia tenetur convincentibus probatienibus justificare, quod eadem Bona à suo-

suorum ascendentium hæreditate proveniant, eorumque fideicommissariis dispositionibus reperiantur obnoxia, juxta *Gloss. in leg. cum de lege vers. hæredis probatio ff. de probat.*, *Cancer. var. resol. lib. 1. cap. 9. num. 174.*, *Paschal. de vi. Patr. potest. p. 2. cap. 7. sub n. 7.*, *Card. de Luca de Dot. disc. 145. n. 84.*, alias sine hoc documento, vel probatione nihil valet obtinere, ut aliis relatis dixit *Rota in Terracinen. Canthelæ Angeli* 14. *Martii* 1707. §. *distinctè coram bon. me. Ansaldo*.

2 Tantum autem abest in casu præsenti, quod Comitissa Ursula plenè justificaverit assertam qualitatem Fideicommissi Joannis de Felicinis ascendentis respectu dicti Prædii, ut potiùs ex documentis hinc indè exhibitis istud detectum fuerit subjectum fideicommisso transversali Lactantii Senioris, ideoque cessante qualitate fideicommissi ascendentalis, idem Prædium dici nequit affectum prætensæ dotationi, sed omninò immune reputari debet ab onere, & vinculo per Imperatorem in *dicta Auth.* præscripto, ex plenè firmatis per *Rotam coram Arguell. decis. 26. n. 2.*, *in Romana Pecuniaria* 15. *Martii* 1706. §. *final. cor. bo. me. Molines*, & *in Romana dotis* 4. *Decembris* 1713. §. *Idemque coram bon. mem. Barbadico*.

3 Et quidem in præsenti inspectione dubitari non potuit de pertinentia Prædii *Barisellæ* potiùs ad fideicommissum transversale Lactantii, quam fideicommissum ascendentale Joannis; Constitit enim in facto, præfatum Lactantium, qui suum condidit Testamentum anno 1544., possedisse magnàm Tornaturarum quantitatem in dicto communi *Barisellæ*, Ortaque antiquitus controversia super fideicommisso ab ipso ordinato, ac identitate Bonorum sub eo cadentium in nostro Auditorio *coram bon. me. Pania*, non obstante productione Testamenti, aliorumque jurium, ex quibus hodie desumitur prætensa qualitas fideicommissi ascendentalis, iteratis resolutionibus declaratum fuit, dictum Prædium in Communi *Barisellæ* spectare ad fideicommissum Lactantii transversalis; non verò Joannis, Philippi, aut alterius ascendentis, ut colligitur *ex ejus decisionibus* 394., 500., 516., 533., & propterea, cum pertinentia, & qualitas controversi Prædii ex Judicio Sac. Tribunalis jam appareat constabilita pro dicto fideicommisso transversali, hęc profectò nequit ampliùs in quæstionem revocari, sed tanquam solemniter canonizata, juxtà stylum cum dictis decisionibus venit supponenda, ut benè respondit *Rota in dict. Terracinen. Canthelæ Angeli* 14. *Martii* 1707. §. *Absque eo quod coram bo. mem. Ansaldo*, & *in Eugubina Fideicommissi* 16. *Martii* 1716. §. *Sicùt coram Me*.

4 Eoque certiùs, quia cum de anno 1698. clar. me. Cardinalis Spinola, tunc temporis Bononiæ Legatus, unanimi Partium consensu electus fuisset in arbitrum super controversia detractionis dotium excitata per Sorores de Felicinis, promulgando laudum constituit, & taxavit dictas dotes in libris 23. mil. pro qualibet, cum hoc tamen, quod libræ 800. cuilibet Sorori per Comitem Hyacinthum persolverentur ex bonis Fideicommissi ascendentalis per ipsum eo tempore possessis; reliquæ verò libræ 15. mil. solverentur ex aliis Bonis ejusdem Fideicommissi ex post recuperandis, præservatis, tanquam provenientibus à Fideicommisso transversali, bonis *Barisellæ*, ad hunc effectum specificè adnotatis in folio; Proindeque cessat dubietas, vel cujuslibet indaginis

5 necessitas, quia cum dictum laudum unanimi Partium consensu editum, fuerit successivè acceptatum, & executioni demandatum; utique vim habet rei judicatæ, pacti, & transactionis, ad *Tex. in l. cum autem Cod. de recept. Arbitr.*, *Bart. in leg. 1. ff. de re judic.*, *Adden. ad Buratt. decis. 637. num. 8.* & *seqq.*, *Rota in Perusina Pecuniaria* 16. *Martii* 1714. §. *Nil juvante cor. R. P. D.*

6 *Falconerio*; Et hinc plenissimè probata remanet qualitas Fideicommissi transversalis, quoad Prędium *Barisellæ*, pro quo firmatus dici debet status omninò observandus, *Urceol. de transact. qu. 3. n. 41.* & *seq.*, *Rota apud eundem decis. 24. nu. 14.* & *seq. in rec. decis. 516. num. 1. par. 3.* cum aliis *in Bononien. Canthelæ Angeli* 10. *Maii* 1717. §. *Cæterum cum duobus seqq. coram Reverendissimo Crispo*.

7 Accedentibus præsertim pluribus actibus judicialibus, eandem qualitatem convincentibus, ut signanter eruitur tam ex sententia Auditoris Generalis Bononiæ ante laudi promulgationem lata de anno 1697., quam ex alia posteriori anni 1712. Rotę Bononiensis, sivè R. P. D. Torelli, tunc pariter Auditoris Generalis; cùm enim ex hisce Judicatis Bona *Barisellæ* jam aliàs fuerint ab onere dotationis exempta, cum supposito subjectionis Fideicomisso transversali Lactantii; utique difficiliùs deflecti potest ab hac qualitate, quam Judicialis observantia tam ante, quam post memoratum laudum declaravit, ut benè probat *Rota coram Benincasa decis. 339. n. 6.*, & *in Perusina Salviani* 15. *Maii* 1722. §. *Potissimè coram R. P. D. meo Crispoldo*.

Hisque positis peculiaribus rationibus quoad bona per Comitem Hiacyntum possessa in communi *Barisellæ*, nullius relevantiæ visæ sunt contrariæ probationes per Comitissam Ursulam desumptæ ex Instrumento divisionis, ac Inventario Tutelari confectis de anno 1479.

8 Quando quidem instrumentum dictæ divisionis confectæ occasione obitus Philippi alterius ex filiis dicti Joannis relicto Hercule in pupillari ætate, juxta declarationem, ibi emissam, continet, tam bona hęreditaria dicti Joannis, quam bona propria condividentium, qui ultrà portionem

ipsia

ipsis liberè competentem super hæreditate Patria, tanquam induilriosi, ac mercaturæ addicti, vere potuerant acquirere particulare patrimonium; Unde quamvis in dicta divisione habita fuerit ratio bonorum *Barisellæ*, cum tamen incertum remaneat, an hæc bona fuerint de hæreditate fideicommittentis, id sufficit, ut probata dici non possit controversi prædii identitas cum asserta subjectione ad dictum fideicommissum Joannis, ut in terminis similis divisionis probat *Surd. consf.* 505. *num.*6., *Fusar. de subslit. quæst* 618. *n.*15., *Rot. in rec. decis.* 173. *num.*3., *& decis.*228. *num.*16., *& seq. par.* 15.

9 Inventarium autem tutelare bonorum dicti Herculis pupilli, nullam pariter continet expressionem, quod Bona *Barisellæ* essent hæreditaria Joannis; Quadere cum idem pupillus ex juribus Philippi Patris haberet Bona propria, & comunia cum Ludovico, & Bartholomæo Patruis, ultrà alia bona ipsis obventa ex successione aliorum de Felicinis; utique in his terminis simplex adnotatio facta in Inventario tutelari, tanquam æquivoca, & aliundè referibilis, ad effectum de quo agitur reputari debet inefficax, ad tradita per *Rot. in Ferrarien. Alimentorum, & Dotium super quantitate detractionum* 5. *Junii* 1716. §. *His tamen coram bon. mem. Ansaldo, & in Eugubina Cauthelæ Angeli* 7. *Decembris ejusdem anni* §. *Non relevante coram eodem*, præcipuè

10 quia in subsequuta divisione portio Herculis pupilli assignata fuit in bonis diversis ab illis positis in communi *Barisellæ* in loco nuncupato *le Chiaviche* obventis Bartholomæo, cujus respectu non est allegabilis qualitas fideicommissi ascendentalis, prout allegari nequit respectu dicti Lactantii poste-

11 rioris fideicommittentis; ideoque ex hisce documentis excluditur potiùs, quam comprobetur pertinentia controversorum bonorum ad fideicommissum Joannis, vel Philippi, fine qua Actrix nihil valet prætendere *Argel. de Legit. contradict. qu.* 2. *art.*5. *num.*160., *Rota in recen decis.*80. *num.*17. *decis.*173. *num.*1. *par.*15. *decis.* 406. *num.*7. *par.* 18.

12 Nec majoris efficaciæ reputari meruerunt partitæ antiqui Catastri referentes bona diversorũ possessorũ in communi *Barisellæ juxta bona Ioannis de Felicinis*, ultra quod enim Ioannes poterat adesse confinans, possidendo prædia in communi contiguo, quodque minime concludit ejus possessionem in communi Barisellæ, *juxta Text. in leg. cor ter minos*, *ff. de fin. regund.*, *Rot. in rec. decis.*

13 258. *nu.*14. *par.*5., *& dec.*215. *num* 9. *par.*7, fat fuit reflectere, quod commune Barisellæ est regio latè patens composita ex pluribus milliariis, & condominia, in qua, juxta partitas ejusdem Catastri non solum Joannes, sed etiam alii de Felicinis possidebant propria bona, imò præsens controversia versatur super predio Barisellæ nuncupato *le Chiaviche de Felicini*, quorum confinia non correspondent cum aliis in d. Catastro adnotatis; cum namque in his circumstantiis

14 enervata remaneat præsumptio fundata in aurìqua possessione defuncti; vana remanet quælibet illatio super identitate controversorum bonorum, quæ Comes Hiacyntus in d. communi possidet, *Peregrin. de Fideicom. art.*44. *num.*22., *Fusar. de Subslit. quæst.* 618. *num.*47., *Rota in rec. dec.*218. *sub nu.* 10. *par.*5. *dec.*228. *num.*8. *cum duobus seqq. par.*15. *cum aliis in Imolen. Salviani* 14. *Martii* 1707. §. *Et sanè coram Eminentissimo Scotto*, *& in Eugubina bonorum* 21. *Junii* 1708. §. *Cæterum coram Eodem*.

15 Hæc quoad prædium *della Barisella*; descendendo autem ad alia bina prædia, alterum in communi *Cerretuli*, & alterum in communi *S. Joannis in Thiarco*, Domini subsistere censuerunt fundamenta postremæ resolutionis in causa editæ; posito quippè, quod dicta bina prædia super quibus aptabiles non sunt peculiares rationes superius expensæ, verè reputanda sint obnoxia fideicommisso ascendentali, quod hodie inter partes amplius in dubium non revocabatur, facile desumitur, actionem à Com. Ursula intentatam pro consequutione residui dotis esse tantum experibilem *super quarta parte dd. prædiorum*; cum enim recensitum laudum Eminentissimi Legati de dicto anno 1698. prolatum, expressè præscribat, quod per Com. Ursulam, & Blancam Sorores residuum taxatæ Dotis sit consequendum super medietate bonorum fideicommissi ascendentalis ex post recuperandorum; eidem Com. Ursulæ indeclinabilis oritur necessitas agendi pro quarta tantum parte controversorum prædiorum ad tramites præfati laudi, quod

16 uti pluries emologatum, ac in parte exequutum non potest amplius impugnari, ut præter allegatos, optimè firmat *Rota in Bononien. Relevationis indemnitatis* 25. *Febr.* 1707. §. *Certius cor. bon. mem. Moliner*.

17 Potissimè quia restrictio in dicto Laudo facta, juri etiam undequaque consona deregitur, ex eo, quod ultra Com. Ursulam aderat tam Com. Blanca, quam Com. Olimpia, cujus dotationi paritèr erat succumbendum per Com. Hyacinthum fratrem;

18 Ut enim exploratum est, licet deficientibus masculis ejusdem lineæ, in vim *Auth. Resque* omnia bona fideicommissi ascendentalis in dotem dari possint, si omnia ad congruam dotem sint necessaria, ad tradita per *Bald. in d. Auth. num.*4, *Cyriac. contr.*509. *num.*2., *Rot. cor. Mantic. dec.*152. *num.*3.,

19 ubi tamen fœminæ instant pro dotium detractione ex fideicommisso ascendentali, & cum eis concurrunt masculi, ipsæ fœminæ obtinere nequeunt majorem portionem, quam si masculi essent consequerentur, ut in proposito declarat *Card. de Luc. de dot. disc.*144. *num.*48., *& disc.*145. *sub num.*34., *Cyriac. d. contr.* 509. *num.*16., *& seq.*, *Rota coram Royas dec.*375. *n.*3., *& 6. & ponderatum fuit in*

in d. postrema causæ decisione §. Et his coram Me.

Non attento diffugio, quod dictum Laudum pro residuo taxatæ Dotis præscripserit Comitissæ Ursulæ satisfactionem super bonis fideicommissi ascendentalis recuperandis à tertiis possessoribus, non autem super controversis Prædiis, Comiti Hyacintho delatis ex successione illi aperta per obitum Iosephi de Felicinis; siquidem denuò placuit responsio, quod etsi in dicto Laudo facta fuerit mentio de bonis recuperandis à tertiis possessoribus, nihilominùs in dotium taxatione ibidem expleta, alia ratio habita non fuerit per Eminentissimum Arbitratorem, nisi, quod Sorores de Felicinis ob defectum bonorum liberorum consequerentur libras 8000. de bonis fideicommissi ascendentalis, eo tempore possessis per Com. Hyacinthum fratrem, quodque aucto patrimonio ejusdem Hyacinthi ex aliis bonis ascendentalibus, residuum dotis consequi possent usque ad summam librarum 23.m. super quarta parte bonorum ab ipso Comite Hyacintho ex post acquirendorum; proindeque sive ejus patrimonium auctum fuerit ob avocationem

20 bonorum factam à tertiis possessoribus, sive ex successione per obitum d. Iosephi purificata, absque dubio non valet constitui aliqua differentiæ ratio, adeout evitari nullo modo possit divisio bonorum ad juris tramites constabilita in dicto Laudo, cujus finis, & effectus utrumque casum qualificat, ac reddit uniformem, *ad Text. in l. in summa ff. de re judic. leg. Quid tamen §. Si arbiter ff. de arbitr., Soccin. Jun. consf.74. num.1. & seq. lib.2.* cum aliis *per Rotam in Ferrarien. Fideicommissi de Trottis 21 Iunii 1717. sub §. procedendo cor. Rmo Crispo.*

21 Et denique quoad *fructus dotales Domini* persistere pariter censuerunt in sensu postremæ resolutionis, limitando scilicet actionem contra Hyacinthum pro fructibus tantum decursis ab anno 1715, cum enim residuum dotale, pro quo agit Com. Ursula, ex lege in dicto Laudo Eminentissimi Legati adjecta, non priùs consequi potuisset à Com. Hyacintho, nisi post sequutam recuperationem bonorum fideicommissi ascendentalis; utique eo ipso, quod eidem controversa Prædia delata sunt anno 1715., quoad interusuria dotalia, necessario emergit, quod ab hoc tantum tempore metiri debeat ejus obligatio, quia actio limitata quoad residuum constitutæ dotis in his terminis necessario involuit dilationem, & limitatam actionem etiam quoad fructus, *ad Text. in leg. Interdum 73. ff. de verb. oblig. leg. lecta 40. ff. si cert. petat., Leotard. de usur. quæst.28. nu. 17., Rota in Eugubina Dotis, & fructuum 17. Iunii 1712. §. Tertio prætendatur coram Reverendissimo Aldovrando, & 14 Iunii 1713. §. Consequtivè coram Eminentissimo Scotto.*

Maximè, quod ubi etiam deficeret lex clara præfati laudi, cujus vigore petitur residuum dotale, adhuc Com. Ursula pro dd. fructibus antea decursis nullam actionem haberet contra Com. Hyacinthum modernum possessorem controversorum bonorum; tum

22 quia mulier in vim *Auth. Resqua* agens contra certa bona fideicommissi ascendentalis pro sorte, vel interusuriis dotalibus, absorbere non potest virilem portionem fratris cum ea concurrentis, *ex superius firmatis*,

23 Tum quia per spatium 20., & ultra annorum, tam ipsa, quàm Marchio Palmerius ejus vir voluntariè neglexit petere dd. fructus contra Iosephum de Felicinis, per cujus obitum subinde aperta fuit successio favore comitis Hyacinthi rei conventi: quamvis enim regulariter beneficium *Auth. Resque* sit exercibile tam pro capitale dotis,

24 quam pro fructibus, itaut etiam pro istis bona fideicommissaria validè persequantur; nihilominus, ubi prout hic, Creditor dotis diu distulit petere solutionē interusuriorum dotalium adversus gravatum verum bonorum possessorem, qui ad illorum satisfactionem tenebatur, sequuto illius obitu idem Creditor non potest amplius dd. fructuum prætensionem excitare contra alium fideicommissi successorē, ne ab eius culpa in præjudicium ulterioris vocati eversio integri fideicommissi contigat, *Mart. de Success. legal. par.4. quæst 21. art. 10. num.54., Hodiern. contr.31. nu.50. & seq., Boss. de dot. cap.15. nu.114. vers. hæc tamen Sententia cum aliis latè relatis in postrema causæ decisione 19. Ianuarii superioris anni § final. cor. Me.*

Et ita conclusum fuit utraque &c.

CORNETANA SUCCESSIONIS, SEU TESTAMENTI.

Veneris 29. Januarii 1723.

ARGUMENTUM.

Hæc est *juxta modum* confirmatoria alterius sub die 15. Junii 1722. emanatæ.

Statutum circa successiones regulariter ad tempus successionis respectu Clerici præsumitur directum, non vero ad vinculum, quod à principio iniit, aliàs enim Clericus ab illo semper ligaretur.

Pactum inter fratres initum de dividenda æqualiter quacumque hæreditate sibi ipsis in genere obventura, sublinetur, secus si ad certi hominis viventis, & non consentientis esset restricta.

SUMMARIUM.

1 *Statuta de successione loquentia non comprehendunt Clericos, ex quo isti à principio fuissent laici, cum successionis tempus attendatur, & quare.*

2 *Clericus coniugatus, quod gaudeat privilegio Fori, sed non exemptione à Laicalibus Statutis, est opinio periculosa, & quare?* ac declara ut in n. 4.

3 *Forum sortiri, ac Statutis subiici paria sunt.*

4 Cle-

4 *Clericus coniugatus non subiacet Laicali Statuto.*

5 *Clericus coniugatus, quod non gaudeat privilegio Fori in mere civilibus, vel quod gaudeat solum in exequtione Sententiæ est opinio ventilata, quæ graves contra se habet Doctores.*

6 *Decisio in una casu, quæ contrario eveniente, destrueretur, si emanaret, nil aliud, quam absurdum involveret.*

7 *Pactum inter fratres de æqualiter quacumque obventura hæreditate dividenda initum, uti justum, & licitum servandum est ob incertitudinem hæreditatum, quæ votum captandæ mortis involvit; amplia* ut in n. 8.

9 *Limita, si tale pactum versaretur super hæreditate certæ Personæ viventis, & de eo inscia, & minimè consentientis.*

10 *Pactum prædictum etiam ex generalitate locutionis ad paternam quoque hæreditatem dicitur extendibile*, & vide casum.

DECISIO MCCCLX.

AUditis iterum Partibus super validitate, & subsistentia tàm conventionis inter Fratres de Chiocca initæ, quàm Testamenti ab Odoardo Patre conditi contra formam, & dispositionem Statuti Cornetani, de quibus latè actum fuit priùs in Voto Congregationis particularis, & deinde in geminis decisionibus coram Me editis 9. Januarii, & 15. Iunii superioris anni, graves adeo, & relevantes visæ fuerunt difficultates hinc indè excitatæ super secundo articulo validitatis testamenti, & respectivè operationis Statuti, ut hodiè DD. abstractivè ab illo, non aliter rescribendum esse censuerint, quàm -- *In decisis juxta modum* -- nempe ex motivo dumtaxat solemnis conventionis inter Fratres initæ, & ad præjudicium, & respectivè favorem ipsorum, non autem filiorum vocatorum in d. Testamento Odoardi, quibus, eveniente casu, reservata esse voluerunt eorum Iura.

Et profectò non nisi valde gravis, & rele-
1 vans videri poterat difficultas occurrens in
decisione illius articuli; utrum nempe Sta-
tutum Cornetanum operari posset in casu
præsenti nullitatem Testamenti ab Odoar-
do conditi contra ej formam, & disposi-
tionem: Quamvis enim pro affirmativa de-
duceretur, quod Statutum iniiciebat vincu-
lum à principio, & quod insuper Odoardus
Testator, tamquam Syndicus Fratrum Mi-
norum, & Antonius hæres, tamquam Cle-
ricus coniugatus gauderet quidem exem-
ptione à Foro Laicali, sed non exemptio-
ne, & libertate à Statutis: Contra hæc ta-
men pro negativa urgebat, quod distinctio
isthæc iniectionis vinculi à principio, vel
post originaliter tradita à *Joanne Andrea in regula finali de regul. Jur. in* 6., quid-
quid sit in abstracto vix est, ut in concreto
umquam applicari possit absque manifesto
periculo lædendi Immunitatem Ecclesiasti-
cam, ut aliàs animadvertit *Rot. decis.* 728.
*n.*6. *et seqq. p.* 18. *rec.*, *et in prima decisione Causæ* §. *In tanta igitur*.

Rursus, quod Syndicus Fratrum Mino-
2 rum, & Clericus coniugatus gaudeant qui-
dem privilegio Fori, sed non exemptione
à Statutis, sicuti firmatum fuit in secunda
decisione, videbatur opinio valdè pericu-
losa propter illam generalem, & apud om-
nes receptissimam regulam, quod paria in
3 jure sunt, Forum sortiri, ac Statutis subij-
ci, ex qua in præcisis terminis, quod Cle-
4 ricus Coniugatus sit etiam liber, & exem-
ptus à Statutis Laicalibus arguunt *Decius in cap. Ecclesia S. Mariæ n.*25. *de constit.*,
Mandos. in addit. ad Lupum allegat. 118.
lit.M., *Mascard. de general statut. interpretat. conclus.* 1.*n.*113., *Pignattel.consult.*
2. *n.*4., & *seq. tom.*4., *Rmus Petra ad constit. Apost. tom.*4. *fol.*455. *n.*34.

Asserere autem juxta tertiam Sententiam
5 quorumdam Doctorum, quod Clericus co-
niugatus non gaudeat privilegio Fori in me-
rè Civilibus, vel quod ut alii putant, gau-
deat etiam in Civilibus, sed solum in exe-
qutione Sententiæ, visa fuit opinio etiam
minus tuta; cum habeat contra se graves,
pluresque magni nominis Contradictores,
quos refert *Cortiada dec.* 136 *n.*46., *et n.*49.,
ut proinde in adeo magna articuli hujus dif-
ficultate meritò Sac. Tribunal ab eo hodie
decidendo supersederit, dum ex quo filii
Antonii post obitum Patris per fideicommis-
sum vocati nullum hodie Jus certum habent
sed solum merè eventuale, & omnino pen-
dens a futura conditione, quod superstites
sint, quo tempore idem Antonius morietur;
nulla in præsenti urget necessitas præmatu-
rè definiendi tàm gravem, & ancipitem ar-
6 ticulum, sed satis est, quod illis eorum
Jura reserventur in eum casum, quo succes-
sio ipsorum favore aperiatur, nè aliàs con-
tingat, quod præventivum Judicium Sacri
Tribunalis contrario eveniente casu inutile,
& elusorium reddatur, ut sæpè aliàs adver-
tit *Rota*, & præsertim *in Ferrarien fideicommissi* §. *finali cor. Me*.

Abstinendo igitur à validitate, vel nul-
litate dicti Testamenti pro eo, quod attinet
ad interesse fratrum Collitigantium, Domi-
ni confirmantes primum caput sententiæ
Congregationis particularis, in quo Josepho
concessa fuit immissio ad medietatem Bono-
rum omnium hæreditariorum Odoardi Pa-
tris, non dubitarunt hodiè quoad præjudi-
cium Antonii hæredis ex asse instituti persi-
stere in sensu utriusque præcedentis Deci-
7 sionis. Cum enim iidem Fratres ex isto, &
laudabili fine pacis, & concordiæ inter eos
conservandæ solemni conventione pepige-
rint quascumque futuras hæreditates invi-
cem communicare, ac dividere; nihil est,
cur Antonius pro Jure suo hæreditatem Pa-
ternam cum altero Fratre communicare, &

ex æquo dividere non debeat, ut latius dictum fuit in prima *Decisione Causæ* §. *Præscindendo*, & in secunda §. *Subsistere*.

Quod enim alias fuit oppositum, & etiam
8 hodiè repetebatur dictam solemnem conventionem non sustineri, tamquam bonis moribus, & lege improbatam, nullo erat impedimento, dum non Patris, nec certi alterius viventis Hominis hæreditas in pactum deducta fuit, sed solum inter Fratres inita communio, & Societas super quibuscumque hæreditaribus alterutri eorum obventuris, quod nec bonis moribus, nec legi repugnat, ut responsum fuit in præcedentibus Decisionibus, prima nempè §. *Generalis enim*, *& seqq.*, & in secunda §. *irrito, & sequenti*. Quod autem hodiè addebatur, hæreditatem videlicèt paternam sub dicta generali, & solemni conventione non contineri, ex quo supra ea iidem Fratres anno ante per Apocam privatam specialem conventionem inierant, nullius pariter momenti visum fuit. Aut enim dicta præcedens specialis conventio admittebatur ab Antonio pro valida, & tunc poterat quidem admitti, quod hæreditas paterna non caderet sub secunda generalibus verbis concepta, sed idem contra ipsum sequebatur effectus, dum in ea quoque Fratres pepigerant de illa invi-
9 cem æquis portionibus dividenda: Aut verò illa asserebatur nulla, tamquam facta super hæreditate certi hominis viventis, & minimè consentientis, & in hoc sensu perindè haberi debebat, ac si facta non fuisset,
10 & consequenter negari amplius non poterat, quin, & ipsa Paterna hæreditas in secunda generali, & solemni conventione comprehensa fuerit, ex Regula *Text. in leg. cum Pater* §. *Curatores de legat.* 2., *& in l. non putavit* §. *Non quævis ff. de bonor. poss. con. tab.*

Et juxtà hunc modum, utraque Parte informante, & omnibus Dominis una mecum suffragantibus, responsum fuit.

ROMANA TRANSACTIONIS.

Ven. 29. *Ianuarii* 1723.

ARGUMENTUM,

Præsentis decisionis refertur in Sumario,

SUMMARIUM:

1 *Hæreditas Patris dividenda est pro virili inter filios primi thalami, & uxorem secundi.*

2 *Transactio inita sub timore, & justa litis fundamento, quando ille in substantia non aderat, tamquam ex defectu causæ, non substinetur*; amplia, ut in n. 6.

3 *Liquidatio crediti per unicam decisionem approbata refricari non potest, quando reus eandem decisionem acceptasset*, & quare? ac n. 5.

4 *Lites non minus per rem Iudicatam, quam per expressam Sententiæ acceptationem perimuntur.*

5 *Transactio enormissime læsiva, & sub fundamento litis non existentis stipulata, tamquam corruens ex defectu consensus, nunquam attenditur*,

DECISIO MCCCLXI.

Controversiam nuper motam super observatione cujusdam transactionis inter Fratres de Gruettis, & Rosam Perusinam cum R.P.D. Auditor Sanctissimi ad Judicem Capitolii remisisset de Voto Rotæ definiendam, proposui hodiè Dubium — *An sit danda manutentio, sive potius exequenda transactio*: Et Domini responderunt, *transactionem non esse exequendam, sed dandam esse Gruettis manutentionem ad formam rei judicatæ*.

Plana autem, ac omninò expedita visa fuit ratio decidendi, quia postquam per plures sententias Rotales in auctoritatem rei judicatæ transactas, & à Signatura Justitiæ approbatas cum clausula -- *Pariso*, rejectis
1 articulis pro parte Rosæ exhibitis definitum fuerat, quod hæreditas Hieronymi de Rubeis detractis dotibus primæ, & secundæ Uxoris, ac integro semisse pro legitima, dividenda erat pro virili inter eamdem Rosam, & quinque Fratres de Gruettis ad formam celebris *Textus in l. Hac edictali Cod. de secundis Nuptiis*, atque ulterius in executionem rei judicatæ, nedum taxatæ fuerant contra Rosam expensæ litis in summa
2 scut. 225., sed prodierat quoque alia Decisio coram R.P. D.meo de Gamaches sub die prima Julii 1720., in qua approbata in omnibus relatione, ac liquidatione Mattioli de consensu Partium in Peritum electi, responsum fuit, quod portio, & creditum dictæ Rosæ detractis detrahendis remanebat in exigua summa scut. 15. 68. Postquam inquam res ad eum statum redacta fuerat, sicuti nullus omnino supererat timor justæ litis, ità transactio sub ejus vano, & apparenti colore, subindè celebrata, tanquam ex defectu causæ irrita, & inania remansit, ac prorsus inexequibilis *l. In summa* 65. *ff. de condict. indeb.*, *Urceol de transact. quæst.* 43. *n.* 21. *Rot. cor. Seraphin. dec.* 895. *per. tot.*, & passim alibi, itaut ea ad partes posita, tamquam si facta non fuisset, possessio, in qua Fratres de Gruettis reperiebantur, virtute toties dictæ rei judicatæ Rotalis, etiam manutentionis beneficio augeri debuerit *Carlevol. de judic. tom.* 1. *disput.* 7. *lib.* 1. *n.* 1., *& seqq. Urcel. de transact. tit.* 5. *quæst.* 1. *n.* 9., & post num *Rota dec.* 38. *n.* 4.

Minimè urgente responsione, quod transactio celebrata non fuerit super articulo jam deciso per nominatam Rotalem circa nullitatem, & insubsistentiam prælegati sc. 3000. à dicto Hieronymo relicti favore Rosæ secundæ Uxoris, sed solum inita fuerit

super

super liquidatione quotæ ad eamdem Rosam spectantis in executionem ipsius rei judicatæ.

Ultra quod enim obiectio ista minime videbatur in facto subsistere, dum revera transactio inita fuit super admissione articulorum, & aliis, super quibus jam aderat res judicata Rotalis, cessabat etiam aliunde om-
3 nis difficultas, quia quamvis super liquidatione facta per memoratum Peritum judicialiter electum unica solum prodiisset Decisio coram R.P.D. meo de Gamaches, cum subsecuto decreto pro expeditione Causæ; quia tamen ipsa Rosa dictam Decisionem acceptaverat, judicialiter interpellando aliã partem ad recipiendam portionem sibi debitam argentorum, & mobilium hæreditariorum, imo vero eamdem portionem effective consignando, jam quoque super hoc puncto liquidationis cessaverat quicumque timor ulterioris litis, cum ista non minus per
4 rem judicatam, quam per expressam sententiæ acceptationem perimatur, ut in his terminis alias respondit *Rota dec.410. par.5. & dec.34. par.8.recent.*

5 Irrito propterea labore contendebat hodie Rosa dictæ liquidationi, & relationi à Perito factæ erroris notam impingere: Semel enim ac Sac. Tribunal illam approbaverat, & Rosa resolutionem acceptando in obsequium veritatis de facto parere incœperat, non erat hodie lis jam sopita de novo
6 excitanda; sed procedendo cum eadem Peritia, & liquidatione, rescindenda potius erat transactio, tanquam enormissimè læsiva, dum sine alia causa, quam vana, & insubsistenti novæ litis, seu errorum, & gravaminum ejusdem Peritiæ, ejus portioni, & credito liquidato in scutis 480. 63. quatenus restituisset mobilia hæreditaria, quatenus vero illa retinere malvisset, redacto in dicta Peritia, & judicato Rotali ad sola scuta 15. 63., superaddita fuit in sæpedicta transactione non tenuis summa scutorum 845., itaut læsio, & quidem enormissima statim, & incontinenti probata videatur.

Et ità DD. una mecum Suffragantibus, utraque &c.

MONOPOLITANA BENEFICII.

Veneris 12. Februarii 1723.

ARGUMENTUM.

Ultimus status attenditur, quando lis super pertinentia Iuris præsentandi inter Compatronos non est, sed inter Compræsentatos in summario possessionis Iudicio, neque illa quasi possessio in patrono leditur ex aliqua jurium reservatione ad petitorium potius remittenda. Donatio Iurispatronatus inter compatronos inita, Episcopi consensu non indiget, qui tamen consensus ex lapsu temporis; & præsentationibus à donatario factis superaccessisse præsumitur. Donatio inter vivos, etiam si ad certas, & designatas personas sit directa & donatarius præmoritur donanti, pacto tamen reversivo non existente, ad ejusdem donatarii hæredes devoluitur.

SUMMARIUM.

1 *Arbitrium, quod semper regulatur à Jure non intrat pro retardandis literis Apostolicis justificatis, quæ paratam haberi debent executionem.*

2 *Literę Apostolicæ ex quibus dicantur justificatę.*

3 *Consensus medietatis Patronorum remanet justificatus, si Presentatus doceat se fuisse nominatum ab omnibus descendentibus de linea illius, qui vocum medietatem habebat*, amplia ut in n.10.

4 *Præsentatio facta à Patronis ultimum pro se statum habentibus aliis præfertur, quando lis non sit inter Patronos de pertinentia, & proprietate Jurispatronatus decertantes, sed inter Compresentatos in Iudicio possessorio*, & num.8.

5 *Amplia, etiam si aliqui Patroni, de quorum præsentatione agitur, in antecedentibus vacationibus non adfuissent, cum satis sit, quod eorum Auctores præsentassent.*

7 *Subamplia, si status ultimus antecedentibus reperiatur conformis, & in contradictorio Judicio constabilitus*, & n.7.

8 *Quasi possessio in præsentando per præsentationem adepta non læditur ex præsentatione Jurium in petitorio potius discutiendorum*, amplia ut in n.9.

9 *Quasi possessio, quando probatur ex actibus continuatis præcedentibus, lisque est in mero possessorio, nulla occurrit necessitas inquirendi, an præsentationes factæ fuerint justè, & cum legittimo titulo, vel ne.*

11 *Donatio Iurispatronatus inter compatronos, auctoritate, & consensu Episcopi non indiget.*

12 *Consensus Ordinarii præsumitur superveniens in donatione jurispatronatus ex lapsu temporis, & præsentationibus continuatim factis à donatario, cum effectu subsequutæ institutionis.*

13 *Amplia, si pro dicta donationis validitate fuisset judicatum, itaut possessio donatarii, qualificata remanserit.*

14 *Constitutus in quasi possessione manutenendus est.*

15 *Consensus præstitus à Patrono super resignatione Beneficii ultimum pro se statum habente validus præsumitur.*

16 *Exceptione, quæ non sint clarissimæ, sed quoquomodo dubię contra ultimum statum non attenduntur, & ad petitorium sunt remittendę.*

17 *Donatio inter vivos uti de sui natura ad quoscumque hæredes, & successores per transitoria, deficiente pacto reversivo, numquam ad donantem regreditur.*

18 *Am-*

18 *Amplia, licet donatio legatur expressè ad certas personas directa, sive ad masculos cum clausulis*, donec, vel tantum, *quia desitientibus istis, si non adsit pactum reversivum expressum, ad istorum hæredes pertransit, neque ad donantem regreditur*,

19 *Habens integram vocem dicitur satisfecisse litteris Apostolicis derogationis medietatis vocum, & verificationem alterius medietatibus requirentibus ad hoc, ut gratia Apostolica sit exequenda*.

DECISIO MCCCLXII.

PRO majori firmitate resignationis Beneficii Sanctorum Blasii, & Eustachii, quam prævio consensu plurium Patronorum in manibus Pontificis expleverat Alexander Palmerius favore Ioannis Viti Manfredi, idem Manfredus reportare curavit litteras Apostolicas cum derogatione medietatis vocum, pro quarum executione cum successive institisset coram Vicario Monopolitano Executore, iste non obstantibus exceptionibus propositis per Vitum Expertum ab aliis assertis Compatronis presentatum, sententiam protulit pro executione provisionis Apostolicæ: ab hoc judicato delegata mihi fuit causa in gradu appellationis cum clausula -- *Parito litteris arbitrio*: unde ad normam rescripti proposui in hodierna Audientia consuetum dubium -- *An intret arbitrium pro retardotione litterarum Apostolicarum* -- & negativum accepi responsum.

1 Quandoquidem ubi litteræ Apostolicæ sunt justificatæ, arbitrium, quod regulari debet à jure, numquam intrat pro earum retardatione, sed potius exigunt celerem, ac paratam executionem *cap. Litteris de rescript. cap. Si Capitulo*, ubi *Gloss. in verb. exequat. de concess. præbend. in 6. Rot. in rec. dec. 82. n. 1. par. 19., & in Mediolanen. Jurispatronatus super executione Litterarum Apostolicarum 21 Februarii 1707 §. Arbitrium coram Emo Scotto*.

2 Dubitari autem non potuit de sufficienti verificatione litterarum Apostolicarum Manfredi, quia circa qualitatem Beneficii resignati, & si deficiat originaria fundatio, intra latebras antiquitatis delitescens, non fuit tamen in quæstionem revocata existentia jurispatronatus; consensus verò saltem medietatis Patronorum, in quo principaliter fundatur derogatio per Pontificem facta facile eruitur, quia juxta antiquam sententiam anni 1446. latam ab Ordinario Monopolitano, ut ipsemet Partes concordarunt, Iuspatronatur, de quo agitur, originarie divisum fuerat in duas voces, quarum altera obtingerat *Rentio*, & altera *Cubello de Lacu*, & utraque jure hæreditario in diversos heredes pertransiverat; cum itaque dictus Man-
3 fredus plenè docuerit, ipsum fuisse præsentatum ab omnibus Patronis causam habentibus à linea Rentii, qui præsentarunt in ultima vocatione anni 1682. absque dubio legitimè remanet justificatus consensus medietatis Patronorum, ut optimè docet *Rota in Matheranen. Parochialis 11. Januarii 1712. §. quod autem coram R. P. D. Falconerio, in Pennen. Beneficii super executione Litterarum Apostolicarum 17. Martii 1710. §. Hoc autem, & seqq coram Reverendissimo Aldovrando & in Hydrusina Beneficii 4. Julii 1721. §. Siquidem coram Me*.

4 Et obvia quidem est ratio, dum in hac materia, quoties, prout hic, non agitur inter Patronos de pertinentia, & proprietate Jurispatronatus decertantes, sed lis est inter præsentatos in judicio possessorio ac super executione litterarum Apostolicarum, explorati juris est, quod unicè attenditur quasi possessio immediata Patronorum, itaut quælibet controversia sit decidenda ad tramites ultimi status, juxta quem omninò præfertur præsentatio, vel consensus Patronorum, qui in ultima vacatione positi sunt in quasi possessione præsentandi, juxta *Text. satis celebrem cap. in Querelam de elect. Rota coram Priolo dec. 305. nu. 6., coram Bich. dec. 396. n. 6., & 7. in rec. dec. 352. num. 4. par. 16., in Bononien. Beneficiorum de Castello super executione Litterarum Apostolicarum 9. Junii 1713. §. Iam enim coram bon. me. Ansaldo, & in Bituntina Beneficiorum 13. Martii 1716. §. Iustificatio coram Reverendissimo Crispo*, Etiamsi aliqui ex Patronis, qui
5 hodiè præsentarunt in antecedentibus vacationibus non adessent, quia cum præsentaverint eorum Auctores, istorum possessio suffragatur absque nova appræhensione, & saltem quoad juris effectum translata dicitur in successores, ad firmata per *Rot. in Taretina Beneficii S. Mariæ de Scala super institutione 27. Iunii 1721. §. Fortiùs coram Me, & in Pisana Beneficii 2 Martii 1722. §. Danda coram R.P.D. Foscaro*.

6 Maximè quia in casu presenti, non solum, detecti sunt conformes alii status antecedentes, & signanter penultimus anni 1652. quod non parùm auget efficaciam ultimi status, ex traditis per *Rotam in Maioricen Beneficij 9 Martii 1711. §. Certoque certiùs coram bo mem. Caffarello, & in Astoricen Parochialis 28. Martij 1718. §. Et sanè coràm Reverendissimo Crispo* sed etiam quia ultimus status dignoscitur constabilitus in contradictorio judicio, tum ex *sententia* Ordinarii, qui concessit institutionem, tum ex *Decisione nostri Auditorii edita 15. Aprilis 1687. coram cla. mem. Card. Caccia*, quæ eamdem quasi possessionem, ac ultimum statum in singulis præsentationibus approbavit,
7 in his namque terminis ultimus status sub judiciali contradictione efformatus fortius urget ad hoc, ut in sequenti vacatione pro dimetiendis Patronorum consensibus, vel præsentationibus omnino veniat observandus *Rot. ad ornat. Card. de Luca de Iurepatr. dec. 35. num. 2., & 3. in Cussanen. Beneficii*

27. *Maji*

27. *Martii* 1713. §. *Maxime coram Reverendissimo Crispo*, *& in d. Taretina Beneficii S. Mariæ de Scala super institutione* 27. *Junii* 1721. §. *Cujus cor. Me*,

8 Idque procedit non obstante, quod præ-
sentationes in dicto ultimo statu anni 1662.
fuissent admissæ cum clausulis præservativis
nàm cum adhuc decreta fuerit institutio ap-
probata subindè in Sac. Tribunali, clausulæ
præservativæ petitorium potiùs respicientes
obicem præbere non possunt, quin ratione
quasi possessionis, & ultimi status attendi de-
beant præsentationes eorum, qui præsenta-
runt in ultima vacatione, ut sepè respondit
Rota, & signanter post *Vivian. de Jurepat. dec.* 120. *num.* 5., *&* 6. *coram Merlin. decis.* 798. *num.* 3., *& seq. coram Emerix jun. dec.* 1245. *num.* 5., *in Matheranen. Parochialis* 11. *Januarii* 1712. §. *Non obstat cum seqq. coram R. P. D. Falconerio*, *& in Asloricen. Parochialis* 30. *Aprilis* 1717 §. *Nilque turbat cor. R. P. D. meo Gomachet*.

Nec ad excludendum hujusmodi consen-
sum Patronorum respectu dictæ vocis origi-
nariè spectantis *ad Rentium de Lacu* attendi
meruit exceptio, quod demendæ sint por-
tiones derivantes à tribus fœminis ab eodem
Rentio descendentibus, sive ex quo emi-
serint renunciationes, sive ex quo istę fuerint
tantum hæredes particulares in dote, ac le-
gitima.

9 Quidquid enim sit de assertis renuncia-
tionibus, & qualitate hæreditaria dictarum
fœminarum, objectum duplici responsione
removeri visum fuit; altera quia, ut
dictum est, præsentis judicii indoles exigit,
ut in causæ discussione procedatur juxta qua-
si possessionem resultantem ex ultimo statu,
& proinde cum non solum ex isto, sed etiam
ex statibus præcedentibus appareat dictas
fœminas, earumque successores per actus
continuatos præsentasse, in his circumstan-
tiis nulla occurrit necessitas inquirendi, an
justè, & cum legitimo titulo factæ fuerint
dictæ præsentationes, ac præstiti consensus,
Rota in Majoricen. Beneficii 9 *Martii* 1711. §. *Res namque coram bon. mem. Caffarella*, *in dicta Matheranen. Parochialis* 11. *Januari* 1712. § *Quod autem coram R. P. D. Falconerio*, & magis in specie *in Firmana Beneficiorum* 3. *Junii* 1715. §. *Nec obstat*, *cum duobus seqq. cor. Me*; Altera quia
10 demptis portionibus, quæ obvenire potue-
runt ad dictas tres fœminas à dicto Rentio
descendentes, sive earum successores, vox
ipsius Rentii dicenda esset integrè delata
ad Pompeium Indellum; cum igitur idem
Pompeius anno 1644. donationem Jurispa-
tronatus exaraverit favore Nicolai Mariæ In-
delli, qui postea donavit Patribus Carmeli-
tis Civitatis Monopoli, eo ipso, quod isti
consenserunt resignationi favore Manfredi,
frustra excipitur de non jure dictarum fœ-
minarum, ut in similibus terminis dictum
fuit *in Melevitana Beneficiorum* 10. *Junii* 1712. §. *Quod autem coram Reverendissimo Aldrovando*.

11 Minusque relevans apparuit, quod dicta
donatio per Pompeium Indellium facta fa-
vore Nicolai Mariæ Indellii, vel dici debeat
nulla ex defectu consensus Ordinarii, vel
tamquam limitata ad filios masculos tantum
Donatarii, per istius præobitum sine filiis
una cum aliis substitutis resoluta penitùs re-
manserit.

Siquidem respectu assertæ nullitatis, hæc
facilè submovetur; tum quia Nicolaus Do-
natarius de tempore reportatæ donationis
Jurispatronatus, vel descendens à memora-
to Rentio de Lacu erat legitimus Compatro-
nus ejusdem Jurispatronatus, & propterea
non indigebat consensu Ordinarii, *Vivian. de Jurepatr. lib.* 4. *cap.* 4. *sub nu.* 7. *vers. In donatione autem*, *Rot. post eumdem dec.* 110. *n.* 15. *cor. Verallo dec* 248. *n.* 1. *p.* 2., & *in rec.*
12 *dec.* 707. *n.* 4 *p.* 1. Tum quia post dictam do-
nationem favore Nicolai exaratam de anno
1644. ejus Successores continuatè præsenta-
runt, eorumque præsentationes fuerunt ef-
fectum sortitæ; ideoque ex hoc notabili lap-
su temporis requisita Ordinarii approbatio
satis præsumitur intervenisse, ut notat *Vivian. de Jurepatr. lib.* 4. *cap.* 4. *nu.* 6., *Rota cor. Mantic. dec.* 86. *n.* 10. *coram Pentinger. dec.* 177. *nu* 6., & *in Vulturarien. Beneficii* 29 *Januarii* 1720. §. *finali cor. R. P. D. Co-*
13 *rio.* Attento præsertim, quod pro validita-
te ejusdem donationis in specie resolutum
fuit in *dicta Decisione* 15. *Aprilis* 1687. §. *Et sanè cor. clar. mem. Cardinali Cuccia*, quæ
juxta stylum venit supponenda, itaut posses-
sio vigore dictę donationis remaneat quali-
ficata, ut bene firmat *Rota in Cassanen. Beneficii* 27. *Martii* 1713. §. *Maximè coram Rmo Crispo*, *& in Casertana Beneficii* 17. *Martii* 1715. §. *Quæ quidem coram Emo Scotto*.

Exceptio autem resolutionis præfatæ do-
nationis, ex qua Defensores Viti Experti
sustinere contendebant dictum Pompeium
anno 1658. legitime devenisse ad secundam
donationem Jurispatronatus favore duorum
Canonicorum antiquiorum Cathedralis Ec-
clesiæ Monopolitanæ, facile excluditur.
Ut enim constitit in facto dicti antiquiores
Canonici in antecedentibus vacationibus
nullam expleverunt præsentationem, & è
converso vigore primæ donationis successo-
res dicti Nicolai, ac etiam ipsimet Patres
Carmelitę posteriores Donatarii Nicolai
14 Mariæ usque nunc admissi semper fuerunt
ad præsentandum; unde tamquam validè
constituti in quasi possessione præsentandi,
sicuti ad formam eorum possessionis ipsis de-
negari minime posset manutentio, *Rota in dicta Casertana Beneficii* 27 *Martii* 1715. § *Docuit enim cor. Emo Scotto*, & *in Firmana Beneficiorum* 3. *Junii* 1715. §. *Hinc propterea coram Me*; Ita relicta qualibet in-
15 dagine circa dictas donationes, dubitari
nequit de validitate, ac efficacia dicti con-
sensus, quem Patres Carmelitæ vigore ulti-
mi status controversæ resignationi præstite-
runt,

runs, ut in terminis similis donationis ponderat *Rota in Compostellana Parochialis 31. Januarii 1721. §. Hisce*, & *22. Novembris ejusdem anni §. Absque eo quod.*, & *seq.*
16 *cor. R. P. D. Falconerio*, regulare quippe est, quod exceptiones, quæ non sint clarissimæ, sed quoquo modo dubiæ contra ultimum statum non attenduntur, sed rejiciuntur ad petitorium, ut passim respondit eadem *Rota*, & præcipue in *Mediolanen. Beneficii 7 Junii 1715. §. Hic ita coram Rmo Crispo, in Cassanen. Beneficii 17. Martii 1713. §. Major cor. eodem*, & bene prosequitur in *dicta Compostellana Parochiali 22. Novembris 1721. §. fin. cor. R. P. D. Falconerio Almæ Urbis Gubernatore.*
17 Eoque certius quia, etsi dicta prima donatio directa videatur ad Nicolaum Indellum, ejusque filios masculos *tantum*, nonnde tamen Pompeius donans potuit aliam explere donationem favore Canonicorum antiquiorum d. Ecclesiæ Cathedralis, sub prætextu, quod idem Nicolaus nulla suscepta prole obiisset; nam cum natura donationis inter vivos sit perpetua, & transmissibilis ad quoscumque successores, deficiente pacto reversivo, res donata ad Donantem nunquam revertitur, ad *Tex in l. 1. ff. de donat. leg Senatus 35. §. Donatio ff. de caus. mort. donat.*, *Redenasch. cons. 46. n. 50.*, *Rota in Romana Donationis, seu Pecuniaria, 13. Januari 1707. §. Donatio cor. bo. mem. Kaunitz*, & *in Anconitana Successionis quoad Commendatorem Camillum, & Magnum Priorem de Ferrettis 22 Februarii 1722. §. Obvium cor. R. P. D. meo Calcagnino.*
18 Quæ juris censura vindicat sibi locum, quamvis donatio legatur expresse directa ad certas personas, sive ad masculos cum clausulis *donec*, vel *tantùm*, quia ex hujusmodi dictionibus dicitur quidem illis donatum, sed donatio favore Donatoris minime dici potest resolubilis, cum potius juxta ejus indolem, ubi masculi, ac aliæ personæ considerate, vel substitutæ deficiunt, apud ultimum remanet libera, ac transmissibilis ad ejus heredes, qui si non jure ipsius donationis, jure tamen transmissionis res donatas valide, ac legitime acquirunt, ut in punctualibus terminis probat *Bursat. cons. 31. n. 7.*, *Spad. cons. 46. n. 31.*, & *seq. vol. 1.*, *Mantic. de tacit. lib. 3. tit. 21. n. 20.*, *Gratian. discep. 386. à n. 14. cum plurib. seqq.*, & *discep. 568. à n. 1. cum seqq.* & hanc opinionem, rejecto *Soccin. jun.*, constanter tenuit *Rota*, & signanter *cor. Achil. dec. unic. de donat. cor. Puteo, dec. 273. per tot. lib. 3. in rec. dec. 98. à n. 8., cum seq. p. 12. dec. 434. à nu. 1., cum plurib. seqq.*, & *dec. 458. n. 10.*, & *seq. p. 13.*
19 Hisque retentis, Domini necessarium minime putarunt assumere inspectionem super voce, quæ provenit à *Cubello de Lacu*, quia cum favore Manfredi assistat integra vox proveniens à *dicto Rentio, seu Laurentio de Lacu*, altero ex antiquis Patronis, satis hoc medio remanet satisfactum justificationi litterarum Apostolicarum vocis medietatem exquirentium, & propterea nil ulterius quærendum est, ad hoc ut gratia derogatoria veniat debitæ executioni demandanda ad exclusionem Viti Competitoris, ut præter allegatos bene tradit *Rosa de execut. litter. Apostol. in addit. ad primam partem cap. 5. n. 47.*, *Rot. in Alexanen. Beneficii 11. Decembris 1711. §. Quoniam cor. Rmo Aldrovando.*

Et ita utraque &c.

CIVITATIS VETULÆ IMMISSIONIS.

Luna 15. Februarii 1723.

ARGUMENTUM.

Donatio inter vivos ex insinuationis defectu non irritatur, quando per juramentum, & Judicis decretum isti satisfactum appareat, neque ex quo Donatarius reservatum usumfructum Donanti non persolverit, si iste rem donatam retinuerit, ad quem titulum talis retentio est referibilis; numquam verò ad durum revocationis effectum, sique respectu Donantis apparet ineffectuata, id tamen ejus filiis à Patre independenter, & dispositive à Donante vocatis non præjudicat. Cohæret ex defectu inventarii non tenetur ultra vires portionis hæreditariæ ad se delatæ, ex quo idem defectus obligationem solidalem non secumferat, sed pro virili tantum.

SUMMARIUM.

1 *Donatio inter vivos justa ratione facta favore nepotum, & pronepotum cum omnibus solemnitatibus revocari non potest*, & num. 5.
2 *Donatio ex defectu insinuationis irritatur.*
3 *Limita si in donatione Judex decretum suum interposuerit, quod insinuationis defectum supplet.*
4 *Amplia, quando donans insinuationi, etiam cum juramento, renunciavit.*
6 *Donatio perfecta irrevocabiliter avocat dominium à donante, illudque in donatarium transfert.*
7 *Amplia, si donans sibi usumfructum reservasset, & donatio cum clausula constituti esset justa, quæ clausula est translativa possessionis, & dominii.*
8 *Clausula constituti transfert possessionem etiam civilem; itaut donatarius cum tali clausula dicatur possidere, ejusque possessio cuicumque alteri possessori præfertur.*
9 *Donatio non irritatur, ex quo donatarius non solvisset usumfructum favore donantis reservatum, quando ille loco agendi pro solutione, rem donatam penes se retinuit*, & n. 10.
10 *Donans cum reservatione usufructus retinens*

uens rem donatam, præsumitur ad effectum se de usumfructu satisfaciendi; neque talis possessio facit præsumere donationis irrevocabilis rescissionem.

11 *Statutum à Juris dispositione valde exorbitans non est exequendum.*

12 *Donatio quod firma steterit in mente donantis, eruitur, ex quo in secunda donatione nullam causam revocandi primam adduxerit.*

13 *Donatio facta nepoti, & filiis istius, etiam si inobservata quoad illam appareat, talis autem inobservantia istis non præiudicat, cum iure proprio, & à Patre independenter succedant.*

14 *Donatio ex præobitu donatarii ad donantem non regreditur, si in ea etiam illius filii vocentur, & purificatæ non appareret conditiones in donatione appositæ*, & vide casum, atque amplia, ut in n.16.

15 *Filii positi in conditione pacti reversivi dicuntur dispositivè vocati, & quando, ac ex quibus verba donantis distributivè inter filios donatarii, & illum sint intelligenda.*

17 *Hæres tenetur servare factum defuncti*; distingue ut in num. seq.

18 *Hæres tenetur servare factum defuncti quo ad illam tantam hæreditariam portionem sibi obventam*, & n.23.

19 *Defectus inventarii ligat hæredem respectu creditorum, & legatariorum defuncti, sed nullo modo producit obligationem solidalem favore istorum inter cohæredes, ut possint, ultra quotam eis obventam, conveniri.*

20 *Amplia, quando non agitur de observanda obligatione individua, quæ talis sit in promissione*, & re limita ut in n.21.

21 *Donator tenetur ad quanti interfit donatario rem donatam istum non posse consequi ex facto illius.*

22 *Obligatio ad interesse inter hæredes coobligatos de sui natura est dividua.*

DECISIO MCCCLXIII.

Donationem Pradii *della Banditella* in Vincentium Santinum, ejusque filios collatam ex liberalitate Fulviæ de Anselmis anno 1636., ac postmodum à Juliano Gessio, qui non diversam alterius donationis, longe tamen posterioris causam fovebat, acriter oppugnatam, pleniffimam censuit habere firmitatem R.P.D. Narus Judex Deputatus, qui pronunciavit favore Joannis Pauli filii præfati Vincentii interim defuncti Sententiam immissionis, prolapsam subinde in rem judicatam ob neglectam intra tempora præstituta appellationis prosequutionem, & comprobatam ab R. P. D. Sardino Judice alterius instantiæ, mediante mandato de exequendo, & taxatione expensarum.

Delata postremo causa ad sacrum Tribunal cum clausula -- *Alteri, qui ad legitimam* -- ad ejus formam hodie exhibul, tamquam suffectus in locum bon. mem. Ansaldi, congruum dubium, & à Dominis accepi responsum -- *Procedendum esse ad legitimam exequutionem.*

Omissa enim validitatis inspectione, quæ in controversiam non adducebatur, & cæteroquin præclare apparebat ex revolutione actorum juxta vulgatam *Decis. Caputaquen.162.p.a*. Pro eo quod ad merita causæ attinet, ex publico, solemnique constat instrumento, præfatam Fulviam de Anselmis justa ratione motam, ut liberalitatem, & munificentiam exerceret erga Vincentium Sanctinum nepotem suum, beneque de se merentem, in hunc, ejusque liberos natos, & nascituros memoratum Prædium cum domo, & horto in eo existentibus, titulo pure & irrevocabilis donationis, quæ dicitur inter vivos transtulisse. Ex quo sane, quemad-
1 modum liquet fuisse jure optimo per geminas sententias precedentes concessam, ad recensita bona immissionem Joanni Paulo dicti Vincentii filio, ad notissimum *Tex. in leg. fin.Cod.de edict.Div.Adrian.tollen*, ita modo conveniens visum est, illarum legitimam exequutionem demandare.

2 Frustra verò Gessius ejusmodi donationem irritam esse contendebat, quia non fuerit actis interveniendibus insinuata, veluti præscribitur de jure communi in *leg. sancimus,Cod.de donat.*, & à *Statuto Urbis Veteris* (ubi stipulatum fuit instrumentum)
3 *lib.1.cap.22.* Etenim cum ea solemnitas fuerit ad coercendas fraudes instituta, satis superque cautum in præsenti videbatur, ex quo controversa donatio noscitur celebrata cum auctoritate, & decreto Judicis, quo suppleri defectum insinuationis tradiderunt, *Alexand.cons.157.n.2.lib 2., Adden. ad specalat. lib.2. tit.de instrum. edit.* §.14 *col.6., Gabriel.commun. conclus lib.2.tit. de donat. concl.1.n.46.vers.11.limita, Rot.cor.Burat.t. dec 34.n.27.,& cor. Ludovis. dec.391.in fin.*
4 *& dec.387.n.62.& seq.p.9.rec.*; Sed penitus removetur difficultas, quia specialiter eidem Insinuationi fuit à Donatrice etiam cum juramento renunciatum; unde ambigi non oportet, donationem ita confectam, firmam, ratamque manere, *Bald.in cap.cum continga n.13.vers. Tamen verior est de legat.1., Gabriel.lib 3.tit.de donat. conclus.1. nn.6., Menoch.cons.451.n.21., Clar.in* §. *Donatio q.18. n.25., Adden.ad Ludovis.dec.391.n* 10., *Rot. cor.Burat.dec* 76. *num.12.*, & in his præcisis terminis Donationis factæ Urbeveteri, *Rot. cor.Seraph.dec* 472. *n.14.&* 15.

5 Sic etiam nihil obstare visum fuit, quod adhuc post expletam donationem Fulvia continuaverit bona donata possidere, & Donatarius viceversa defecerit solvere scuta 35. loco usufructus à Donatrice reservati; unde inferebatur, vel donationem non habuisse effectum, vel quoniam neutra ex parte fuerant, quæ in stipulatum deducta erant, debitæ exequutioni de mandata, neq; usufructu soluto, neque fundo tradito, placuisse

inter eos videri, ut discederetur ab illa
priori donatione, juxta censuram Statuti
Urbis Veteris *lib.2.cap.*88., & liberum fuisse
eidem Fulviæ alteram favore Gessii cele-
brare.

Ut enim Domini bene ponderabant, prior
donatio facta Sanctinis usque à principio
perfecta fuit, & irrevocabilis, cum appareat
stipulata non sub aliqua mortalitatis cogi-
tatione, sed omnino inter vivos absolutè, si-
ne conditione, & cum amplissimis clausulis
Constituti, & Precarii, præsente, & expres-
sè acceptante præfato Vincentio pro se, &
suis, ac demum munita sit speciali juramen-
to non revocandi, & obligatione Camerali,
cunctisque aliis solemnitatibus, *leg. perfecta
Cod. de donat., quæ sub mod. Antun. de donat.
reg. lib.1. prælud.2. num.6., Rot. cor. Duran.
dec.84. n.16. cum seqq.*, & *cor. Cerro dec.394.
n.1.*, & *in nullius, seu Cassinen. Donationum
8. Martii* 1717. §. *Nec visum cor. bon. mem.*
6 *Ansaldo.* Certi autem juris est, eam perfe-
ctæ donationis esse efficaciam, ut statim
dominium irrevocabiliter abdicet à Donan-
te, illudque transferat in Donatarium, *Man-
tic. de tacit. lib.13. nu.20. & 21., Rot. dec* 68.
7 *n.6., & 7. p.13. rec.*, accedente præsertim re-
servatione usufructus *leg. quisquis* 28., ibi-
que *gloss. & leg. si quis argentum §. Sed si-
quidem C. de donat., Mascard. de probat.
concl.* 1188. *n.1., & seq., Rot. cor. Duran. dec.*
84. *n.19.*, & *cor. Emer. jun. dec.*1325. *n.2. &*
4. Et virtute clausulæ Constituti, quæ in his
terminis non solùm possessionis, sed est etiam
dominii translativa, *leg.1. ff. de donat. & leg.
Senatus §. Donatio ff. de donat. caus. mort. &
gloss. communiter approbata in leg. ab emp-
tione ff. de pact., Rot. cor. Duran. d. dec.*84.
*n.16. & 18. cor. Merlin. dec.*568. *n.*34 & *seq.*,
& *in Perusina Donationis* 3. *Junii* 1701. §.
8 *Moti cor. bon. mem. Muto.* Nequit igitur du-
bitari, quin ex hujusmodi donatione statim
acquisitum fuerit Vincentio, ejusque libe-
ris dominium fundi donati, & ex vi consti-
tuti etiam illius civilis possessio, ut prose-
quitur *Rot. dec.*143. *n.4. p.16. rec.* Sequuta
verò dominii, & possessionis translatione,
nil aliud desideratur, ut dici possit donatio-
nem habuisse effectum suum, itaut hujusmo-
di Donatarius præferatur etiam cuicumque
alteri Possessori cui deinde realis, & actua-
lis traditio rei donatæ facta fuerit, ut in
puncto firmavit *Rot. cor. Duran. d. dec.*84.
n.18., 19., & 20. & *cor. Cerr. dec.*394. *num.*4.
& 5.

9 Quod si tamen donationis acceptor dein-
de non adimpleverit susceptum onus solven-
di Fulviæ in annos singulos scuta 35., ipsa-
que perseveraverit in possessione bonorum
donatorum, non ideo rescissa videri debet
donatio, *leg. possessionem*, & *leg. si donatio-
nem Cod. de revocan. donat.* Sed cum præfa-
ta mulier sibi reservasset usumfructum, &
ejus loco Donatarius promisisset solvere
quot annis scuta 35., quotiescumque iste
dictam annuam præstationem non adimple-
bat, in ejus arbitrio positum erat, firma
semper manente donatione, vel agere apud
Judicem, ut hanc impleri provideret, ad
*Tex. in leg. legem C. de donat., leg. ea conditio-
ne Cod. de rescind. vendit., Rocc. disput. jur.
cap.*105. *n.3. & seq., Rot. cor. Ludovis. decis.*
130. *n.* 2., & *dec.* 121. *n.1. p.4. rec. tom.*2., vel
10 continuare possessionem fundi donati pro
consequendo usufructu: dum verò donatrix
postremum hoc remedium elegit, consequens
est, & usumfructum recepisse, & in eam
causam referendam esse possessionem, in
qua permansit, nullo verò modo sumi posse
pro nota inobservantiæ.

11 In his autem circumstantiis prorsùs ex-
tranea remanet dispositio in contrarium al-
legati Statuti, decernentis irritos contra-
ctus -- *Si postea alienator fuerit inventus
possidere* -- Præter quam enim illud videtur
à juris dispositione valde exorbitans, & sic
non debet extendi ad hujusmodi gratuitos
contractus, cum restrictivè disponat de aliis
contractibus onerosis alienationum; cessat
præterea quæcumque difficultas, quia in-
12 concussa donationis firmitas etiam juxta
mentem Donantis ex eo ostenditur, quod
ipsa Donatrix nullam pro ea revocanda
causam designare valuit in actu secundæ do-
nationis factæ anno 1649. favore Gessii; imo
eam nullo modo revocavit: animadverten-
13 do insuper, quod si qua posset unquam con-
siderari inobservantia donationis respectu
Vincentii, nullum tamen inde inferretur
præjudicium Joanni Paulo moderno Actori,
cum veniat jure proprio, & independenter
à Patre, veluti ex propria persona vocatus,
*glos. in leg. si tibi decem §. Si pactum, verb.
prodierit ff. de pact., Bartol. in leg. ut jus ju-
randum §. Si liberè ff. de opt. lib. Rocc. disput.
jur. cap.*106. *n.19. & seq., Rot. dec.*80. *n.*15.
cor. bon. mem Ansald., & *in Firmana Bono-
rum, seu* Donationis 9. *Maii* 1707. §. *Cum
enim cor. clar. mem. Priolo.*

14 Neque demum ex quo Vincentius imme-
diatus Donatarius supremam diem expleve-
rit, vivente Donatrice, factum dici potest,
fuisse locum pacto reversivo in donatione
posito, constat enim, illud ad ajectum quidem
fuisse in casu, quo Vincentius morte præ-
ventus esses, nullis existentibus filiis ibi,
præmoriente Vincentio, vel quatenus ejus
filii extitissent, ipsi quoque acerbum Paren-
tis fatum sequuti essent, vivente adhuc Do-
natrice, sicut ad litteram probant ea verba
-- *sicut etiam quatenus morientur filii Vin-
centii ante mortem Fulviæ, itaut nullus fi-
lius remaneat, redeant similiter ad Fulviam*;
non verò etiam in alio diverso casu, quo si-
ve Vincentius, sive ipsius filii superstites
Donatrici fuissent, tunc enim Donatrix vo-
luit, illos perfrui collata liberalitate, nec
ullum esse reversioni locum, quemadmodum
15 protestata est ibi: *Sed si Vincentius morie-
tur cum filiis, & Fulvia illi, & illis præ-
morietur, sit d. Vincentius, & sui, liber
Dominus Bonorum.* Quæ sane verba intel-
ligi

ligi pernecesse debent distributivè, cum ex
supradictis constet, regressum, in eo tantum
casu fuisse reservatum -- *quo nullus filius re-*
maneat -- ut arguit *Bald. in leg. pro heredi-*
tariis sub num fin. vers. nam à contrario sen-
su videtur providere liberis Cod. de heredi-
tar. act. Jason. in l. pecuniam sub n.2. ff. si cer.
16 *pet: Rot. dec. 441. n.14. cor Cerro*, ac proinde
cum ex Vincentio prędefuncto hodie super-
stes Donatrici sit Joannes Paulus, certum
est, conditionem, sub qua reversio stipulata
fuit, purificatam minime fuisse, ad *Tex. in*
l. inter Socerum §. Cum inter Patrem ff. de
pact. dotal.

Vindicata ab omnibus objectis priori do-
natione, expedita panditur via exequutioni
Sententię Immissionis favore Joannis Pauli
17 non obstante, quod ipse, cum intestatam
hæreditatem Fulviæ, veluti ejus Consangui-
neus adiverit, tanquam hæres videatur ob-
strictus secundam donationem à defuncta
factam, & cujus vigore Gessius detinet con-
troversum fundum, omnino ratam habere,
ad *Tex. in leg. cum à Matre Cod. de rei vin-*
18 *dicat.* Animadvertebant enim Domini præ-
fatam hereditatem pro dirimendis contro-
versiis inter ipsum Joannem Paulum, Ges-
sium, & Taburrum de eadem successione
contendentes, scissam fuisse in quatuor par-
tes, & ex his unam tantum pervenisse ad
Joannem Paulum: unde pro hac solum por-
tione dici poterat obligatus servare factum
Defunctæ, *leg. controversia ff. de transact. leg.*
1. & 2. ff. de heredit. action., *Salgad. in laby-*
rint. credit. p.2. cap.25. nn.62. & 65. Auctor
voti 7. n.12. post decis., *Rembold.* cum aliis
in *Bononien. Fideicommiss. de Ghisleriis su-*
per redditione rationis 4. Martii 1709. §.
Pariterque cor. bo. me. Molines.

Respectu verò hujus quotæ, jam optime
provisum fuit in præcedentibus Sententiis,
dum non aliter concessa fuit Immissio, quàm
dimissis omnibus bonis hereditariis Fulviæ,
quatenus adæquent quartam partem, sin
minus soluto per eumdem Actorem residuo
usque ad quartam partem, & de facto hanc
conditionem neque idem Joannes Paulus
hodie recusat.

19 Quin replicari valeat, quod cum fuerit
hæres simplex, non pro virili, sed etiam in
solidum teneatur ad servandum factum De-
functę. Quia omissio inventarii poterit qui-
dem operari, ut hæres teneatur ultra vires
respectu Creditorum, & Legatariorum, si
qui sint, sed nullo modo producit inter Co-
hæredes obligationem solidalem, ut con-
veniri possint ultra quotam, ut magis com-
muniter tenent *Molin. de Primogen. lib.4.*
cap.1. n.24., *Altograd. controv.49. n.11.*, &
perpetuò tenuit *Rot. dec.127. nn.21. & seq.*
post Merlin. de pignor., & *in Romana Census*
6. Aprilis 1693. §. Minus adversatur cor. cl.
memor. Card. Caprara, & *in Romana Lo-*
corum Montium 26. Junii 1697. §. De nul-
litate cor. clar. mem. Priolo.

20 Quod sine dubio procedit in pręsenti ca-

su, dum non agitur de observanda obliga-
tione omnino individua, quæ talis sit pro-
21 missione, & re, sed versamur in donatione
quæ tamquam expleta super Prædio, quod
amplius non erat in dominio Donatricis, non
aliter ab ipsa Auctrice servari poterat, quam
præstando interesse, ad *Tex. in leg. quoties*
Cod. de rei vindicat., *Pereg. de fideicommiss.*
art.51. n.72., *Rot. dec.799. n.2. p.18. rec.* Cum
22 itaque tota obligatio, quæ in heredes pro-
fecta fuit, restricta sit ad præstationem inte-
resse, quod debebat Donatrix, citra dubium
censetur dividua, per *Tex. in leg. stipulatio-*
nes 72. ff de verbor. oblig., *Rot. dec.50. n.12.*,
23 & *dec.159 n.24. p.11. rec.*, ac proinde Joan-
nes Paulus tenetur servare factum Defunctę
Auctricis solum pro qua portione ad eum
hæreditas pertinet, ad *Text. in leg. cum à*
Matre, Cod. de rei vindic.

Et ita utraque Parte informante &c.

TARENTINA BENEFICII SANCTORUM SIMEONIS, ET JUDÆ.

Veneris 19. Februarii 1723.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius emanatę sub die
15. Maii 1722.

Juspatronatus, quod ex Fundatoris verbis per
se stare colligitur, directamque Clericorum
vocationem de eius linea continet, opera-
tur, ut isti tempore vacationis, cum ex-
pressè dicantur vocati, facto Patronorum
non indigeant, præsertim si ad istorum ope-
ram in eo tantum casu non existentiæ Cleri-
corum de sua linea ille respexisset, simili-
terque vocatio neque dici queit ordinaria
per vulgarem, quando idem Fundator per-
petuum succedendi ordinem, tàm passivè,
quàm activè per modum legis inter suos de-
scendentes decrevisset.

SUMMARIUM

1 *Præsentatus habens qualitates à Fundatore requisitas, cum passivè dicatur vocatus, Patronorum nominatione non indiget, ut instituatur.*

2 *Amplia, ut neque habeat locum arbitrium pro retardandis* Litteris *Apostolicis, quando istę appareant verificatæ*, & n. 3.

3 *Juspatronatus passivum stare dicitur de per se, quandò Fundatoris verba ad Patronos non sunt directa, sed ad ipsos passivè vocatos, adeout isti Patronorum opera non indigeant ut instituantur.*

4 *Amplia, quando adeptio vacantis Beneficii immediate reposita est in arbitrio vocatorum, quod denotat Fundatorem ad nullum Patronorum factum respexisse*, & nn. 5., & 15.

5 *Facultas eligendi Beneficiatum per Fundatorem concessa in casu non existentiæ Cle-*

 rici

rici de sua linea expresse vocati, & restricta ad casum non existentiæ ejusdem, eo extante, dicitur denegata Patronis.

6 *Observantia probanda est in linea præscriptiva adversus Clericum de linea Fundatoris immediate, & absque facto Patronorum clare ex lege fundationis vocatum.*

7 *Amplia, si talis observantia redderetur æquivoca, & ad alia beneficia referibilis & non esset qualificata à coactione, scilicet*, quod Clerici de familia institerint pro institutione, & tamquam Patronorum præsentatione destituti, fuissent rejecti.

8 *Gratia Apostolica per expressionem factam à vocato*, quod nullus alter magis qualificatus existat, *verificatur, quando concurrentes sunt in eadem linea, & æquè qualificati, adeout major ipsis non detur*; & vide casum.

9 *Amplia favore Provisi Apostolici habentis gratiam* pro qualificato, *quæ cuicumque Juri ab aliis quæsito derogat.*

10 *Vocatio collectiva plurium ad Juspatronatus etiam in deferenda passiva successione in isto, si destituta reperiatur verbis denotantibus tractum successivum, regulariter per vulgarem dicitur ordinata, quæ effectum suum statim consumit.*

11 *Limita, ubi ex verbis, & coniecturis constat Fundatorem voluisse in tempus longævum prospicere, & perpetuum succedendi ordinem statuere, cum tali casu inductum dicatur fideicommissum, cujus vigore successio de uno in alium defertur*, & n. 13.

12 *Amplia, etiamsi verba temporis tractum significantia in ipsa substitutione posita non legantur, sed constet aliunde de voluntate perpetuò disponendi.*

13 *Fundator in primordio dispositionis declarans fundare juspatronatus perpetuò duraturum pro primo vocato, & successoribus, non dicitur se voluisse coarctare ad casum existentiæ tantum Clerici in linea vocata*, & nn. 17., & 19.

14 *Amplia, si Fundator, sequendo dispositionem, post obitum primi vocati promulgasset legem in futuris vacationibus observandam*; subamplia, ut in nn. 6., & 22.

16 *Verbum* -- Linea -- *designat collectionem, & successivitatem graduum, ac personarum*, & n. 8.

18 *Vocatio concepta sub tractu successivo, & perpetuo æquè continetur tàm sub numero, ac nomine singulari, quàm in plurali.*

19 *Vocatio lineæ à Fundatore Beneficii expressa non censetur restricta ad casum existentiæ primi tantum nominati, sed perpetua de uno gradu in alterum, quando exercitium jurispatronatus activi, & passivi in facto Patronorum reposuit*, in casu tantum non existentiæ Clericorum de sua familia.

20 *Amplia, si dispositio adversativè reperiatur concepta sub verbis* -- Si vero nullus fuerit de meis,

21 *Vocatio Clerici per vulgarem ad Iuspatronatus, quæ effectum suum statim consumit; non dicitur à Fundatore volita, bene vero fideicommissaria, quando ejus dispositio esset, ut supra, negativè concepta* -- Si nullus fuerit de meis --

22 *Amplia, si Fundator perpetuò disponere professus sit, & per modum legis ordinasset consequtionem Beneficii post obitum primi Beneficiati remanere in arbitrio Clericorum de sua linea, quibus deficientibus, facultatem nominandi Patronis dedisset.*

23 *Subamplia, si quoad Iuspatronatus activum dispositio comprehenderet omnes descendentes, tàm ex Sororibus, quam fratribus d. Fundatoris.*

24 *Prædilectio in jure activa præsentationis, ubi verba non pugnant, sed potius in idem conspirant, optimè infertur ad commodum prælationis passivæ.*

25 *In materia Iurispatronatus, verba Fundatorum in latiori significatione sumenda veniunt, & in ea, quæ ejus consanguineis magis faveant.*

DECISIO MCCCLXIV.

Discussa in triangulari disputatione Iuribus trium Competitorum aspirantium ad consecutionem Beneficii SS. Simeonis, & Iudæ ab Archiepiscopo Tarentino erecti usque de anno 1181. *sub die 15. Maii Anni præteriti* coram Me, ad exclusionem institutionis petitæ per Carduccium, ac Marresium à pretensis Patronis præsentatis, resolutum fuit *non intrare arbitrium pro retardatione Litterarum Apostolicarum*, quas uti qualificatus obtinuerat Io: Baptista de Sanctis; concessaque utrique succumbenti promulgatæ decisionis revisione, DD. in hodierna Audientia persistere censuerunt *in decisis*.

1 Siquidem Ioannes Baptista Provisus Apostolicus iterum docuit Beneficium controversum ex clara lege fundationis absque ope, & auxilio præsentationis Patronorum directe conferri debere Clerico de linea Fundatoris, nullumque ex passive vocatis magis qualificatum concurrere in præsenti vacatione; ideoque tamquam suffultus passiva vocatione, & qualitate volita per Fundatorem, necessariò debet institui, & gratia per ipsum reportata sub dicta duplici
2 narrativa, est omninò exequenda, nec ullum intrat arbitrium pro eius retardatione, ut in terminis gratiæ pro qualificato bene respondit *Rota in Montis Regalis Jurispatronatus 7 Decembris* 1708. *§. Quæstio, & seq. cor. bo. me. Ansaldo*.

Nec dubitandum censuerunt DD. de verificatione utriusque narrativæ Pontifici factæ, quo enim ad primam respicientem qualitatem Beneficii, *absque opera Patronorum conferendi Clerico de linea Fundatoris*, ista perspicue resultat ex litera eius-dem

dem fundationis, in qua nulla adhuc facta
mentione Jurispatronatus activi per obitum
Admirati primi Rectoris nominati, ad con-
secutionem vacantis Beneficii directe legi-
tur invitatus quilibet Clericus de linea; cum
3 autem verba fundationis non dirigantur ad
Patronos, sed ad ipsos Clericos vocatos,
Iuspatronatus passivum stare dicitur de per
se, & tamquam continens vocationem di-
rectam, nullam exigit præsentationem Pa-
tronorum, ad tradita per *Rot. in Civitatis
Castelli Canonicatus* 12. *Martii* 1714. §.
Conciliari cor. Eminentissimo Scotto, & *in
Montis Regalis Prioratus* 24. *Januar.* 1718.
§. *Ad differentiam cor. bo. me. Ansaldo*.

Potissime quia acquisitio vacantis Benefi-
4 cii immediate reposita fuit in arbitrio, ac
voluntate ipsius Clerici de linea, quatenus
scilicet aspirare vellet ad illius consecutio-
nem, ibi -- *Si aliquis de linea mea officio
prædicto clericali in ipsa Ecclesia voluerit
esse, pro tali viro sit* -- Si enim per Funda-
torem non solum fuit directe concepta vo-
catio Clerici de linea, sed eius admissio re-
posita etiam extitit in ipsius libera volun-
tate, certius, & absque ulla penitus diffi-
cultate comprobatum remanet, quod idem
Fundator in hac parte nullum præservaverit
factum Patronorum, adeout passive voca-
tus, tamquam habens vocationem imme-
diatam ipsius Fundatoris, independenter
à quailbet præsentatione veniat admitten-
dus, ut in his terminis firmavit *Rota in Ma-
joricen. Beneficii* 4. *Iulii* 1696. §. *Quarum
prima*, & 16. *Februarii* 1699. §. *Cum au-
tem cor. clar. me. Card. de la Tremoille*.

Non obstante, quod Fundator consideran-
5 do casum, quod nullus Clericus de linea
vellet adspirare ad consecutionem Benefi-
cii, ex post rationem habuerit de Jurepa-
tronatus activo, designando personas, quæ
præsentare deberent; siquidem ex hac po-
steriori dispositione Iuspatronatus activum
apparuit subsidiarie ordinatum in casu non
existentiæ Clerici de linea, vel quatenus
nullus de linea voluisset concorrere ad Be-
neficii consecutionem, & propterea donec
extant, & concurrant Clerici de Familiæ,
tamquam in casu opposito, quiescere dici-
tur quodlibet præsentationis exercitium,
itaut pro destructione immediatæ vocatio-
nis superiùs ordinatæ per Fundatorem, Pa-
troni nullum ius valeant allegare ex d. sub-
sidiaria dispositione, ut optime firmavit *Ro-
ta in rec. dec.* 325. *n.* 11 *p.* 17., & *in d. Ma-
joricen. Beneficii* 4. *Julii* 1696. §. *Secunda
verò cor. clar. me. Card. de la Tremoille*.

Prout non refragatur iterum inculcata
6 observantia in contrarium, ex quo Clerici
de linea semper fuerint ad præsentationem
Patronorum admissi; quia cum resistat cla-
ra lex fundationis, eadem observantia pro-
banda esset in linea præscriptiva, in qua
7 specie certe deficere visa fuit; tùm quia ex
documentis exhibitis dignoscitur undequa-
que involuta, & æquivoca, uti referibilis ad
alia Beneficia de Iurepatronatus eiusdem
Familiæ, tum quia non qualificatur a coa-
ctione, quod scilicet Clerici de Familia in-
stiterint pro institutione, sed tamquam de-
stituti præsentatione Patronorum fuerint
reiecti, & rejectioni acquieverint, ex fir-
matis in *Decis. quæ revidetur* §. *Spreto de-
mùm*, & *seq. cor. Me*.

Parique modo dubitari minime potuit de
8 verificatione alterius expressionis Pontifici
factæ, quod nempe *ex passivè vocatis nul-
lus magis qualificatus concurrat*. Cum enim
omnes descendant à Claradia Sorore Fun-
datoris, & Competitores tantum præten-
dant reperiri in pari consanguinitatis gradu
absque documento præstantioris qualitatis,
utique remanet exclusa maior qualificatio,
quæ inter pares, & æque qualificatos num-
quam potest allegari, ut probat *Rota in
Hidruntina Beneficii* 4. *Iulii* 1721. § *fin.*
9 *cor. Me*, & fortius ad exclusionem Provisi
Apostolici habentis gratiam pro qualifica-
to, dum eius favore assistit derogatio cu-
juscumque iuris, quod ab aliis æqualibus fit
adducendum, ut ponderatum fuit in *d. de-
cisione hujus Causæ* §. *Et ex hac cum seq.
cor. Me*.

His autem constabilitis, frustra per de-
10 fensores Carducci excitata fuit nova præ-
tensio, quod vocatio Clericorum de linea
directe ordinata per ipsum Fundatorem,
dici debeat restricta ad primum casum va-
cationis per vulgarem tantum, quæ per adi-
tionem primi jam expiraverit. Licet enim
vocatio collectiva plurium etiam in defe-
renda passiva successione Iurispatronatus,
quatenùs destituta reperiatur verbis deno-
tantibus tractum successivum, regulariter
dici queat ordinata per vulgarem, quæ ef-
fectum suum statim consumat, juxtà theori-
cam *Cuman. in l. Cum ita* §. *In fideicommis-
so n.*4., & *seq. ff. de legat.* 2., nihilominus
11 id non procedit, ubi ex verbis, & conie-
cturis constat Fundatorem voluisse in tem-
pus longævum prospicere, & perpetuum
succedendi ordinem statuere; tali quippe
casu inductum dicitur fideicommissum, cu-
jus vigore de uno in alterum successio defer-
tur, ut explicat idem *Cuman. in d. l. Cum
ita* §. *In fideicommisso n.* 4 *ff. de legat.* 2.,
*Card. de Luca de fideicom. disc.*93. *n.*3., *Rot.
cor. Arguell. dec.*54. *n.*2., *cor. Cerro decis.*
12 507. *n.*3., & 4. Etiamsi verba tractum tem-
poris significantia non legantur posita in ip-
sa substitutione, sed aliunde constet de vo-
luntate perpetuò disponendi, *Fusar. de
substit. q.*382. *n.*52. *& seqq.*, *Rota coram
Arguell. d. dec.*54. *n.*3.

In casu autem præsenti, inspecto per sin-
gulas partes toto contextu fundationis, un-
13 dique profluere compertum fuit argumen-
ta, & coniecturas, ex quibus apparet fun-
datorem disponere intellexisse favore Cle-
ricorum de linea pro tempore existentium,
non solum in prima, sed pro omnibus futu-
ris vacationibus; devenlendo enim ad actum
fun-

fundationis, idem Fundator primo loco di-
rexit verba ad Admiratum primum Recto-
rem ab eo nominatum, eiusque Succelso-
res illis verbis -- *Tibi dilecto Filio, & Suc-
cessoribus tuis in perpetuum* -- Ideoque cum
in primordio dispositionis declaraverit fun-
dare Iuspatronatus perpetuò duraturum
pro Admirato, & Successoribus, subse-
quens vocatio Clerici de linea, nonnisi con-
tra expressam Fundatoris voluntatem vide-
batur limitari ad casum in prima tantum va-
catione contingentem, sed necessariò con-
tinet fideicommissariam, ex qua gradatim
omnes admittantur, ut relictis generalibus,
in terminis firmat *Gratian. disceptat.* 648.
n. 4., *& seq.*, *Rota in Romana Jurispatr.*
3. *Iulii* 1705. §. *Inter alia*, *&* 14. *Decembr.*
ejusdem anni §. *Idemque*, *& seq. cor. bo. m.*
Molines.
14 Huic perpetuitati in principio satis expli-
catæ accedit, quod Fundator sequendo dis-
positionem post obitum Admirati primi Re-
ctoris, indefinitè professus est promulgare
legem pro futura Ministri deputatione, ibi,
*Post decessum verò tuum deputatio Mini-
stri taliter fiat* -- Et postea addit -- *Si ali-
quis de linea mea officio prædicto Clericali
voluerit esse, pro tali viro fit* -- Cum enim
legem deferendæ successionis in jurepatro-
natus passivo indefinitè conceptam, Fundator
15 ex post directè reposuerit in arbitrium
Clerici de linea, itaut existente aliquo Cle-
rico de familia, ille, si vellet, institui debe-
ret, utique hæc lex tamquam annexa bene-
ficio in perpetuum duraturo, qualitatem
inducit omnibus Clericis favorabilem, ex
qua unus post alium optimè potest ad Bene-
ficii consecutionem aspirare, ad tradita per
Card. de Luca de fideicom. disc. 52. *num.* 9.,
& 10. *Gratian. discept* 648. *num.* 1., *Rota
in dicta Majoricen Beneficii* 4. *Julii* 1696.
§. 1. *&* 2. *coram clar. mem. Card. de la Tre-
moille*.
16 Eoque magis attentis dictis verbis -- *Si
aliquis de linea* -- Cum namque verbum
linea collectionem, & successivitatem gra-
duum, ac personarum designet, ex plenè
firmatis per *Rotam in rec. decis.* 6. *nu.* 22., *&
seq par.* 5., *& deci.* 346. *num* 25. *par.* 11., uti-
17 que, stante hujusmodi tractu successivo, ne-
gari non potest, quod dispositio in primo
casu vacationis non consumpserit effectum
suum, sed necessario protendi debeat, ac si
dictum fuisset de gradu in gradum, ac de
descendente in descendentem, ut probat
Alexand. conf. 13. *num.* 4. *lib.* 4., *Rota coram
Seraphin. decis* 934. *sub num.* 8. *&* 9., *coram
Arguell. decis.* 54. *num.* 12., *& coram Otbo-*
18 *bon. decis.* 217. *num.* 9. *&* 10. Etiamsi verba
sonent in numero singulari, quia vocatio
concepta sub tractu successivo, & perpetuo,
æquè continetur sub numero, ac nomine sin-
gulari, quam in plurali, ut optimè advertit
Peregrin. de fideic. art. 19 *num.* 17., *Rot. in
recen. dec.* 346. *num.* 21., *& seq. par.* 11., *cor.
Arguell. decis.* 26. *num.* 9., *coram Benincasa
decis.* 5. *num.* 5.

19. Crescitque demonstratio perpetuitatis à
Fundatore volita circa vocationem passivam
Clericorum de linea, ponderando verba,
sub quibus Fundator post illius extinctio-
nem impartitus fuit certis Patronis faculta-
tem providendi Ecclesiam de Presbytero
ipsis beneviso, ibi -- *Si verò nullus fuerit de
meis, qui ad hoc voluerit pervenire, fratres
mei, soror mea, & descendentes ex eis Pres-
byterum, qui in ea Divinum Officium de-
beat celebrare, inveniant* -- Siquidem tali
pacto exercitium jurispatronatus activi, ac
etiam passivi dependentis à facto, & opera
Patronorum, dignoscitur repositum sub con-
ditione non existentiæ alicujus de familia,
qui vellet institui ad controversum benefi-
cium; Undè eo magis dicendum est, omnes
Clericos familiæ fuisse dispositivè vocatos
in præcedenti dispositione collectivè ordi-
nata sub mentione lineæ, ut per *Tex in leg.
Cum ità* §. *in fideicommisso*, *& l. Peto* §. *Ex
fratre ff. de legat.* 2., *Rot. in rec. decis.* 183.
num. 11., *&* 12. *par.* 10., *& in Romana præ-
tensæ immissionis* 13. *Mai* 1720. §. *Quam-
quam cor. R P. D. meo Gamaches*.
20 Quod certiùs procedere visum fuit in
casu præsenti, quia dicta dispositio adversa-
tivè concepta sub verbis -- *Si verò nullus
fuerit de meis* -- proùt alia præcedens, dici
nequit restricta ad certum determinatum
tempus, sed potiùs est indefinita, ac referi-
bilis ad tempus cujuscumque vacationis: In
21 his quippe terminis nunquam intrat voca-
tio per vulgarem, quæ statim effectum suum
consumat, sed potiùs convincitur fideicom-
missaria, ex qua omnes gradatim admittan-
tur, juxtà theoricam *Soccin. in leg. Solemus
num.* 6. *ff. de condit.*, *& demonstrat.*, quam
in terminis, de quibus agitur, optimè expen-
dit *Rota in Romana Jurispatronatus* 3. *Ju-
lii* 1705. §. *Quandoquidem*, *&* 14. *Decem-
bris ejusdem anni* §. *Examinata cor. bon. me.
Molines*, *&* 20. *Junii* 1707. §. *Dispositiva
coram Emo Scotto*.
Et denique perpetuitati, ac progressivæ
vocationi Clericorum de familia, suffragari
apparuit undequaque verisimilis mens Fun-
22 datoris; Si enim pius Fundator perpetuò
disponere professus est, si per modum legis
ordinavit, consecutionem Beneficii post
obitum Admirati primi Beneficiati remane-
re ad arbitrium Clericorum de linea, qui-
bus deficientibus, data fuit certis Patronis
facultas nominandi Presbyterum extra-
neum; profectò ex hac disponendi metho-
do apertè convincitur, quod acquisitio Ju-
rispatronatus passivi directè volita pro Cle-
rico familiæ, qui peteret institutionem, du-
rare debeat perpetuò, donec aliquis extat
de familia, non autem quod deficiat in pri-
ma vacatione, & statim transeat ad quoscum-
que Præsbyteros extraneos, quod non est
verisimile, ut probat *Zanch. respons. Moral.
lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 43. *nu.* 13. *in fin.*, *& lib.* 4.
cap. 1. *dub.* 24. *num.* 12., *Rot. cor. Bich. decis.*
138. *num.* 21., *& in dicta Romana Jurispa-
tro-*

tronatus 3. *Julii* 1705. §. *Verbis coram bo. mem. Molinet, & prima Julii* 1708. §. *Verosimilis cor. R.mo Aldrovando.*

23 Attento præsertim, quod respectu Jurispatronatus activi sub unica oratione concepti, dubitari non potest, dispositionem comprehendere omnes descendentes sororis, & fratrum ipsius Fundatoris; Proinde-

24 que idem dicendum est respectu passivæ vocationis Clericorum de linea sub eodem verborum contextu ordinatæ; quia ex prædilectione in jure activo præsentationis, ubi verba non pugnant, sed potiùs in idem conspirant, optimè infertur ad commodum præsentationis passivæ, ut benè dixit *Rota in Hortana Beneficii prim. Junii* 1708. §. *Talisque cor. clar. me. Card. Priolo, & in Sulmonen. Jurispatronatus* 21. *Januarii* 1715. §. *final. cor. R. P. D. meo Falconerio*; Ma-

25 ximè quia in materia indifferenti Jurispatronatus, verba sumi debent in latiori significatione, & quæ magis faveat consanguineis ipsius Fundatoris, ut in proposito expendit eadem *Rota in Auximana Jurispatronatus* 9. *Martii* 1703. §. *Non obstante coram bo. mem. Muto, & in dicta Romana Jurispatronatus* 3. *Julii* 1705. §. *Quintò demum coram bo. me. Molinet.*

Et ità Suffragatibus iterùm *quinto*, & *sexto ex Dominis* resolutum fuit utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA, SEU CESSIONIS.

Lunæ 22. *Febuarii* 1722.

ARGUMENTUM.

Adversus cedentem nomen debitoris *per tale quale è* numquam datur regressus, si cessionarius illius diminutionem pateretur, præsertim si crediti dubietas fuisset in contractu hinc inde deducta, & in pretii liquidatione considerata; sed tantummodò cedens ad illud in substantia, & realitate præstandum, atque liberum intra factum proprium, nempè, quod alteri non sit cessum, obligatur.

SUMMARIUM.

1 *Vendens, vel cedens nomen debitoris* per tale quale è, e per un sacco d'ossa, *tenetur istud præstare verum in substantia, quia talis protestatio operatur, ut ille de illius idoneitate non teneatur.*

2 *Regressus non datur contra cedentem illud jus, quod habet super certa re, seu nomine debitoris, quod* per tale quale è *ex parte rei alteri cedit, seù vendit, casu quo nomen cessum minus idoneum reperiatur*; & quare?

3 *Amplia, etiam si post cessionem, seù venditionem declaratum fuisset per Judicem, quod fructus crediti cessi non essent calculandi ob decoctionem debitoris, & ob id prædictum creditum remansisset diminutum; quando cedens in contractu deduxisset non nomen de jure verum, sed jus, & actionem super illud ei competentem.*

4 *Subamplia, quando cedens ultra cessionem* per tale qual'è, *exposuisset, quod creditum cessum partim componeretur ex capitale cambii, & partim ex fructibus, & cessionarius decoctionem nominis cessi non ignorasset*, & n. 6.

5 *Sciens malas conditiones, & qualitates contractus, quem nihilominus inire voluit, de eo, quod sibi malè accidit, injustè quæritur.*

6 *Cedens nomen debitoris* per tal qual'è, & *crediti dubietatem in contractu deducens non patitur contra se regressum in casu, quo nomen cessum in parte diminuatur, vel deperdatur*; & nn. 8. & 10.

7 *Fructus cambiales an currant post convocationem generalis concursus super bonis debitoris, saltem loco damnorum, & interesse, est articulus, quem Sacra Rota usque adhuc decidere recusavit.*

9 *Dubietas crediti, quod fuerit in contractu deducta, desumitur ex minoritate pretii de eo concordati*; & num. 10.

10 *Dubietas crediti in contractum deducta operatur, ut cedens illud non teneatur nisi in eo tantum casu, quo cessioni factum proprium obstaret.*

DECISIO MCCCLXV.

Utraque parte jura sua deducente, approbarunt hodie DD. fundamenta decisionis coram Me editæ in contumaciam illorum à Porta sub die 27. Novembris proxime

1 præteriti. Nam licet in jure constans, certumque sit, quod vendens, vel cedens nomen debitoris verum illud in substantia præstare teneatur, etiamsi protestatus fuerit se illud cedere *tale, quale è, e come suol dirsi per un sacco d'ossa*; quippe quia protestatio hujusmodi operari quidem potest quod cedens non teneatur præstare debitorem cessum idoneum, & solvendo, *l. plus in fin. ff. de evict.* sed non etiam illum eximere à præstando quod sit, cum alias cessio, sive emptio, & venditio super dicto nomine contrahi non possit, *l. cum hæredit.* 7. *ff. de hered. vel act. vend.* & communiter tradunt *Mantic. de tacit. lib.* 4. *tit.* 13. *num.* 9. *Mangil. de evict. qu.* 79. *num.* 8. *Urceol. consf. for. cap.* 2. *nu.* 5. & *per tot. Card. de Luca de hered. disc.* 64. *num.* 5. & 7. *Surd. decis.* 228. *num.* 29., *Rot. cor. Greg. decis.* 570. & *in rec. decis.* 85. *num.* 11. *par.* 12., & *dec.* 224. *num.* 6. *par.* 15. & *dec.* 393. *par.* 16.

2 Æque tamen constans, & certum est, quod si inter Emptorem, & Venditorem, sive Ces-

Cessionarium, & cedentem ità convenerit
ut per cessionem, & venditionem, non aliud
cessum, venditumque intelligatur, nisi jus
quod Cedens, seù venditor habet *tale, quale*
ex partè rei est: hoc utique casu, sivè no-
men cessum ex post non solvendo compe-
riatur sive minùs verum in substantia, nullus
est contra cedentem regressus, neque pretii
condictio *l. Emptorem §. Qui autem ff. de
act. empt. l. quod si in venditione* 10. *ff. de
hæred. vel act. vend* ubi ea redditur ratio
quia id actum esse manifestum est, ut quem-
admodo emolumentum negociationis ità
periculum ad emptorem pertineret cum
aliis apud *Mangil. de evict. qu.* 79. *num.* 5.,
& num 31. & in decisione quæ revidetur
§. *Nil propterea*

Examinando itaque præsentem contro-
versiam cum hisce certissimis juris nostri re-
3 gulis, quamvis post cessionem Cambii, &
fructuum decursorum expositàm à Sancti-
nellis favore Fratrum à Porta per Senten-
tiam A. C. declaratum fuerit, quod à die
convocati cōcursus super bonis, & patrimo-
nio Debitorum cessaverant fructus, & in-
terusuria dicti cambii, atque ideo nomen
ejusmodi cessum in quantitate sc. 7088. com-
pertum fuerit minùs verum in substantia
pro majori ejus parte, quia tamen id non
actum est inter Partes ut Sanctinelli cede-
rent dictum nomen de jure verum, sed so-
lum jus, & actionem, quam habere putabant
contra Debitores cessos usque ad dictam
summam sc. 7088. pro dicto Cambio, & fru-
ctibus. Hinc ipsi Sanctinelli Cedentes nihil
ultrà præstare tenentur, nisi quod quatenùs
fructus debiti fuissent etiam post convoca-
tum concursum, re vera creditum cessum
ad eam summam ascendisset, ut concludit
præcedens Decisio causæ *dicto §. Nil prop-
tereà*.

4 Quod autem ità inter Partes convenerit,
quod nempè Sanctinelli cederent jus du-
bium, & incertum; Ex eo in primis evinci-
tur, quod iidem Sanctinelli nedùm protesta-
ti fuerunt se cedere dictum nomen *tale,
quale è, per un sacco d' ossa*; Sed etiam bo-
na fide exposuerunt, quod Creditum cessum
componebatur partim ex Capitale cambii,
& partim ex fructibus, expressè computan-
do istos fructus à die convocati concursus,
& de quo licèt fratres à Porta Cessionarii
certam notitiam haberent, ex quo debito-
res cessi erant ipsorum Pater, & Patrui, &
ipsimet steterant in judicio ejusdem concur-
sus, petendo, & instando, ut separarentur
bona fideicommissaria, prout de facto obti-
nuerunt, tam coram A.C., quam in hoc Sac.
Tribunali; Nihilominùs Sanctinelli ceden-
tes in ipsa cessionis Apoca eosdem à Porta
Cessionarios expressè de dicto concursu
5 certiores, monitosque fecerunt. Ut propte-
reà in hisce circumstantiis non habeant Ces-
sionarii, de quo Jure quærantur, si scientes
nomen cessum in magna sui parte componi
ex fructibus decursis, seù veriùs computa-
tis post convocatum concursum, illud nihi-
lominùs tale quale erat emere sibi volue-
runt, ad *Tex. in leg. si fundum sciens C. de
evict.*, quo in proposito usa fuit decisio, quæ
revidetur §. *Difficultat*.

6 Nec turbat responsio, quod Fratres à Por-
ta moniti quidem fuerint à Cedentibus
quod nomen cessum in magna sui parte
componebatur ex fructibus, computatis post
convocatum concursum; sed non etiam
quod iidem fructus ex hoc ipso quod con-
vocatus fuerat super bonis Debitorum con-
cursus universalis ampliùs debiti de jure
non erant, imò consulto super hoc bo. me.
Gaspare Turcho, responsū ab eo acceperint,
quod illi hoc non obstante debeantur ratio-
ne damni, & interesse, quodque in omnem
casum sibi de evictione præcaverint.

Quod enim attinet ad primam objecti
7 partem hæc eadem circumstantia facti, quod
Fratres à Porta antequam emerent contro-
versum nomen Peritum in Jure consuluе-
runt, utrum dicti fructus deberentur, non
obstante convocatione generalis concursus,
manifestum facit, quod hoc solum agebatur
inter Partes, ut ipsi emerent, & Sanctinelli
respectivè venderent dubium eventum, &
jus tale, quale Cedentes habebant pro iis-
dem fructibus contra debitores. Non enim
credi potest quod bon. me. Gaspar Turchus,
vir, cæteroquin notæ probitatis, & doctri-
næ consultus super hoc pro veritate ab illis
de Porta ejus Clientibus, fallere eos volue-
rit, quinimò plusquam verisimilè est quod
aperta illis propria sententia pro cursu fru-
ctuum loco damnorum, & interesse ingenuè
illos monuerit, quod articulus in se erat
adeò dubius, & anceps, ut Sac Rota semper
ab eo decidendo abstinuerit, ut constat ex
dec. 1078. *num.* 3. *cor. Emer. & in Romana
Cambiorum* 9. *Decembr.* 1697. *coram bon.
mem. Muto.*

8 Et hoc sensu retento mirabiliter in omni-
bus conveniunt, & pretium pro dicta cessio-
ne, & cætera pacta inter Partes constituta;
Quia enim Cessionarii duplex in se pericu-
lum assumebant, alterum nempè, quod de-
bitores cessi essent solvendo minus idonei,
& alterum, quod re in judicium deducta
declararetur contra votum dicti Gasparis
Turchi, quod fructus post convocatum con-
cursum minimè deberentur; hinc pretium
dictæ cessionis fuit constitutum in solis scut.
1200. facientibus respectu ad summam scut.
7088. quæ cedebatur sextam circiter illius
partem, & nonnisi sub conditione, & in ca-
sum, quod Fratres à Porta virtute jurium
per ejusmodi cessionem acquisitorum effe-
ctivè exinde recuperassent certa quędam
bona è manibus Creditorum posteriorum,
fuit ulterius conventum, quod Fratres à
Porta admittere tenerentur Sanctinellos ad
participandum pro quibusdam ratis de di-
9 ctis bonis recuperandis. Undè quatenus
omnia alia deficerent, hæc sola convenien-
tia, & congruitas pretii satis ostenderet non
aliud

illud in contractum deductum tunc fuisse, nisi si quid juris cedentes habebant pro dicto Cambio, & fructibus *glos. in l. semper ff. de reg. l. jur., Sard consi.*179 *num.* 34., *Rot. cor Lud. dec.* 126 *num* 9. & *coram bon. mem. Beninc. decis.*68, *num.* 12., ubi concordantes.

10 Hinc autem, & illud consequitur promissionem videlicet evictionis nullo pacto extendi posse ad casum, quo declararetur fructus a die convocati concursus non fuisse debitos, aut contingeret debitores cessos non esse solvendo eum in hoc sensu manifestam involveret implicantiam, & contradictionem cum venditione juris dubii, & incerti. Cum igitur illa de facto cohæreat alteri dumtaxat casui, quod creditum ità cessum ex post detegeretur fuisse præcedenter à Cedentibus exactum, vel alteri venditum, aut obligatum, non debet ultrà hunc casum contra voluntatem Partium, & naturam ipsius contractus extendi, *Rota decis*745. *num.*3. *& seq. coram Barat.*, *& in dec. Causæ* §. *pen.*

Et ità *videntibus* 5. & 6. responsum fuit standum esse *in decisis*.

ROMANA PECUNIARIA, SEU CESSIONIS SUPER MANDATO.

Lunæ 22. Februarii 1723.

ARGUMENTUM.

Habetur in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Ratio quando est eadem, tam circa terminos solutos, quam non solutos, pari passu, & jure est judicandum.*

DECISIO MCCCLXVI.

1 Quemadmodum DD. super puncto principali steterunt in decisis coram Me 27 Novembris proxime præteriti quoad terminos jam solutos; ita quoque in eodem sensu permanserunt quoad terminos non solutos pro quibus A.C. novum relaxavit mandatum, cum quoad utrosque eadem omninò urgeant rationum momenta, de quibus in contemporanea decisione.

Et ità utraque parte informante, *& videntibus paritèr* 5. *&* 6. responsum fuit *in Decisis*.

FAVENTINA RESTITUTIONIS HÆREDITATIS.

Veneris 26. Februarii 1723.

ARGUMENTUM.

Nemo cogendus est ad exponendam quietantiam, nisi ad eas dumtaxat, vel eam pecuniarum quantitatem, quę sibi restituuntur, vel solvuntur; præsertim si sibi expediret, ut præcaveret de jurium reservatione, juxta ea, quæ ponderat sequens.

SUMMARIUM.

1 *Quietantia debet esse relativa, & limitata ad eam dumtaxat quantitatem pecuniarum, quę solvitur, & nemo ad quid ultra cogendus est*, & n. 2.

2 *Quietantia absoluta, & generalis exaranda non est, sed cum præservatione jurium, quando in incerto sit, an aliquid superfit restituendum à solvente*, & num. 3.

4 *Amplia, si recipiens pecunias, vel res esset obligatus integraliter restituere hæreditatem ulterioribus vocatis, & teneretur bona ab antecessoribus alienata sub pæna caducitatis recuperare, qui actus propter resistentiam generalis quiatantiæ impedirentur*, & num. 5.

5 *Reservatio jurium in recepta, quatenus alia bona restituenda reperirentur, competit recipienti res hæreditarias, nec à solvente, seù eas restituente potest impugnari, quia ille de ea sibi præcaverat*; & nu. 6.

6 *Reservatio jurium generaliter concepta contra quos de jure, & prout de jure, dicitur proficua, & nemini noxia*; & vide rationem in num.7.

8 *Gabella solvitur à Forensibus pro censibus activis in locis Faventino Statuto subiectis.*

9 *Rota de stylo non assumit disputationes de iis, quę sub dubio sibi proposito non cadunt.*

DECISIO MCCCLXVII.

Carolus Bonacursius, ut nomen Familię suę, quam diutissimè conservaret, hæredem sibi ex asse instituit Bajulivum Nicolaum Spada cum onere perpetuę Primogenituræ favore ejus filiorum, & descendentium masculorum, istisque eodem ordine substituit Comitem Michaelem memorati Nicolai germanum fratrem, ejusque lineam masculinam, & in hujus defectû unum ex filiis, seu de descendentibus Corneliæ, Europæ, & Dianæ ejus Sororum sorte extrahendum, imposito unicuique eorum onere assumendi cognomen, & insignia Testatoria, & nedùm strictissimè prohibita alienatione bonorum ex quacumque etiam urgentissima causa,

causa, verùm quoque superaddito, sub pœna privationis, & caducitatis præcepto recuperandi, quatenùs ab Antecessore bona aliqua distracta fuissent.

Cum autem brevi temporis decursu linea masculina tam Nicolai, quam Michaelis defecisset, celebris in Curia inter descendentes dictarum fœminarum orta fuit controversia super modo faciendi Bussulum, ut ex decisionibus *in Faventina Bussoli cor: clar. mem. Cardinali Caccia, bon me. Emer., & Ursino, & coram Me*, quæ nunc impressæ reperiuntur inter alias memorati *Emer. Iun. decis.*338, *& penès Paulut. dissert.75.*, & juxta earum formam facto subindè sortis periculo, extractus prima vice fuit Carolus Marchesius, hoc verò sine filiis defuncto, hæreditas secunda vice sorte obvenit in Josephum pariter Marchesium, ac tandem novissimè in Equitem Jacobum Spada, inter quem, & hæredem dicti Josephi orta dissensione super modo exponendi quietantiam, cum dictus hæres illam liberè exponendam esse contenderet semel ac ipse universam hæreditatem restituerat, Jacobus verò sibi in ea præcavendum putaret cum expressa præservatione jurium talium, qualium, proùt de jure, & contra quos de jure, post duo conformia judicata in duabus præcedentibus instantiis hactenùs lata, causa Mihi in gradu appellationis commissa fuit; Unde hodie repropostui dubium -- *An sit exponendum instrumentum quietantiæ restitutionis hæreditatis liberè, & absque ulla reservatione* -- & Domini *negativè* responderunt, iniuncto quoad censum, & gabellam, de quibus infra, quod particulariter videatur.

Fundamentum resolutionis positum fuit in generali illa, ac apertissima juris regula,
1 quod nemo cogi debeat exponere quietantiam, nisi relativam, ac limitatam ad eas dumtaxat, vel eam pecuniæ quantitatem, quæ sibi restituuntur, vel solvitur, *Tex. est in l.3. §. Contrarium ff. de contrahend. Jud. Tut. & in l eum Aquiliana, ubi Bartol., & communitèr scribentes ff. de transact., Surd. cons.*418. *num.*11. *& seq., Cancer. var. lib.*2. *cap.* 6. *num.*68., *Escobar. de ratioc. cap.* 40. *num.*10., *& seq., Thesaur. decis.*74. *num.*1.
2 *& seq.*, quamobrem cum adhuc in incerto sit, an ultrà res ab hærede Josephi hactenùs restitutas aliud aliquid supersit Equiti Jacobo restituendum ex Bonis, & juribus Primogenialibus, non est cur compelli debeat ad expenendam absolutam, & generalem quietantiam dictæ Primogenituræ, sive
3 hæreditatis; Imò verò in hisce circumstantiis, omnis æqui, bonique ratio exigere videtur, ut non constito per exhibitionem legitimi Inventarii, vel aliunde de statu hæreditario, successor in Primogenitura diligenter sibi cavere debeat per expressam suorum jurium præservationem, proùt de jure, & quatenùs de jure, ad ea, quæ in proximis terminis respondit *Rota decis.*80 *nu.* 3., *& seqq., & decis.*648. *nu.*3. *& decis.*603. *num.*6. *coram Emer. Jun.*

4 Certiùs autem in præsenti propter duas peculiares facti circumstantias in casu concurrentes; Prima nempè, quia, & ipse Eques Jacobus suo die restituere cogetur eamdem hæreditatem ulterioribus vocatis; Et secunda, quia si juxta legem Primogenituræ, ipse negligens in recuperandis bonis, si quæ ab ejus antecessoribus alienata fuerunt, privatur ipso facto commodo hæreditatis: Si igitur ipse exponeret quietantiam absolutam, & generalem sine ulla præservatione, nedùm incideret in periculum amittendi bona, si quæ fortè ab ejus antecessoribus alienata fuerint, sed etiam incurrere posset in pœnam caducitatis à tota hæreditate, dum per hujusmodi absolutam, & generalem quietantiam ipse sibi viam præcluderet
5 agendi pro recuperatione bonorum: Undè si cuilibet non districto hujusmodi lege restituendi, & recuperandi liberum est præservationes, & protestationes ejusmodi emittere, *Franc de potest. consid.*52. *Valeron. de transf. tit.*5. *num.*8. *Olea de Cess. jur. tit* 6. *quæst.*7 *num.*4., *Torr. var. to.*3. *tit.* 13. *def.*18. *num.*14., *& seqq.*, multò magis id licere debet Equiti Jacobo ad occurrendum irreparabili gravissimo præjudicio, in quod
6 aliàs posset incidere, dum præservatio generaliter concepta contra quos de jure, & prout de jure ipsi valdè prodest, & è contrario neminì nocet, ex regula *Tex. in leg. enim §. Item ff. de aqu. pluv. arcen.*, *de qua Rota coram Ubag decis* 74. *num.*26., *& in Bononien. fideicommissi de Marsiliis super reservatis* 8. *Junii* 1722, *§. Movit cor. Me*,
7 cum præservatio ejus generis nihil ponat in esse, & quatenùs tota, & integra hæreditas revera restituta fuerit, ut pro certo sustinet hæres Josephi perindè resolvatur, ac si facta non fuisset, *l. cum servus vers. nam non utique ubi DD. ff. de condit.*, *& demonstr. Riminald. Iun. cons.*338. *à nu.* 31. *Escobar. de ratioc. d. cap.*40. *sub n.* 15. *Rot. decis.*382. *sub num.*2. *cor. Coccino.*

Pondere & efficacia rationum hujusmodi convictus hæres Josephi, docebat controversam jurium præservationem, non alio tendere, nisi ut Equiti Jacobo lata remaneret via impugnandi investimentum cujusdam census, & alienationem quorumdam bono-
8 rum secutam ex causa Solutionis Gabellæ, ad quam forenses tenentur ex dispositione Statuti Faventini *cap.*26.; Et hinc quæstionem alio protrahens, ostendere conabatur, & alienationem jure factam, & censum legitimè impositum fuisse ab ejus Authoribus; Verùm Domini opportunè animadvertentes ex hoc ipso materialiter constare de non integra restitutione hæreditatis, & ceteroquin valdè in obscuro, & ancipiti esse, utrum antecessores teneantur ad reintegrationem fideicommissi pro alienatione sequuta ex causa dictæ Gabellæ, & evictione census, eo magis justum, & necessarium duxerunt, ut hoc interim Eques Jacobus sibi, & ejus indemnitati præcavere debeat cum dicta

dicta a generali jurium præservatione, quod est id, ad quod reducebatur præsens disputa-
9 tio. Nam quod dicta bona jure alienata, & census legitimè impositus fuerit, minimè cadebat sub præsenti dubio inter partes concordato, & extra quod, quia stylus est inconcussus Sacri hujus Tribunalis non assumere alias inspectiones, rectè idcircò Domini rescripto addiderunt -- *& quoad censum, & gabellam particulariter videatur.*

Et ita utraque &c.

LAURETANA CENSUUM SUPER RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

Lunæ prima Martii 1723.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius sub die 9. Martii 1722. emanatæ.

Minor etiam si factus major intra quatriennium ab utroque jure præfixum adversus inconsulto aditam hæreditatem, vel male confectum Inventarium per ejus Tutricem non reclamaverit, nihilominus ad restitutionis in integrum beneficium, detecta læsione, admittendus est, si de nullitate prædicta scientiam non habuerit, istaque recepta, intra quatriennium reclamaverit, ex quo illud à die scientiæ currere incipit.

SUMMARIUM.

1 *Restitutio in integrum adversus inconsultò aditam hæreditatem per Tutricem datur pupillo, quando hæreditas detegatur læsiva, & tempore habili iste reclamavit,* & num. 2.

2 *Læsio ex inconsulto adita hæreditate per Tutricem, probatur, ex quo pupillus coactus sit consumere integram hæreditatis substantiam pro dimissione æris alieni, & ulterius adhuc indetecti creditores remaneerent.*

3 *Læsio ad effectum reportandi restitutionem in integrum, ut dicatur probata, requiritur necessariò certitudo status activi, & passivi.*

4 *Inventarium tutelare, quod regulariter vices hæreditarii non supplet, juxta veriorem opinionem, prodest tamen pupillo ad effectum obtinendi restitutionem in integrum adversus hæreditatem inconsultò aditam per Tutricem.*

5 *Amplia, quando inventarium tutelare remanet adminiculatum ex pluribus actibus solemnibus denotantibus fidelem omnium bonorum adnotationem, adeout status hæreditarius remaneat justificatus ex negativà aliorum bonorum existentia,* & n. 6.

7 *Restitutio in integrum adversus inconsultò aditam hæreditatem per Tutricem non denegatur hæredi ob omissionem unius, vel alterius rei in descriptione, cum illius respectu non sit allegabilis fraus, aut dolus.*

8 *Quatriennium est ab utroque Jure præscriptum ad petendam restitutionem in integrum adversus inconsultò aditam hæreditatem, quod incipit currere a die scientia nullitatis,* & n. 9.

10 *Amplia, si hæres stetisset in bona fide de legalitate Inventarii, ob quam non solum excusatur illius acquiescientia, sed magis justa remanet causa pro impetranda restitutione in integrum.*

11 *Subamplia, quando hæres de tempore molestiarum à creditoribus illatarum stetisset sub tutela Matris, ex quo præsumi poterit ignarus de gestis ab illa, vel saltem potuit stare in bona fide,* & n. 12.

12 *Restitutio in integrum adversus inconsulto aditam hæreditatem per Tutricem non denegatur pupillo, etiam si factus major habuisset scientiam de existentia unius, vel alterius creditoris, quando hæc fuisset turbida, vel æquivoca.*

13 *Hæres non dicitur approbasse aditionem hæreditatis inconsultò factam à Tutrice, ex quo distrahendo bona, dicatur se immiscuisse in hæreditate, quando ille scientiam non habuit de tali nullitate.*

14 *Amplia, etiam si facti majores in eadem credulitate, & aditione diu permanserint.*

DECISIO MCCCLXVIII.

IN sequelam novæ Audientiæ per Quatrinos, aliosque litis Consortes obtentæ adversus Decisionem in postrema Causæ propositione editam die 9. Martii superioris anni coram Me, positis novo examini præcedentibus resolutionibus promulgatis, tam pro denegatione, quàm pro admissione restitutionis in integrum per Fratres de Dionisiis petitæ adversus Inventarium bonorum Joannis Patris minus legitimè confectum per Thomassinam eorum Matrem, & Tutricem, DD. in hodierna Audientia accuratè libratis rationum momentis, factique circumstantiis, iterùm putarunt esse locum benignæ admissioni ad d. Beneficium restitutionis in integrum, juxta sensum editum in secunda & postrema Causæ propositione, & ideò proposito congruo dubio, responsum accepi *In secundo, & ultimo loco decisis.*

Præsentis resolutionis fundamentum pro
1 concedenda petita restitutione in integrum denuò stetit in eo, quod hæreditas dicti Joannis nomine filiorum inconsultò adita per Tutricem absque confectione legitimi Inventarii fuerit undequaque damnosa, & ex illa remaneant maximè læsi dd. Fratres de Dionisiis, qui de tempore obitus Patris reperiebantur in pupillari ætate. Posita enim læsione ex inconsulta aditione hæreditatis resultante, post opportunam reclamationem tempore habili, quæ hic non deficit, hoc remedio venit læsis consulendum, ex firmatis per *Odd. de restit. in integr.* p. 2. q. 89.

q.69. art.7. n.52., *Ciriac. controv. 294. n 5. Rota cor. Ludovis. dec.181. n 6.*, & quidem non solum Pupillis, ac minoribus, sed etiam ætate majoribus, *ad text. in l. final. Cod. de Jur. de liber.*, *& tot. tit. Cod. quib. caus. major*, *Ridolphin. in prax. p 1. cap.9. n.190. Grot. disceptat. 656. n.7.*, *Rota cor. Emer. Sen. dec. 19. n 2.*, *& 3.* cum aliis in postrema causæ decisione §. *Siquidem cor. Me*.

Dubitari autem non potuit, quod hære-
2 ditas prædicta revera fuerit damnosa, & læsiva, ut etiam denuò recognitum fuit; nam sequuto obitu dicti q. Ioannis, insurrexit adeò ingens copia ejus Creditorum, ut durante tutela, & administratione Thomassinæ, dimissa fuerint debita hæreditaria in summa scutorum 8525., & successivè convocato concursu universali, ultrà effectus pro restitutione dotis ejusdem Tutricis assignatos, bona hæreditaria ad instantiam Creditorum subhastata, ac deliberata fuerunt pretio scutorum 1475.; ideoque cum his non obstantibus, adhuc detecti fuerint alii Creditores conspicuæ summæ longè absorbentis bona alio titulo, quàm hæreditario Patris possessa per Fratres de Dionisiis, in his circumstantiis non solum probatum remanet eumdem Joannem nihil reliquisse in hæreditate, sed etiam convincitur læsio Filiorum, qui subiecti remanserunt executioni Mandatorum in eorum Personis, & bonis propriis, ad quam proinde læsionem reparandam eis concedi debet petita restitutio in integrum, *Gratian. disceptat.656. n.11.*, *& disceptat.797. n.24.*, *Odd. de restit. in integr. p.2. qu 89. d. art.7. n 53.*, *Rota in rec. dec.82. n.8 24.*, *& seq. p.9.*, *& in Romana restitutionis in integrum 23. Junii 1698. §. 1.*, *& seq. cor. clar. me. Card. Caprara*.

Frustraque repetita fuit exceptio, quod
3 læsio hujusmodi dici nequeat sufficienter justificata, ex quo non obstante d. consumptione bonorum hæreditariorum, adhuc non doceatur de negativa existentia aliorum bonorum, mediante concludenti firmatione status hæreditarii,

Quamvis enim ad probandam læsionem, quæ est basis restitutionis in integrum, necessario requiratur certitudo status activi, ac passivi hæreditatis, nihilominus in casu præsenti de hac satis constare visum fuit, ex quo Thomassina, sequuto obitu dicti quondam Joannis, tamquam Mater, & Tutrix dd. fratrum in pupillari ætate existentium, auctoritate Judicis, & assistentia Proximiorum, mediante publico Instrumento devenit ad Actum solemnem susceptionis tutelæ, eodemque tempore solemniter confecit in-
4 ventarium tutelare cum minuta descriptione rerum in hæreditate repertarum; Inventarium quippe tutelare, quod regulariter non supplet vices Inventarii hæreditarii, juxta communiorem opinionem, prodest ad effectum obtinendi restitutionem in integrum adversus inconsultò aditam hæreditatem, ut indè patefacto statu evitari possit præiudicium emergens in bonis propriis heredis, mediante confectione legalis, ac legitimi Inventarii, ut tradunt *Auctoritates plenè relatæ in postrema Causæ decisione 9. Martii anni præteriti §. Absque eo quod coram Me*.

Maximè quia probatio resultans ex dicto
5 Inventario tutelari in casu præsenti certior redditur ex pluribus actibus solemnibus per eamdem Tutricem successivè expletis; tum quia legaliter retinuit particularem Codicem, in quo distinctè adnotavit, non solum omnes effectus hæreditarios, sed etiam pecunias ex redditibus bonorum, illorumque alienatione retractas; tum quia de anno 1676. obtenta, licèt nulliter, restitutione in integrum, novum confecit Inventarium, prævia solemni redditione rationis administratæ hæreditatis coram Judice, & Pupillorũ Consanguineis; tùm & deniqne, quia similem redditionem rationis eum eisdem solemnitatibus explevit occasione trãsitus ad secunda vota, iterata discussione singulorum, factaque, ut par erat, bonorum restitutione filiis adhuc minoribus, & pro eis novo Tutori per Judicem deputato. Ex his sanè facti circumstantiis, cum omnes effectus hereditarii sincerè, & palam dignoscantur descripti, & Creditoribus patefacti, dubitari non debet, quod status hæreditarius d. qu. Joannis abundè remaneat iustificatus cum negativa existentia aliorum bonorum, ad effectum evitandi damnum, quod imminet heredi ultra vires hereditarias, ut firmatum fuit *in d. postrema decisione 9. Martii 1722. §. Attento, & seq. coram Me*, præsertim omnibus documentis, ac probationibus simul iunctis, ut post plures, optimè probat *Rot in Cæsenaten. Legati 6 Junii 1721. §. Respectu substantiæ cor. R. P. D. meo Gamaches*.

Nec illarum probationum efficacia de-
6 strui potuit ob assertas omissiones, sivè non integram descriptionem factam in dicto Inventario tutelari; tum quia assertæ omissiones, tamquam insubsistentes plenè fuerunt reiectę in secunda huius causę decisione 10. Decembris 1717 §. *Neque ad illius eversionem cum pluribus seqq. cor. Me*; tum quia nulla penitus partita etiam tenuissimi redditus per Quatrinos, aliosque Creditores huc usque inveniri potuit, ex qua dici queat non fuisse habitam rationem de re aliqua ad hæreditatem pertinente, vel Tutricem sibi, & Pupillis quidquam appropriasse, absque eo quod reperiebatur descriptum, sivè in uno, sivè in altero ex dd. Actibus solem-
7 nibus. Proindeque quidquid esset, ubi ageretur de substinendo Inventario hereditario, vel ubi adversus adductas probationes concurreret dolosa occultatio facta ad supplantandos Creditores hæreditarios, certè ubi prout hic res est de concedenda in integrum restitutione, adversus aditionem inconsultò factam à Tutrice, & quidem favo-

re hæredis, cuius respectu nulla est allegabilis fraus, ac dolus, sed potius ubique exuberat bona fides, utique in his terminis error unius, vel alterius omissionis suppletus dici debet ex posteriori descriptione sincerè in aliis actibus proportionatis emissa, ut probat *Bald in l. final.* §. *Cum igitur n.* 8. *C. de Jur. deliber.*, *Rota cor. Emer. sen. dec.*19. *n.*8., & 9. *cor. Duran. dec.* 387. *la prima n.* 17., & *seq. in rec. dec.* 202. *nu.* 7. *p.*11. *dec.* 381. *n.*11., & *seq. p.*13. *dec.*16. *n.*1. & 2. *p.* 18.

Minusque resistere compertus fuit lapsus
8 quadriennii ab utroque Jure præscripti ad perendam restitutionem in integrum, *cap.*3. *de restit. in integr. in* 6., & *in l. fin. Cod. de tempor. restit.* cum enim quadriennium non incipiat currere, nisi à die scientiæ nullitatis inventarii, & læsionis, *Vrceol. consult.* 63. *n.*31., *Rota cor. Ottbobon. dec.*204. *n.*1. *in rec. dec.*98. *n.*6., & *seq. p.*11., Fratres de Dionisiis, qui de hoc edocti non fuerunt, nisi ab anno 1714. absque difficultate remanent immunes ab hac exceptione, etiamsi postmodum majores facti diu acquieverint, quia
9 quodcumque tempus effluxerit ante scientiam d. nullitatis, de se nullum obicem præbet, quin tempore habili dici debeat promota instantia restitutionis in integrum, ut bene firmat *Rot. apud Card. de Luc. dec.*19. *n.*12., & 59. *de testam. lib.*9., & *dec.* 90.
10 *sub n.*15. *de fideic. lib.*10. Imo cum iam per Tutricem confectum extitisset Inventarium hæreditarium pacifice observatum inter ipsos Creditores, tàm ante, quàm post convocatum concursum, dd. Fratres de Dionisiis penitus ignari de illegalitate eiusdem Inventarii ab ipsis non confecti, tamquam positi in bona fide, decepti dicuntur iusta credulitate, ac errore, nedum Juris, sed etiam facti, ex quibus non solum excusatur quælibet eorum acquiescentia, sed magis iusta remanet Causa pro impetranda restitutione in integrum, ut probat *Card. de Luc. de hæred. disc.*11, *sub n.*13., & *seq disc.* 22. *n.*17. *in fin.*, *apud eumdem dec.*19. *n.*12. *lib.*9. *de testam. in rec. dec.* 475. *num.* 48., & *seq. p.*19., & *cor. Cerr. dec.*386. *n.*2.

Quod procedere visum fuit, non obstan-
11 te, quod usque de anno 1675. actum fuisset pro credito Censuum, de quibus agitur; cum namque dd. Fratres de Dionisiis de eo tempore adhuc reperirentur sub tutela Matris, vel ignari penitus præsumi debent de omnibus gestis sub ejus administratione, & gubernio, vel saltem permanere semper potuerunt in bona fide, quod vires hæreditariæ sufficerent pro solutione æris alieni,
12 quod sat est, dum scientia unius, vel alterius Creditoris certos reddere non potuit, eosdem Pupillos eorum enormissimæ læsionis, & sic scientia hujusmodi minus concludens, & æquivoca non est allegabilis ad effectum illos privandi beneficio restitutionis in integrum, *Gratian. discept.*824. *nn.*52., & *seq.*, *Vrceol consult.* 67. *n.*29. *cum seq. Rot. apud Salgad labyr. credit. dec.*63 *n.*10.

Et ex hac ratione cessat etiam quodlibet
13 obstaculum desumptum ex quo dd Fratres sese immiscuerint in hæreditate etiam cum bonorum distractione, ultra quod enim alienationes hujusmodi factæ fuerunt ad effectum dimittendi Creditores, & ferè omnes de tempore, quo dd. Fratres reperiebantur in pupillari ætate, obiectio satis removetur, quia non concurrente apud illos certa ac individua scientia læsionis, ac nullitatis Inventarii non detectæ nisi de anno 1714, immixtio bonorum hæreditariorum inducere nequit in eorum præjudicium approbationem, ad effectum ipsos privandi beneficio restitutionis in integrum, ob malam Inventarii confectionem ab eorum Tu-
14 trice factam, etiamsi facti majores in eadiù permanserint, juxta celebre responsum *Vulpian. in l. denique* §. *Si quis cum minore vers. scio etiam ff. de minor.*, de quo late *Bottilier. de succ. ab intest. cap.* 1. *theor.* 38. *n.*5., & *seq.*, *Adden. ad Pamphil. dec.* 666. *n.*10. *Rot. ad ornat. de Luc. decis.* 19. *n.*15. *cum duob. seqq. de testam lib.* 9. *cum aliis in d. dec.* 9. *Martii* 1722. §. *Neque ex eo cor. Me*.

Et ita relativè in reliquis ad decisiones in secunda, & postrema Causæ propositione editas *omnibus DD. suffragantibus* resolutum fuit utraque &c.

TOLETANA ORNATUS CAPPELLÆ.

Ven. 5. *Martii* 1723.

ARGUMENTUM.

Templa, licet continuo possint, ad augendum Divinum cultum holosericis ornata retineri, non possunt tamen ab istis tegi Sepulcra, deposita, urnæ sepulcrales, & similia monumenta, quæ in posteris majorum memoriam conservant, & ad pias operas fideles excitant. Inimemorabilis consuetudo adversus actus facultativos, & ex negligentia antecessorum inducta, adversus successores proprio jure venientes non est allegabilis.

SUMMARIUM.

1 *Juspatronatus honorificum in una familia ex quibus concludenter dicatur probatum.*

2 *Iuspatronatus post lapsum centum annorum approbatum, in controversiam revocari non potest.*

3 *Cappella ad majorem Divini cultus augumentum potest toto anno paramentis ornata retineri, neque ab alio quolibet potest impediri*, & vi de rationem in n. 4. atque intellige, ut in nn. 5. & 6.

5 *Patronus Iurepatronatus super Cappella gaudens non debet suæ liberalitatis fructu fraudari, qui sunt intueri detectas holosericis*

ricis Vrnas sepulcrales, simulacra, inscriptiones, & gentilitia familie stegmata.

6 *Ornatus Ecclesiarum non magis in holosericis, & auleis, quam in monumentis, & marmoreis immaginibus consistit.*

7 *Statuæ, & icones, que in Ecclesiis collocantur ad istarum quoque ornatum, & vetustatem pertinent.*

8 *Amplia, ut Statuæ, sepulcra, & imagines, præsertim antiquæ, majori sunt ornamento Ecclesiis, quam holoserica, & aulea.*

9 *Imagines sacræ, monumenta, & similia in Templis dicuntur augere cultum Divinum:* & quare?

10 *Sacri Canones ad reservationem Iurispatronatus benigniores, & procliviores se habent, ad hoc ut Fideles excitentur ad nova erigenda sacella, & augendas Ecclesias;* & n.11.

11 *Sepulcra, & inscriptiones monumentorum servant memoriam majorum in Posteris, eosque ad pia suffragia, & praces invitant.*

12 *Sepulcra, urnæ sepulcrales, aliæque Patronorum monumenta non possunt holosericis tegi;* amplia, ut in n.13.

14 *Exemplum Ecclesiarum principalium sequi non debent dedignari Ecclesiæ inferiores in iis, quæ ad sacras cæremonias pertinent.*

15 *Consuetudo immemorabilis deficere dicitur in principali requisito, quando ejus ignoratur principium.*

16 *Amplia si carere reperiatur altero essentiali requisito, scilicet, quod nil dictum, visum, auditumque fuerit in contrarium.*

17 *Consuetudo immemorabilis, aut centenaria in actibus facultativis non operatur, ut censeri possit adempta Patrono facultas utendi jure suo, nisi expressa contradictio super accedat cum subsequta Patroni aequiescientia.*

18 *Præscriptio operatur contra Possessores Iurispatronatus, qui potuissent agere, & per eorum incuriam passi sunt diminutionem propriorum Iurium.*

19 *Præscriptio inducta tempore unius possessoris non afficit successorem proprio Iure venientem, cui nulla potest imputari culpa.*

20 *Amplia, quando ipsa lex Institutionis Iurispatronatus expresse cujucumque opponeretur præscriptioni.*

DECISIO MCCCLXIX.

ABBAS, & Monaci Parochialis Ecclesię S.Martini Villæ Matriti ex Ordine Sancti Benedicti ad augumentum Divini Cultus pertinere putantes, quod Cappella major ipsius Ecclesię toto anni tempore magnificis, pretiosisque holosericis ornata conspiceretur, per universum Cappellæ ambitum continuò diffluentibus, appellatione interposita à contrario Judicato ad instantiam Antonii de Muriel d. Cappellæ Patroni in Tribunali Nuntiaturæ edito, Causam mihi delegari curarunt; sed proposito hodiè dubio: *An, & quando, & quomodo sit locus appositioni Paramentorum in Cappella Iurispatronatus de Muriel, etiam ad effectum manutentionis?* *affirmativè* responsum fuit. *sed juxta modum, nempè omni tempore Patribus bene viso, dummodò tamen Paramenta, & Holoserica ita apponantur, ut discooperta remaneant Vrnæ Sepulchrales, stemmata, Inscriptiones, & Tribuna, aliaque signa in Cappella apposita per Familiam de Muriel.*

1 Illud autem in primis pręmitti oportuit, Cappellam nempè, de qua agitur, esse de Jurepatronatus d. Familiæ, ejusque hæredum, & Successorum, quod quidem neque Monaci, nisi levitèr, & indirectè inficiabantur, neque revera controverti Jure poterat, cum de reservatione Jurispatronatus, & quidem ex titulo oneroso restaurationis, & dotationis ingenti sumptu per eandem familiam expletæ, præclarè constaret, tum ex Instrumento publico anni 1610., in quo Abbas, & Monaci eandem Cappellam majorem, juxta ambitum inibi expressum, liberam, & immunem à quacumque alia servitute, cesserunt, & transtulerunt in Catharinam Medina, Viduam, & Executricem piæ voluntatis Alontii Muriel ejus Viri prædefuncti, cum facultate in ea, ejusque arcu principali, apponendi stemmata gentilitia, juxta formam ipsi bene visam, atque aperiendi duos loculos, alterum à Cornu Epistolæ, & alterum à Cornu Evangelii pro collocandis ibi Imaginibus dd. Alontii, & Catharinæ, ac prætereà aperiendi etiam à Cornu Epistolæ fenestram, ad effectum ibi erigendi Tribunam, sed Lodiolam latitudinis sibi benevisæ, ac prominentem extrà parietem Cappellæ majoris duobus circitèr palmis: tum ex approbatione Abbatis Generalis totius Ordinis, ac diplomate Cardinalis Sandoval Archiepiscopi Toletanis tum denique ex continuata possessione à dicto anno 1610. usque in præsens omnium Jurium, & præheminentiarum, quibus Patroni de Jure gaudent, nedum videntibus, & patientibus Monacis, sed etiam assentientibus, & solemniter confitentibus in sequelam rei Judicatæ

2 anni 1685., ut proinde in hisce circumstantiis, incongruum omninò reddatur ejusmodi Iuspatronatus in controversiam hodiè revocare post lapsum centum decem, & ultrà annorum, & postquam Monaci semper quotannis exegerunt, & in pręsenti quoque exigunt ducatos plusquam 900. illis in dicto Instrumento assignatos, ad ea, quæ firmat *Rot. dec.28. n.7. post Vivian. de Iurepatr. & dec. 875. cor. Burat., & in Verulana Abbatiæ 23. Aprilis 1706. §. Verum cor. cl.me. Card. Caprara, & 20. Iunii 1707. §. Et sanè cor. Me.*

3 Hoc igitur posito, ratio majoris augmenti Divini Cultus potest quidem efficere, ut liberum sit Patribus pro eorum arbitrio Paramen-

ramen-

ramentis, & Holosericis tum Ecclesiam,
tum quoque d. Cappellam majorem per toto
anni tempore ornatam retinere, cum hoc neque
à Patrono, neque ab alio quolibet jure
impediri possit, *l. 1. ff. ne quid in loc. Sac.*,
ubi D'D., & præsertim *Bart. n. 2.*; quippè
4 quia magnificus Templorum ornatus facilius
ad pietatem Homines excitat, conservatque
Majestatem Domus Dei, & reverentiam,
quę Sacramentis, & Divinis rebus debetur;
cum per hæc visibilia alacrius, & quasi
per gradum, piæ mentes ascendant ad contemplationem,
& desiderium invisibilium,
quæ in Domo Dei sunt, ut passim habetur in
Sacris Literis, & scriptum reliquis *D. Ambros.
lib. 2 de Offic. cap. 21.*, *Frances de Eccles.
Cathedral. cap. 20. nu. 11.*, *& Author
Theatri Vitę humanę Verb. Templum §. Ornatus,
fol. 45 & 46. lit. B., & fol. 48. lit. C.*
5 Sed non etiam id causa esse debet, quod
Patroni fraudentur fructu eorum liberalitatis,
munificentię, & Patronatus, cujusmodi
sunt Urnæ sepulchrales, Simulacra, Inscriptions,
& Stemmata gentilitia Familiæ,
*l. 2. & l. opus ff. de oper. l. legatum 4. ff. de
administr. rer. ad Civit. pertinen. Ancaran.
cons. 113. n. 3. & 5.*, *Pax. Jord. elucubr. divers.
tom. 2. lib. 10. tit. 7. de Jurepatr n. 449.
Ventrigl. in prax. annot. 19. §. unico n. 32.
tom. 2.*, *Ricciardell. in Lyceo Eccles. par. 2.
6 cap. 22. n. 22. Rot. dec. 609 n. 2. & seq*; nam Divinus
Cultus, & Ornatus Domus Dei, non
magis in Holosericis, & Aulæis, quam in
Monumentis, & marmoreis Imaginibus consistit,
cum Statuæ, & Icones, quæ in Eccle-
7 siis collocantur, ad earum quoque ornatum,
& venustatem pertineant, *l. 2. C. de
Statuis, & Imaginibus, Vbald. d. Canonic.,
Episc. & Paroc. cap. 7. n. 63.*, *Dulph de
Cappell. cap. 13. n. 32. Ricciardell. de cap. 22.
8 n. 23.*, imo vero, Statuæ, Sepulchra, &
Imagines, præsertim antiquæ, majori sunt
ornamento Ecclesiis, quam Holoserica, &
Aulæa, ut in puncto advertit *Card. de Luc.
de Iurepatr. disc. 52. n. 12.*
9 Quomodocumque tamen res se habeat,
negari certè nequit, quod ex hujusmodi Sepulchris,
Imaginibus, & Monumentis, augeatur
quoque Cultus Divinus, cum ex illorum
aspectu pii Fideles excitentur ad novas
Aras instaurandas, nova erigenda Sacella,
nova Sacerdotia fundanda, & novis redditibus
ditandas, & augendas Ecclesiss,
10 quæ fuit principalis ratio, cur Sacri Canones
ad reservationem Jurispatronatus benigniores,
& proclíviores fuerint, ut benè
ad rem advertunt *Dulph. de Cappell. cap. 13.
n. 35. & cap. 15. n. 9. & 10. Franc. de Eccles.
11 Cathedr. cap. 26. n. 218. & 225.* Rursus ab
Inscriptionibus, & aspectu Sepulchrorum,
excitatur in Posteris memoria Majorum,
& indè mens eorum movetur non solùm
ad eorum virtutes, & pietatem imitandam,
ut Q. Maximum, P. Scipionem, aliosque
præclaros Civitatis Viros dicere solitos,
testatur *Salust. in præfat. Belli Iugurt.*, &
ex nostris *Pignatell. consult. 25. nu. 8. & 9.
tom. 8.*, *Panimoll dec. 9. n. 1. Rot. cor. Dunozzet.
Iun. dec. 341. nu. 11.*; sed etiam ad
pia suffragia, & preces pro eis effundendas,
*Anchar. cons. 113. n. 3. Grat. discept. 210.
n. 32. Dulph. de Cappell. cap. 11. n. 5. in fin.,
Medic. de Sepult. in præfat. n. 4. Pax Iordan.
d. lib. 10. tit. 7. n. 449.*
12 Quambrem, sicuti æquum videtur, ut Sacra
Templa speciosa sint, & quantò magis
fieri potest, ornata; ità pariter Justitiæ, &
æquitati consonum est, ut Sepulchrales Urnæ,
aliaque Patronorum monumenta, ità
intacta remaneant, ut per Holoserica, aliaque
ornamenta, nihil eorum prospectui officiatur,
*Rocc. de Curt. de Iurepatr. verb. &
dotavit n. 3. vers. hæc tamen intellige*, *Lambertin.
eodem tract. lib. 3. qu. 5. art. 4. n. 8 &
9.*, *Gennen. in prax. Cur. Archiep. Neap.
cap. mihi 91. num. 3. Card. de Luc. de Iurepatr.
disc. 52. sub n. 12. & in Miscell. Eccles.
disc. 30. n. 20. Matthæuc. de Offic. Cur.
Eccles cap. 28. n. 5. Dulph. de Cappell.*, *&
Sepul. cap. 11. n. 11.*, *Pax Iordan. lib. 10. d.
13 tit. 7 n. 450. & seq.*; Cum præsertim & in
cæteris Patronalibus Cappellis Matriti existentibus
mos sit, liberum omninò relinquere
prospectum Statuarum, Inscriptionum,
& Sepulchrorum, & ità quoque servetur in
14 Ecclesiis, etiam Maioribus, & Patriarchalibus
hujus Almæ Urbis, quarum exemplum
sequi decet etiam alias per Catholicum Orbem
diffusas in iis, quæ ad Sacras Cæremonias
pertinent, & Cultum Divinum, *Francesc.
d. tract. cap. 25. n. 400 Panimoll. dec. 1.
annot. 3. n. 19. & 20. Rot. dec. 282. n. 22. par.
7. recen.*
15 Absque eo quod quidquam in contrarium
urgere possit immemorabilis consuetudo,
cui Monaci insistere plurimum videbantur.
In primis enim non satis de ea docebatur in
facto; tùm quià deficiebat principale ipsius
requisitum, quod nempè ignoretur principium,
*Rot cor. Buratt. decis. 551. n. 1. & in
rec. dec. 363. n. 6. par 18. & in Policastren.
Subventionis 27. Iunii 1707. §. Et in universum
coram Me, & in Toletana Decimar.
23. Iunii 1721. §. Omnes cor. R. P. D. mea
Foscaro*; tùm & fortiùs quia, cum pluribus
anni temporibus operta, & omnium oculis
patentia relicta fuerint Stemmata, Inscri-
16 ptiones, Urnæ Sepulchrales, & Tribuna,
cessabat etiam alterum illud essentiale requisitum,
quod nihil dictum, visum, auditumque
fuerit in contrarium, de quo *Rot.
cor. Cerr. dec. 506. n. 10., & in recen. dec. 347.
num. 4. par. 9. & in Abulen. Cappellaniæ 5.
Maii 1717. §. Neque minùs cor. Rmo Seguntino.*
17 Prætereà neque obiecta immemorabilis,
aut centenaria consuetudo relevare poterat
in Jure: Ultrà quod enim agebatur de actibus
facultativis, per quos utcumque multiplices,
& longo temporis spatio continuatos,
numquam adempta Patrono censeri potest
facultas utendi Jure suo, nisi expressa contra-

traditio superaccedat, cum subsecuta Patroni acquiescentia, *Rot. cor. Roy. dec.* 391. *n.6.*, *& dec.* 245. *n.* 25. *par.* 15., *& in Burgen. Iuris visitandi de Bribresca* 22. *Iunii* 1714. §. *Cæteri cor. Emo Scotto*, *& in Bitunt: na statutor.* 26. *Iunii* 1719. §. *Accedenti-*
18 *bus cor. bon. mem. Marymon.*; DD. insuper animadvertebant, Juspatronatus ipsius Cappellæ annexum esse Majoratui, atque ideo præscriptionem procedere quidem posse contra illos ex Possessoribus d. Majoratus, qui cum potuissent agere, ac impedire, per incuriam, & negligentiam passi sunt minui eorum Jura, nec reclamarunt, *Vrceol. de transact. qu.*76. *n.* 16., *Rot. dec.*558. *nu.* 12.
19 *par.* 4. *tom.* 2.; at non etiam obesse valet Successoribus, quorum dies, cum præscriptio cœpta, & continuata est, nondum cesserat; hiis enim, utpotè venientibus ex persona, & Jure proprio, sicuti nulla imputari potest negligentia, ità quoque nulla opponi potest præscriptio, *Rot. dec.*558. *n.*7. *&* 8. *par.* 5. *& dec.*548. *n.*9. *par.*15., *& cor. Cavaler. dec.*213. *n.*15. *& cor. Duran. dec.* 426. *n* 7., *& in Bononien. Commendæ* 13. *Ian.* 1718. §. *Alterum coram R. P. D. meo Corio*; præ-
20 sertim quotiès, ut in casu, lex ipsa sub qua Majoratus institutus fuit, nominatim, & expressè cuicumque opponitur præscriptioni, ad ea, quæ tradit *Mart. contr. Iur. tom* 3. *tit. præscriptio Digestor. novissimor. cap.*17. *Cancer. var. par.*3. *cap.*15. *n.*78. *Palm. alleg.*2. *n.*12., *& alleg.* 3. *n.*136. *&* 139.; ubi concordantes.

Et ità utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Veneris 5. *Martii* 1723.

ARGUMENTUM.

Obligatio filii majoris favore Patris, an & quando ex capite læsionis irritetur, & ex quibus è contra, & quando substineatur, & læsio non dicatur ad esse, filius enim tunc de defectu relevationis potest excipere, quando de tempore obligationis emissæ jam Pater fuisset oberratus, secus vero, si decoctio post obligationem supervenerit. Contractus novatio illico, ob non adimplementum, resoluta primam non perimit obligationem, adeoque fidejussorem non liberat, & ex quibus filius pauper non sit dicendus ad effectum substinendi obligationem pro patre susceptam.

SVMMARIVM.

1 *Principalis reus debendi consideratur qui se insolidum pro altero obligavit, etsi debitum in origine proprium non fuisset.*
2 *Fidejussor non liberatur ab integri debiti præstatione promissa, ex quo, ob promissorum non adimplementum, dilatio principali debitori concessa fuisset resoluta*; ampliа, ut in n.3.
4 *Novatio in contractu non dicitur facta ad effectum, ne fidejussor liberatus dicatur, quando non solum defuerit animus novandi in Creditore, sed ulterius jura juribus addere procuraverit.*
5 *Amplia, quando dilatio, seu aliquis alius contractus resolutus fuisset ipso Jure, & ad nil aliud tendisset, quam ad facilius debiti satisfactionem consequendā, adeout fidejussori nullum obvenisset præjudicium*, & vide casum.
6 *Deducto ne egeat non juvat filium pro Patre obligatum, quando asseruit se seorsim ab illo vitam agere, & ab ejus potestate solutum.*
7 *Renunciatio facta à filio* l. 1. & 2. ff. & C. quod cum eo *impedit, quo minus ipse beneficium filii familias possit allegare.*
8 *Læsio ex defectu relevationis in actu obligationis non dicitur à filio qui se pro Patre obligavit satis probata per deductionem æstimi bonorum ad illum pertinentium, litteras Sacræ Visitationis ab eo reportatas, & depositiones testium super ejusdem paupertate*, & quare? vide in nn.9. & 12., atque ampliа, ut in n.11.
10 *Oberratio debitoris probata post tempus susceptæ obligationis nil relevat, aut concludit pro tempore antecedenti.*
11 *Relevationis defectus etiam de tempore sequutæ obligationis non est allegabilis à filio, qui se pro Patre obligavit, quando in obligatione nominatim expressit causam, ut bona paterna ab imminenti deliberatione liberarentur.*
12 *Filius non potest dici pauper ad elidendam obligationem pro Patre factam, quando commodè vivit, quæ commoditas resultat, ex quo formale testium examen postulasset.*

DECISIO MCCCLXX.

Ut removeret Dominos à resolutionibus captis coram Reverendissimo Herrera sub die 23. Januarii, & 15. Junii superioris anni majori apparatu repetebat hodiè Æmilius coram Me in emeriti Collegæ locum, propter ejus promotionem ad Ecclesiam Seguntinam, subrogato; primo, quod obligatio per eum suscepta anno 1702. ad eximendum Partem à Carceribus penitùs resoluta fuerat; secundò, quod D Magnus Comestabilis eamdem obligationem novaverat anno 1707.; & tertiò denique, quod in omnem casum dicta ejus obligatio tanquam enormissimè læsiva nullo pacto sustineri poterat, vel saltem, quod ipsi competebat beneficium, *Deducto, ne egeat*. Sed DD his non ob-
1 stantibus, permanserunt *in decisis*, quia licèt debitum scut. 940. 70. non esset in origine proprium ipsius Æmilii; attenta nihilominùs obligatione de solvendo per eum successivè principaliter, & in solidum suscepta, per-

perindè ipse haberi debebat, ac si esset prin-
cipalis debendi Reus, ex deductis *in Turri-
tana Pecuniaria 21. Ianuarii 1715. §. Po-
sita coram Me*, & in prima Decisione Causę
*§. Defecerunt coram Reverendissimo Segun-
tino*.
2 Nec obstare visa fuit prima exceptio de-
sumpta ex pacto resolutivo apposito in dicto
Instrumento anni 1702., quamvis enim in isto
cautum fuerit, quod D. Magnus Comestabi-
lis, non attenta dilatione tunc concessa Aga-
pito, & Francisco Originariis Debitoribus,
& facultate illis data minutatim solvendi sta-
tis quibusdam temporibus dictam summam,
posset statim, & pro solido agere, quate-
nus intrà octiduum non accessissent etiam
Uxor, Filii, & Levir dicti Francisci, pe-
rindè ac si dicta facultas, & dilatio minimè
concessa, & ejusmodi Instrumentum cele-
bratum minimè fuisset; hoc tamen pactum
appositum in gratiam, & favorem Credito-
ris, potuit quidem resolvere, eo sic volen-
te, concessionem dictæ facultatis, ac dilatio-
nis, sed non etiam solidalem obligationem
ab Æmilio absolutè susceptam; cum enim iste
sese obligaverit -- *per tutte, e singole cose
contenute, & espresse nel presente Instru-
mento, singula singulis congruè referendo,
ità quod &c.* Sequitur exindè tamquam ex
necessario antecedenti, quod ejus obligatio,
nedum resoluta non fuerit ex eo, quod Uxor
filii, & Levir Francisci, neque intra præsti-
tum tempus, neque unquam postea de facto
3 accesserint; sed imò ex hoc non implemen-
to magis, magisque confirmata, & aucta
remanserit pro solida, & libera dicti debiti
solutione eodem modo, quo Agapitus Pater,
& Franciscus Originarii Debitores ob non
impletam dictam conditionem dilationi ap-
positam statim, & absque ulla declarationis
ope, pro solutione solidi, uti prius obliga-
ti remanserunt, sicuti dictum fuit in dicta
prima Decisione §. *Nullitati*.
4 Ab hac igitur prima transeuntes DD. ad
secundam exceptionem novationis, hanc
quoque minimè urgere censuerunt; ultra
quod enim nova dilatio, de qua in Instru-
mento anni 1707. concessa fuit à Ministris
D. Comestabilis dictis originariis Debito-
ribus absque necessariis facultatibus, ut prę-
clarè probat expressa præservatio assensus
in illo apposita: DD. procedentes, cum re-
gula *Text. in l. fin. Cod. de novat.*, dice-
bant, in casu non solum deficere animum
novandi, qui debet esse clarus, & expressus,
sed eum evidenter excludi ex protestatione
illa in dicto Instrumento desertis verbis in-
serta -- *Che questo presente contratto non deb-
ba fare alcuna innovatione colla clausula --
Ità quod utile &c., ma serva per aggiongere
cautela à cautele &c., e non altrimenti &c.,
5 de quo &c. alias* -- Cum præsertim actus iste
posterior nullum omnino præjudicium irro-
gare posset Æmilio, imò tenderet ad facilius
consequendam debitam satisfactionem ab
Originariis Debitoribus, ex qua sequuta
fuisset liberatio ejusdem Æmilii, & nullum
de facto prędiudicium irrogaverit; quia cum
& ista nova dilatio resoluta ipso Jure post-
modum fuerit ob non adimpletas conditio-
nes eidem adjunctas; nulla contra Crediro-
5 rem opponi potest exceptio Cedendarum, ut
in similibus circumstantiis ad effectum ex-
cludendę novationis alias respondit *Rota in
Bononien. Pecuniaria 4. Iulii 1721. coram
R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis di-
gnissimo Gubernatore*.
Et per hęc rejectis tam prima, quam se-
6 cunda exceptione, tota Causæ difficultas re-
dacta fuit ad læsionem enormissimam, in
quam ex dicta obligatione per eum suscepta
incidisse querebatur Æmilius pro liberando
à Carceribus Agapito Patre; Beneficium
enim, *Deducto, ne egeat*, ad quod ultimo
loco idem Æmilius confugiebat, non pote-
rat illi ullo pacto suffragari, nedum, ex quo
ipse in dicto Instrumento anni 1702. asseruit
se vivere seorsim à Patre, ejusque potesta-
7 te solutum; verùm propterea quia in eodem
Instrumento expresse renunciavit ejusmodi
beneficio, & dispositioni *leg. primæ, & se-
cundæ ff., & Cod. quod cum eo &c.* Hæc au-
tem renunciatio emissa, præsertim à Nota-
rio, prout erat Æmilius, sine dubio impe-
dit quominùs ipse allegare possit beneficium
Filiisfamilias à lege indultum, ne pro Patre
conveniantur, ultra quam, *Deducto, ne
egeat*, facere possunt, *Gratian. cap. 799. n.
15. Giurb. dec. 44. n. 7., Rota dec. 281. n. 8.,
& seqq. cor. Buratto*.
Sed quod attinet ad dictam læsionem, pla-
cuit DD. responsio alias data in Decisionibus
Reverendissimi Seguntini, & ulterius, quod
8 de illa in facto minimè conlier. Nam licèt
Æmilius ad probandum defectum idonei re-
levatoris hodiè denuò adduceret, & Æsti-
mum publicum, quo paterna Bona allibra-
ta leguntur, & magnam vim ęris alieni ab
eo contracti, & literas Sac. Visitationis ab
eodem Patre obtentas, & denique deposi-
tiones quorumdam Testium deponentium
de paupertate, & decoctione, tam d. Aga-
piti Patris, quam Francisci alterius Rei de-
bendi: ejusmodi tamen documenta non at-
tingebant gradum illum perfectę, & conclu-
dentis probationis, quæ ad hunc effectum
requiritur de tempore præciso susceptæ ob-
bligationis *Rot. coram Me in Perusina Cen-
sus 17. Ianuarii 1716. §. Neque obstat*, &
in Decisionibus Causæ prima nempè § *Vim,
& efficaciam*, & secunda §. *Quo vero*, ubi plu-
9 res concordantes. Stare enim bene potest,
quod ultrà stabilia in dicto Æstimo descri-
pta, & Agapitus, & Franciscus pecunias
propria industria quæsitas, frumentum, aut
alias segetes domi haberent, sicuti moris
esse solet apud hujus conditionis homines.
10 Obæratio vero probata post dictum tem-
pus susceptæ per Æmilium obligationis ni-
hil relevat, aut concludit pro tempore an-
tecedenti, *Rot. in Verulana Census 7. Mar-
tii 1712. §. Contrarium, & 12. Maii 1713.*

§. *Nil refragante coram R. P. D. meo Falconerio*, & in secunda Decisione Causę §. *Me-*
21 *tam*; Dum maximè contrà hæc urget confessio ipsius Æmilii, qui in ipso actu, quo pro Patre se obligavit inter alias Causas ejus animum moventes illam quoque nominatim expressit, ut nempè Bona paterna liberarentur ab imminenti deliberatione; Quamobrem hodiè vix in dubium revocari potest, quod dicta Bona tunc temporis re vera adeilens cum obligatio suscepta fuit, ad vulgar. *Text. in l. Cum à Matre Cod. de rei vindic.*, de quo *Rota in Bononien. Manutentionis* 15. *Maii* 1722. *coram Me*.

22 Nec dissimili ratione submovebatur quoque probatio alterius extremi, quod nimirum suscepta obligatio Æmilium redigat ad extremam paupertatem, ultrà quod enim Testes super hoc ab ipso inducti tanquam examinati *ad perpetuam*, gradum plenæ probationis nequeunt constituere; eorum insuper depositio debilior etiam, & magis inverisimilis reddebatur, ex quo idem Æmilius cum tota ejus Familia satis honestè, & commodè pro qualitate Patriæ, & propriæ conditionis hucusque vixit, & vivit, quam veritatem, & hodiè, & in preteritis ipse quoque agnovisse visus fuit, petendo, quod dd. Testes formaliter repeterentur, ut in simili alias dixit *Rota in Leopolien. Matrimonii* 6. *Martii* 1722. §. *finali cor. Me*.

Et ita utraque &c.

ROMANA, SEU FLORENTINA
PECUNIARIA.

Lunæ 8. *Martii* 1723.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio est revocatoria duarum præcedentium emanatarum sub diebus 10. Martii 1721. & 20. Martii 1722. ac in ea latè explicatur Bulla Baronum, & quæ fuerit mens Pontificis in ejus erectione; simulque concluditur, quod ex ea Exteri Creditores pro contractibus extra Statum Ecclesiasticum initis non suffragentur; secus vero pro illis in Urbe, vel intra Statum celebratis, vel cum exteris, vel cum S. Sedi subditis per Domicellos, Barones, seù Patritios Romanos, nec non referuntur causæ, quæ Pontificem ad hanc Constitutionem signandam impulserunt.

SUMMARIUM.

1 *Bulla Baronum non prodest Forensibus, sive Exteris pro contractibus initis extra Ecclesiasticam Ditionem cum Romanis Civibus, sive Baronibus*, & n.2., nec non amplia, ut in nn. 9.11.15.19.27.25.29.41., & 43.

3 *Leges Pontificiæ, & Statuta, neque activè, neque passivè ligant illos, qui Statuentium jurisdictioni non subsunt, cum passivè deficiat potestas, & activè præsumatur deficere voluntas.*

4 *Amplia, etsi Princips, condendo legem, verbis generalibus, & indefinitis usus fuerit, eaque direxerit in res, & bona, non etiam simpliciter in presonas*, & quare? vide n.5

5 *Lex generalis Principis indefinite concepta omnes afficit subditos, & quidem pro bonis sub jurisdictione legislatoris positis; Limita, ut* in n.6.

6 *Lex Principis non intelligitur extensa ad non Subditos Exteros, & Forenses, nisi de iis expresse meminerit*; & quare vide n.7.

7 *Intentio Statuentium providendi suis, & non exteris, prævalet generalitati verborum.*

8 *Jus proprium Civitatis distinguitur in hoc à Iure Gentium, quod hoc omnes, pereque Gentes custodiant*; & quare? *Illo vero certus dumtaxat Populus, aut Civitas utatur; quasi jure proprio sibi peculiariter sancito.*

10 *Pontifex duas in temporalibus habet subditorum species; nempe eorum, qui sub ejus regio dominio existunt, & alterum illorum, qui sub Baronum potestate sunt.*

11 *Bulla Baronum, quod non juvet Forenses, desumitur, ex quo nominatim expressit per modum ampliationis etiam Subditos Baronibus Status Ecclesiastici, & de illis nullam mentionem fecerit*; & n 12.

12 *Bulla Baronum in ejus ampliatione ad Vassallos Baronum satis indicat, legem illam non aliis, quam subditis fore profuturam.*

13 *Item, ex quo Bulla non solum non derogavit præcedenti Constitutioni Sixti V., in qua bona jurisdictionalia in Forenses alienari probibetur; sed imo istam ampliavit.*

14 *Forenses super bonis jurisdictionalibus nequidem hypothecam adipiscuntur pro contractibus extra Statum initis.*

15 *Bulla Baronum, quod non faveat exteris, ut supra, deducitur ex probibitione, quam continet, ut Forenses, neque hypothecam super bonis jurisdictionalibus pro contractibus extra Statum initis, adipiscantur*; & nn.16. & 19.

16 *Ordo potioritatis cessat in illo Creditore, cui desit hypotheca.*

17 *Bulla Baronum fuit signata à Pontifice ob extorsiones, & concussiones, quibus Barones Romani afficiebant gentes ad extorquendas merces, vel pecunias*: & n.18.

18 *Bulla Baronum est derogatoria in vestiturarum, & fideicommissorum, ac Castra, & bona perinde, ac si omnino libera, & allodialia forent, sub basta publica vocat*; & n.22.

19 *Quod non faveat exteris Creditoribus, ut supra, deducitur ex quo mens Pontificis fuit in ejus erectione ne Barones in extorsionibus supra expressis versarentur, & gen-*

& gentes concuterent, quæ concussiones non possunt contingere adversus exteros, & nn.20 21.22.23. & 24.

20 *Lex non ligat eos, quos ratio ipsius legit non tangit*.

21 *Creditor Patris non potest agere contra filium ejus non hæredem; secus vero contra Barones Status Ecclesiastici in vim Bullæ*.

22 *Barones ipsi Principi sunt decori, & dicuntur nervi, & viscera Civitatum*.

24 *Bulla Baronum non afficit Barones, dimissa Baronia, quia cessat ratio, omnisque metus concussionis*.

25 *Neque Barones exteros pro ære alieno in Urbe contracto, etiam si bona in Statu Ecclesiastico possideant, sive fideicommissaria, sive emphitheutica*.

26 *Creditores Status Ecclesiastici, qui pecunias Exteris crediderunt, nequeunt in alicuis ditionibus bona feudalia, aut fideicommissaria eorum persequi*.

28 *Quod quisque Iuris in alium statuerit, vel usus fuerit, eodem uti, & ipse debent, æquum est*.

29 *Roma est Patria communis* ex l: Roma. ff. ad Municipal.

30 *Commercium ut augeatur, an expediat Reipublicæ derogare fideicommissis, ut facilius exteri ad Urbem pecunias transmittant, hic declaratur*; & nn.32. & 33.

31 *Derogatio fideicommissi non est admittenda pro controctibus initis extra Statum*, & vide hic rationem, & d. n. 30. ac nn.32. & 33.

33 *Commercia, quæ ferunt translationem pecuniarum ad exteras Nationes, sunt de Iure probibita, & ab hoc Princeps cavere debet*.

34 *Bulla Baronum favet exteris Creditoribus pro contractibus in Statu Ecclesiastico initis*.

36 *Gratia Pontificis regulatur ab eo, quod in supplicatione fuit expressum, & in ea continetur, nec ad diversum trahitur sensum*.

37 *Papa non præsumitur, quod in Brevi voluerit derogare Juri alteri quæsito, etiam in gratiam Familiæ, quantumlibet de Christiana republica benemeritæ*.

38 *Amplia, si neque ex parte supplicantis talis derogatio postulata sit*.

39 *Congregatio Baronum semper reiecit Forenses pro contractibus extra Statum initis, & hic exempla referuntur*.

40 *Leges semper interpretandæ sunt, juxta moderniorem observantiam, tamquam veriorem, & cunsu cognitu, editam*.

42 *Princeps, tamquam bonus reipublicæ Pater, non exteris, sed propriis subditis consulere voluisse, præsumitur*.

43 *Bulla Baronum à Sacra Rota numquam extensa fuit ad contractus extra Statum Ecclesiasticum initos*.

DECISIO MCCCLXXI.

IN hac gravissima, & exemplari Causa in qua non modò Privatorum, sed Publica quoque utilitas periclitari visa fuit, hodie tandem DD. ex noviter in facto deductis maturè animadvertentes parum fidi posse observantiæ, ex qua in geminis præteritis resolutionibus cor. Me editis sub die 10. Martii 1721., & 20. Martii 1722. desumpta unicè fuerat ratio decidendi; quippe quia lis vel non percutiebat præcisum casum, quo Alienigenæ,& Forenses pecunias suas extra Statum Ecclesiasticum Nostratibus crediderint, vel potius contra ipsos exteros Creditores retorquebatur, rem totam juxta sen-
1 sum, & legitimam Interpretationem Clementinæ Constitutionis, quæ vulgò dicitur Bulla Baronum strictè definiendam putarunt: Cumque tam ex contextu ejusdem Constitutionis, quam ex verisimili Legislatoris mente verior visa fuerit opinio, in quam alias inclinavit. *Rot. dec.* 340. *sub n.* 15., *& seq. par.* 12., & quam tenuit egregius nostræ ætatis Consultus *Card. de Luc. de credit. disc.* 30. *n.* 20., *& seq.* quod nimirum Forenses juvari nequeant extraordinario beneficio d. Constitutionis contra debitores subditos pro debitis extra Statum contractis; hinc propterea consueto regulari dubio per Me proposito, responsum fuit *pro recessu à decisis*.

2 Ac primùm quidem insequendo verba d. Constitutionis certum est, & supra omnem controversiam, quod in toto ejus contextu nulla Forensium, aut Exterorum, nullaque omnino contractuum extra Statum Ecclesiasticum initorum, vel minima mentio facta fuit: & tamen equè certum est, quod ut beneficium ejusdem Constitutionis etiam in eos, & pro contractibus extra Statum celebratis collatum censeri posset, omnino oportebat, ut Legislator de illis expresse, ac nominatim meminisset, sicuti idem Pontifex disertis verbis eorum meminit in alia ejus Constitutione in ordine *la* 78. *Bullar. nov. tom* 3., & sicuti pariter servatum fuit in celebri Constitutione san. mem. Innocentii XI. impressa ante tractatum *Card. de Luc. de success. Statut.*, cujus beneficio, quia Princeps juvari voluit etiam exteros, eorum expresse meminit sub §. 17. ibi — *Et quamvis tam decedentes, quam excludentes, et exclusi exteri sint nobis, et Sedi Apo-*
3 *stolicæ in temporalibus non subditi*; cum alias regulare sit, quod sub legibus, vel Statutis neque activè, nec passivè comprehensi censeantur illi, qui Statuentium, vel Legislatorum Jurisdictioni non subsunt, passivè enim deficit potestas, & activè voluntas *Crot. in l. omnes Populi ff. de Iust., et Iur. Bald. cons.* 460. *lib.* 1. *Alexand. cons.* 44. *n.* 15 *lib.* 5. *Soccin. Iun. cons.* 80. *n.* 14., *et* 17. *Hondod. cons.* 5. *n.* 15. *& seq.*, *& cons.* 11. *n.* 22., *&* 25. *lib.* 1. *Rub. cons.* 2. *per tot.*, *& præsertim n.* 18. 22., *&* 62. *Marescott. cap.* 9. *n.* 2. *lib.* 1.

Gratian. discept. 431. *n.* 16. *cum seq. Thomat. dec.* 204. *n* 25. *cum pluribus seqq. Rot. dec.*295. *n.*4. *dec.*673. *n.*2. *par.*1., *& dec.*413. *n.*1. *par.*4. *diversf.*, *& in rec. dec.*172. *n* 13., *& seq. par.*8., *& dec.*175. *n.*3., *& seq. par.*9, & passim alibi.

4 Idque etiamsi Princeps condendo legem
verbis generalibus, & indefinitis usus fuerit,
eaque direxerit in res, & bona, non etiam
5 simpliciter in personas, nam generalia illa,
& indefinita legis verba afficiunt quidem generaliter,
& indefinitè omnes subditos §. *Sed nostra Instit. de hæred. qualit.*, *& differentia leg.*1. *C. de summa Trinit.*, *& l. Imperialis C. de nuptiis*, & quidem pro bonis sub Jurisdictione Legislatoris positis *Thomat. decis.*204 *n.*7. *Rot. dec.*295. *n.*2., *&* 3. *par.* 1. *diversf*, *et coram Gregor. dec.*255. *n.*6., *et* 7.,
6 Sed ad Exteros, & Forenses, de quibus, ut
inquit *Textus in cap. Gaudemus extra de divort. ad Principem non pertinet*, nullo pacto extendi possunt, nisi de iis expressa mentio facta fuerit, juxta communem opinionem de qua *Crot. in d. leg. omnes Populi n.* 224. *Iason. cons.* 80. *sub n.*9. *Barb. cons.* 75. *n.* 5. *lib.*3. *Houded. d. cons.*11. *n.*9 *lib.* 1. *Soccin. Iun. d. cons.* 80 *n.*12. *Mascard de Stat. concl.*6. *n.*9. ubi cumulat plura exempla, aliique apud *Thomat. d. dec.*204. *n.*48., *et seqq.* ubi
7 quod Intentio Statuentium providendi suis,
& non exteris prævalet generalitati verbo-
8 rum. In hoc enim Jus proprium alicujus
Civitatis, vel Principatus, à Jure gentium distinguitur, quod hoc omnes, perequè gentes custodiant, eo quod naturalis ratio, præpotens omnium gentium Domina, & moderatrix ità inter omnes Homines constituerit; illo vero certus dumtaxat Populus, aut Civitas utatur, quasi Jure proprio, & quod sibi idem Populus, ac Civitas peculiariter sancivit, vel Princeps (cui, & in quem Populus lege rega, omne Imperium suum, & potestatem concessit,) vel per Epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto generaliter præcepit §. *Ius autem*, *&* §. *Sed & quod Instit. de Iur. natural. leg. omnes Populi ff. de Iustit.*, *& Iur.* & ibi omnes scribentes, & signanter *Crot. locis supra allegat.*, & omnium melius ad rem præsentem *Thomat. d. dec.* 204. *n.*25. 26. *&* 27.

9 Sed non solum nulla Creditorum Exterorum
mentio in dicta Constitutione habita fuit, aut contractuum extra statum initorum sed insuper, cum Papa de ipsis Creditoribus verba fecit, non aliter legem ampliavit, quam retento semper genere Creditorum Subditorum, sicuti ad litteram constat ex §.2. in illis verbis -- *etiamsi eorum Vassalli*, *& Subditi*, *aut alii quicunque fuerint*, *qui de ipsorum Creditis &c. per mandata executiva à quibusvis Iudicibus Vrbis*, *aut alterius loci status prædicti decreta*, *& relaxata*
10 *docuerint* -- Cum enim Romanus Pontifex
duas habeat in temporalibus Subditorum species, aliam nempe eorum, qui sub ejus Regio Dominio; aliam vero eorum, qui in potestate Baronum sunt, eo ipso, quod de istis licèt sibi, & ejus Imperio indubitatè,
11 & immediatè subditis, adhuc nominatim,
& expressè meminit quasi per modum ampliationis, aut opportunæ declarationis, quia nempè simpliciter erant extra ejus dominium, *Andr. de Isern. in cap.* 1 § *Nec Dominus n.* 49. *de probib. feud. alien. Federic. Petr. de Gregor. de concess. feud. par.*1. *quæst.* 5. *n.*1., *&* 2. *Mastrill. de magistr. lib.*3. *cap.* 17. *in alleg. n.*26., *& seqq.* multo magis expresse meminisset Exterorum, & Forensium non modo extrà ejus dominium, sed etiam extra quamcunque temporalem ipsius Jurisdictionem existentium, si beneficium legis in eos quoque collatum esse voluisset, quod
12 cum non fecerit, declaratio illa, & amplia-
tio ad Vassallos Baronum satis indicat legem à toto genere non aliis, quam subditis fore profuturam ad tradita per *Rot. dec.* 165. *n.*3. *par.*16., *& coram Emerix. dec* 403. *n.*6.

13 Præterea in d. Constitutione non solùm
Papa non derogavit alteri præcedenti, per quam Sixtus V. ejus Predecessor prohibuerat, ne Bona Jurisdictionalia alienari possent in Forenses, sed imò voluit, ut ea intacta, & illæsa maneret, & paulo post eandem Sixti
14 Constitutionem ampliavit, & declaravit,
inhibendo, quod Forenses ne Jus quidem hypothecæ super dictis Bonis acquirerent, ut constat ex d. alia ejus Constitutione in ordine la 78., & dixit *Rot. post Card. de Luc. de feud. dec.*2. *n.*9., *& seq.*, *& dec.* 3. *num.*6.
15 Si igitur idem Pontifex voluit, quod Ex-
teri nec hypothecam quidem super Bonis feudalibus acquirerent; si in Constitutione con. Barones expressè mandavit, quod prætium retractum ex eorum feudis erogaretur in satisfactionem Creditorum juxta eorum anterioritatem, & potioritatem, nemo sanè non videt, quod solum de Creditoribus subditis sentire potuit, & non etiam de Exteris,
16 quorum respectu, prohibita hypotheca, ces-
sabat in consequentiam ordo quicunque potioritatis ad ea, quæ scripsit *Cujac. de African. tom* 8. *ad l. qui balneum ff. qui pot. in pign. hab. lit. E. Rot. ad ornat. Card. de Luc. tom.*1. *lib.*6. *dec* 50 *n.*14., & interpretando Constitutionem Clementinam, de qua agitur in *Mantiss. ad eundem de Luc. dec.*33. *n.* 20. *& dec.*34. *n.*3. *lib.*8 *tom.*3.
17 Nec sanè, alia mente in dicta lege feren-
da, Sanctissimum Principem à prima usque ætate in medio Jure versatum, sacrique hujus Tribunalis lumen, & in minoribus Auditorem, fuisse credi potest. Ut enim Domini memoriam eorum temporum repetentes, sedulò animadvertebant potior, & Principalis ejus legis condendæ causa non alia fuit, nisi, quod Barones, & Domicelli Status Ecclesiastici, & propria nobilitate, & numero Vassallorum, & quandoque etiam factione Partium, contra æquum, & jus abutentes, nec pudore, nec legibus, nec ordinariis Magistratibus coerceri satis poterant, quominus pecunias, aut merces per concussionem,

sionem, & metum à pluribus extorquerent,
pupillis maximè, & viduis, data quidem
sub inani specie civitis æquitatis, sed oun-
quam reddita fide, ut oon obscure colligitur
ex §.1 ejusdem Constitutionis, & concor-
diter testantur tum annales eorum tempo-
rum, tùm quoque, & latius *Card. de Luc.
de feud. discurs.* 84. *n.* 4, *bon.mem. Ansald.
de commerc. mercat. disc.* 56. *n.* 54. ut igitur
æquo jure eum cæteris Civibus etiam Patri-
tii, & Barones uterentur, Summus Ponti-
fex nouum Magistratum instituit, cui pene
Regiam Potestatem io eos, & eorum bona
concessit, *Rot. dec.*36. *sub n.*42. *& 57. par.* 5.
recent., *& in Romana Pecuniaria* 18. *Iunii*
1706. §. *final. coram clar. mem. Cardinali*
18 *Priolo* & publicæ utilitatis causa, Priva-
torum Jura tollendo, derogavit quoque inve-
stituris, & fideicommissis, quorum clypeo
iidem Barones ut plurimum utebaotur ad
protrahendam solutionem, eorumque Ca-
stra, & Bona perinde, acsi omninò libera,
& allodialia forent, sub hasta publica venire
jussit, ut ex eorum pretio æs alienum à di-
ctis Baronibus contractum hoc tandem ex-
traordinario remedio dimitteretur, ut ad
litteram explicat contextus ejusdem Bullæ,
& dixit *Rot. coram Emerix decis.* 641. 824.
829. *&* 864. *ferè per tot. & in rec. decis.*36.
*n.*11.
19 Sicuti ergo ratio isthæc metus, & concus-
sionis congruit quidem Civibus, & contra-
ctibus in Statu Ecclesiastico initis, ounquam
vero aptari potest Exteris, & Forensibus
extra eundem Statum cum iisdem Baroni-
bus contrahentibus; ità pariter dispositio
legis potest quidem Creditoribus subditis,
aut contractibus inter Barones, & Forenses
in Ditione Ecclesiastica celebratis conveni-
re, secus vero Creditoribus Foreosibus pro
pecuniis, aut mercibus extra eandem Ditio-
20 nem Romanis Baronibus creditis, cum cer-
ti, & explorati Juris sit, quod quos ratio
legis non tangit, nec lex ipsa debeat affice-
re, *cap. cum cessante de appellat. Rot. decis.*
705. *n.*6. *par.* 17. *& dec.*165. *n.* 12. *par.* 19.,
& in terminis Constitutionis Clementinæ in
Romana Fideicommissi 8. *Iunii* 1654. §. *Non
etiam coram Verospio*, alias enim seposita
dicta ratione, in qua quies, & tranquillitas
publica continetur, derogatio fideicom-
missorum, & investiturarum, jurisque tertio
quæsiti fuisset penitus irrationabilis, & Ju-
stissimo Principe minus digna: cum enim Pri-
21 vato, cuique liceat contra illos, qui ejus
antecessoribus pecunias suas incaute credi-
derunt, utiliter excipere, se non esse illorum
hæredem, & bona Aviti fideicommissi jure,
aut antiquæ Investituræ possidere; Baroni-
bus vero non liceat, quorum conservatio, &
indemnitas, & Principi ipsi decori est, &
22 & Reipublicæ utilitati ad *Text. in l.* 1. §. *Sed
est ff. de vent. inspic. Heresbach lib.* 2. *de
erudit. Princ. liber. cap.*10. *Petr. Gregor. de
Republ. lib.*2. *cap.*12. *n.*11. Sunt enim nervi,
& viscera Civitatum, ut dicitur in Edicto
*Athalaric. Regis penès Cassiodor. var. lib.*9.
*cap.*2.
Atque hinc nihil obstat, quod Justitiæ ra-
23 tio, & publicæ fidei causa Pontificem
impulerit ad eam legem condendam, ut ip-
se præfatus fuit in dicta ejus Constitutiooe;
Justitiæ enim ratio, & publicæ fidei causa
bene aptatur Civibus, aut etiam exteris per
metum, & concussionem in Urbe, aut Sta-
tu Ecclesiastico cum Baronibus contrahere
quodammodo coactis, quippe quia spectat
ad Principem, ejusque Justitiam, & fidem
ne quis, sivè Exterus, sive Civis in ejus di-
tione injuria ulla per ejus Subditos afficia-
tur, sed hæc ipsa Justitiæ ratio, & publicæ
fidei causa non patitur, quod supremæ de-
functorum voluntates, quodve jura Priva-
torum absque urgentissima causa publicæ
utilitatis lædantur, aut minuantur, nulla
autem est causa, aut utilitas publica, si con-
cussiooem, & metum, si perhorrescentiam
amoveris, & res sit non de locis Montium
sub fide Principis emptis, sed de contractu
ut in præsenti extra ditionem Ecclesiasticam
& quasi sub fide, & jurisdictione exteri, &
alieni Principis ultrò, sponteque celebrato.
24 Qua ratione & illud quoque receptum est,
quod vendita, seu dimissa Baronia amplius
non intret Constitutio, quia nimirum tunc
cessat ratio, omnisque metus reverentiæ, &
concussionis, *Card. de Luc. de feud. disc.*
84. *n.*6., & *seqq.*, *Rota dec.*11. *n* 14. *p.* 13.,
& *dec.*138. *n.*38., & *seqq. p.*17. *rec.*
Rursus Justitiæ ratio, & publicæ fidei
causa illud in primis expostulat, ut si non
melior sub proprio Principe, saltem æqua
sit, & ooo deterior Civium, atque Exte-
25 rorum conditio: sicuti igitur Barones ex-
teri pro ære alieno in Urbe contracto etiam-
si in ea, vel Statu Ecclesiastico Bona fidei-
commissaria possideant, aut emphyteutica
ex pacto, & providentia, nihilominus sub
d. Constitutione passive non compreheo-
duntur; sicuti insuper Cives, aut Barones
26 Romani si pecunias suas exteris credide-
rint, persequi oequeunt in alienis ditioni-
bus bona fideicommissaria, aut feudalia
27 per eorum debitores possessa; ita æquum
est, ut iidem exteri saltem pro pecuniis ex-
tra Ditionem Ecclesiasticam Romanis Baro-
nibus creditis eodem Jure utantur, cum ipsa
naturæ voce oon modo Prætoris edicto con-
stitutum inter homines videatur, ut quod
28 quisque Juris in alium statuerit, vel usus
fuerit, eodem uti & ipse debeat, *leg.* 1., &
tot. tit. digest. quod quidque Juris ex qua
regula ità ad rem nostram concludunt *Ale-
xand. cons.*44. *n.*9. *lib.*5., & *cons.* 41. *nu.*3.
lib. 7., *ubi Adden. verb. forenses*, *Soccin.
sen. cons.*120 *n.*12., & *per tot. lib.*1., *Hyp-
pol. de Marsil. sing.* 203. *per tot.*, & *præser-
tim n.*1., *Roman. cons.*224. *n.*6., & *per tot
Paul. de Castr. cons.*156. *n.*2. *lib.* 1., *Angel,
cons.*73. *per tot.*, *Tiraquell. de jur. Primog.
q.*44. *n.* 4., *aliisque adductis Eminentiss.
Corradin. de prælat. q.*6; *n.*12., & *seq.*, *Rot.*
post

post Ferran. dec.19. §. Quia & si, & dec.227. n.6., & *seq. cor. san. me. Alex. VIII.*
Minus quoque urget, quod Roma sit Pa-
29 tria communis, *leg. Roma ff ad municipal.*
30 quodque ad augendum publicum commer-
cium, & alliciendos exteros, ut faciliùs pe-
cunias ad Urbem transmitterent, Reipubli-
cę interfuerit fideicommissis, & pactis Inve-
stiturarum derogare, etiam in beneficium
exterorum, ut inquit *modern. Lucen. in eandem Bullam obs.* 8. *n.*8., & *seqq.* Primò
enim respondetur, quod quatenus obiectio
procederet, urgeret solum pro pecuniis in
Urbe creditis, vel in emptionem Locorum
Montium, vel ex alia qualibet causa, secùs
31 verò pro contractibus extra Statum cele-
bratis, & in hoc sensu salvari potest opinio
d. Doctoris indistinctè, & in genere loquen-
tis, quippe quia quatenus, ut in casu, pecu-
niæ creditæ fuerint extra Statum, iam quis-
que planè videt, neque applicari rationem
illam, cæteroquin adeo vagam, & æqui-
vocam, quod Roma sit Patria communis,
neque congruere causam alliciendi Exteros,
ut pecunias suas ad Vrbem transmittant, præ-
32 terea & secundò respondetur, Reipublicę
interesse, quod Cives per virtutem, & in-
dustriam bona, & opes acquirant, & hac
de causa Magistratibus, & Principi cordi
esse debet publicum commercium: Quod
verò iidem Cives ære alieno, & usuris præ-
graventur, nedum novi aditus non sunt
aperiendi, sed potius claudenda est, si qua
alia patet dissipandi via, quoties namque
non alio tendat facilitas commercii, nisi, ut
Familię nobiliores penitùs evertantur, &
Exteri intra aliquod temporis intervallum
pecunias, quas transmiserunt, cum magno
usurarum additamento ab Vrbe repetant.
Hoc sanè non commercium, sed coniuratio
est, & publica pernicies, ut datis ad Sena-
tum litteris scripsisse Tyberium Cæsarem
refert *Tacit. Annal. lib.*3. *ubi Carol. Pas-*
33 *chas.* notat, Principi in primis cavendũ esse,
nè quamcumque ob causam pecuniæ trans-
ferantur ad externas gentes, unde, & ejus-
modi commercia iure prohiberi advertit
Adden., sive Glossator ad grat. de jur. Bell. lib. 2. *cap.*2. §.13. *vers. impediendi jur*, & §.
19. *vers. ejur res*.
Denique non obstat, quod observantia,
34 & praxis Congregationis etiam forenses, &
Exteros ad Beneficium d. Constitutionis ad-
mittat, nam, ut pręmonitum fuit usque
ab initio, aut loquimur de praxi, & obser-
vantia admittendi Exteros pro contracti-
bus in Statu Ecclesiastico celebratis, & hęc
non percutit casum, de quo agitur, sicuti
latiùs animadversum fuit in secunda deci-
sione Causę §. *Hujusmodi*, aut verò loqui-
mur de observantia, & praxi pręcisa admit-
tendi forenses etiam pro Contractibus initis
35 extra Statum, & hęc revera non probatur
neque ex indulto ab eodem Clemente VIII.
concesso familię de Vitellis, neque à pau-
cis illis exemplis, quibus innixa fuit d. se-
cunda decisio §. *Quod igitur*, & *seqq.* Non
quidem ex dicto indulto, quia si illud bene
ac diligenter perpendatur conferendo, ut
par est partem prooemialem cum dispositi-
va, non habet eam vim, quod Papa in gra-
tiam d. Familiæ derogaverit Constitutioni
contra Barones quoad Ius aliquod, quod
cæteroquin Exteris Creditoribus virtute
eiusdem Constitutionis quæsitum fuisset
super bonis in Statu Ecclesiastico sitis, sicu-
ti suppositum fuit in utraque pręcedenti de-
cisione, sed solum prælefert, quod Papa
derogaverit eidem Constitutioni circa mo-
dum, & solemnia faciendæ venditionis; ita
enim suadet petitio supplicantis, quę dum
tota erat, ut sibi liceret privata auctoritate
vendere, cum privilegio tamen Congrega-
tionis Bona Constitutioni subiecta, ne alias
cogente eiusdem Congregationis imperio,
& sub hasta publica minoris venirent in com-
mune præiudicium tam Creditorum, quàm
debitoris non obscurè indicat, quod Indul-
tum, & gratia limites ejusdem petitionis
non excessit, & quod eatenus tantum Sum-
mus Pontifex addidit, quod derogatio, &
ampliatio Constitutionis in eodem Indulto
contenta nullo modo suffragari posset Cre-
ditoribus forensibus, & extra Statum Ec-
clesiasticum, sed bona existentia in d. Statu
essent, ac si d. Constitutio contra Barones,
36 & d. derogatio, & ampliatio edite non es-
sent, quatenus nimirum nulla ex indè orire-
tur ambigendi ratio, quod Papa per d. In-
dultum voluisset, ut pretium ex dd. Bonis
privata auctoritate vendendis, retrahen-
dum etiam favore Creditorum exterorum,
de quibus ad alium effectum mentio in peti-
tione facta fuerat, erogaretur, ad regulam,
de qua *Text in cap. inter dilectum de fid. Instrum., Rot.dec.*18. *n.*1. *p.*9, *& dec.*52.*n.*5.
p. 18. *rec.*
Et ita insuper convincit ratio illa, quod
37 aliàs quatenus Creditoribus exteris virtute
Constitutionis, revera jus aliquod super di-
ctis bonis quęsitum fuisset, nequivisset Papa
concedere, vel saltem juxtà certissimam Ju-
ris pręsumptionem non concessisset Indul-
tum, per quod eorum iuri jam plene quęsi-
to derogaretur in gratiam privatę familię,
quantumlibet de Christiana Republica be-
nemeritę, *l.*2. §.*Meritò*, & §. *Si quis ff. ne quid in loc. publ.*, *Rota cor. Pamphil. decis.*
81. *n.*3., & *cor. Emer. dec.*898. *n.* 13. dum
38 præsertim ex parte supplicantis minimè
petitum fuerat, quod Papa eximeret dicta
bona à molestiis Creditorum exterorum,
Gramm. dec 66. *sub n.* 18., & 19., *Rot. dec.*
363. *p.*10. *n.*25., & *cor. Emer. dec.* 12. *n.* 3.
Sed si ab indulto hujusmodi in suo pro-
39 prio, ac veriori sensu accepto nullum sumi
potest observantiæ argumentum favore Ex-
terorum, multò minus praxis Congrega-
tionis deduci valet à geminis illis exemplis
in secunda decisione relatis, ultra enim plu-
res alias responsiones unicuique eorum da-
tas à Sribentibus pro DD. Iustinianis, DD.
op-

opportunè ponderabant unum, aut alterum exemplum d. Congregationis, cui pura, & simplex executio d. Constitutionis, non etiam interpretatio, aut declaratio ulla commissa fuit, aptum non esse inducere extensionem d. legis, cæteroquin gravis, & exorbitantis etiam ad forenses, & exteros contra verisimilem mentem Legislatoris, dum præsertim non constat, quod opposita fuerit exceptio ista forensitatis, imò dum constat, quod quando ista opposita fuit, ut signanter contigit anno 1679. inter Cocchium Exterum, & Piscitellium S. Sedis Subditum invicem contendentes super consignatione pretii Ascreę, & Casalis Barci, nedum Congregatio substitit, & expresse demandavit, ut strictè scriberetur super forensitate, sed successivè quoque post rem diu, matureque discussam, Causam decidit contra forensem, ut hodie fuit in facto plenissime justificatum. Quamobrem vel de
40 ejusmodi praxi, & exemplis hinc inde propositis nulla ratio habenda est, vel quatenus alicui deferri debeat, potius attendendum est hoc postremum, tanquam veriori, & legitimo sensui d. Constitutionis uniforme, & causa cognita editum ex adduct. per *Rot dec. 66. nu. 12. p. 6., & coram Emer. dec. 799. n. 8.*

Quidquid igitur senserit modernus Lu-
41 censis in d. ejus observatione 8., Doctor sane alicujus nominis, sed qui in aliis quoque interpretationem hujus Constitutionis concernentibus lapsus fuit, dum obsequi noluit resolutionibus, & placitis huius Sac. Tribunalis. DD. hodie approbarunt opinionem, quam tenuit *Card. de Luc. de credit. disc. 30.*, & ipse modernus Lucen. ingenue fassus fuit esse magis æquam, & rationabilem, quod nempe Constitutio Clementina ita sit intelligenda, ut per eam nihil novi Iuris quęsitum censeatur Exteris, & Forensibus, qui extra Statum Ecclesiasticum cum Romanis Baronibus contraxerunt. Ita enim publicę fidei, aut commercio nihil detrahitur, ęqualitas servatur, supremę defunctorum voluntates, & Iura privatorum quantò minus læduntur, & firma, atque illęsa remanet certissima illa Iuris pręsumptio,
42 quod Princeps tamquam bonus Pater Reipublicę non Exteris, sed Subditis tantum consulere voluerit ejus Curę, & regimini commissis; quę sane ratio cum ex se plurimi facienda sit, longe etiam magis urgere
43 debet in pręsenti, ex quo aliàs Sacrum hoc Tribunal, cuius magna semper fuit inter Prudentes auctoritas, articulo mature discusso, & ponderatis verbis ejusdem Constitutionis in fortioribus etiam terminis respondere per eam non dubitavit, quod memorata Constitutio fa. me. Clementis VIII. nedum non Exteris, sed neque etiam iis Subditis suffragari possit, qui non sunt de statu immediato S. Sedis, ut latius habetur in decisione 340. p. 12. rec.

Et ita videntibus omnibus Dominis, & utraque Parte viriliter Iura sua deducente, resolutum fuit pro recessu à decisis.

BONONIEN. MANUTENTIONIS.

Veneris 12. Martii 1723.

A R G U M E N T U M.

Hęc est confirmatoria alterius sub die 15. Maii 1722. emanatæ.

Fructus, vel in dotem, vel pro dotis augumento assignati numquam loco proprietatis dotalis stare censentur, sed merus ususfructus assignatus intelligitur, adeout soluto matrimonio, Vir superstes fructus perceptos restituere non teneatur, imò jus eos exigendi penes Uxorem remanere dicatur.

Pater an gaudeat usufructu super bonis filii adventitiis, quæstio est in Iure valde gravis.

S U M M A R I U M.

1 *Dos super annuo fructatu constituta, & non in usufructu, quando dicatur,* ad terminos Textus in lege si convenerit 4. ff. de pact. dotal., & quando secus.

2 *Dos de jure præsumitur constituta non in ipsis fructibus, sed in usufructu, nisi de contrahentium voluntate aliter constiterit.*

3 *Amplia, ut eodem modo, quo assignantur, aut venduntur fructus, qui percipiuntur, aut percipi poterunt ex fundo, ex hoc ususfructus constitutus dicatur.*

4 *Dos constituta in fructibus bonorum, vel potius in usufructu non probatur, ex quo dotans dixerit* -- tutti li frutti, *quia persæpe homines fructum, & usumfructum promiscue accipiunt,* & num. 5.

5 *Dotis augumentum, sive supplementum bene potest esse constitutum in usufructu.*

6 *Ususfructus pro Dote assignatus soluto Matrimonio, remanet penes mulierem etiam pro secundis nuptiis.*

7 *Dos, quod fuerit constituta in usufructu, & non in ipsis fructibus optime deducitur ex hoc, quod dotans se retulerit ad testamentum Patrui, qui usumfructum pro dote legasset, & numero 9.*

8 *Ususfructus dicitur legatus, quando Testator Legatariis potestatem dedisset propria authoritate fructus percipiendi, aut vindicandi.*

10 *Referens, & relatum nequeunt diverso Jure censeri, & perinde habenda sunt, ac si unum alteri corporaliter inesset.*

11 *Dos*

11 *Dos quod fuerit constituta in usufructu, & non super fructibus bonorum deducitur, ex quo creditrix dotis quietantiam finalem exarasset, non tam de summa recepta, sed etiem de toto eo, quod eu dotis causa etiam ejus Auctrix petere potuisset.*

12 *Amplia, si hoc esset factum Matris à filio approbatissimum.*

13 *Hæres non potest impugnare usumfructum ab ejus auctrice favore Patris cum omnibus solemnitatibus relictum; præsertim post longissimi temporis lepsum.*

14 *Usufructus, licet Patri non queratur super bonis, quæ pleno Jure pertinent ad filium, attamen in dubio interpræratur, quod Pater illo gaudeat, quando filius contensum Patris pro eo libere fruendo requisiverit, & ab iste casu præcisive, est articulus valde dubius.*

15 *Hæres defuncti mentem, quem in suum auctorem recognoscat, adimplere tenetur.*

16 *Detractio pro credito illiquido, & turbido admittenda non est.*

DECISIO MCCCLXXII.

REdueentibus etiam hodie DD. difficultatem Causæ ad examen detractionum per Marchionissam Elisabeth oppositarum, placuit resolutio capta coram Me in illarum exclusionem sub die 15. Maii superioris Anni, atque ideo responsum fuit -- *Standum esse in decisis*.

Respectu enim primæ detractionis librarum 26874., quam sibi debeti asserebat Marchionissa pro restitutione fructuum constante Matrimonio à Philiberto fideicommittente perceptorum ex bonis Bononiæ positis, & obnoxiis fideicommisso Advocati Francisci Cultellii, DD. etiam hodiè transierunt cum sensu precedentis decisionis, quæ illam rejecit: Quamvis enim aliquam prima facie difficultatem ingereret, quod Iulia Sponsæ Mater, ex causa supplementi, & augumenti dotis, non usumfructum, sed fructus assignaverit ibi -- *Li dà, & assegna tutti li frutti, che durante la vita di essa Signora Cecilia, si caveranno dolli beni, che il medesimo Signor Francesco haveva, & ha lasciati in Bologna* -- Quodque insuper Philibertus vir unà simul cum Carolo Emanuele ejus fratre, tàm dotem, quàm augumentum prædictum conservare, & restituere promiserit, quippe quia inde videbatur applicari congrue posse dispositio *Text. in l. si convenerit* 4. *ff. de pact. dotal.*, quo loco post relatam sententiam Marcelli distinguentis inter casum, quod fundus, vel ususfructus à Muliere in dotem datus fuerit, ut Maritus fructus redderet, & alium, in quo Maritus convenisset de fructibus reddendis, hoc est, ut in dotem fructus essent quosquos percepisset, & fundus, vel ususfructus in hoc traditus fuisset, non ut fundus,
1 vel fructus fieret dotalis, sed ut fructus perciperet dotis futuros, Vlpianus, cui lex inscribitur, & concludit tandem in hæc verba -- *Ego utrobique arbitror interesse, qua contemplatione dos sit data, ut si ob hoc ei majorem dotem mulier dedit, quia fructus volebat esse dotis: Contento Marito ea pecunia, quæ ex usuris redditurum colligitur, possit dici conventionem valere.*

Re tamen ab intrinseco, & cum suis circumstantiis considerata, DD. censuerunt dispositionem d. legis omnino extraneam esse a casu præsenti; si enim inter se partes convenissent, ut fructus in dote essent, deque iis soluto Matrimonio reddendis; & quæreretur, an pactum jure subsisteret, tunc utique esset inspiciendum, an contemplatione majoris dotis Philibertus vir ità promisisset juxta responsum Vlpiani, quod bene ibi explicat *Gloss. verb distinguit.*, & constat ex ipso textu in illis verbis, *si convenerit, ut si fructus in dotem converterentur*, & infra *quod si convenisset de reddendis fructibus*:
2 Cum igitur in casu, de quo res est, minimè quæratur, an pactum hujusmodi valeat, sed tota dissensio sit, an inter Partes ita convenerit, ut fructus in dotem converterentur, & respectivè an Philibertus promiserit eosdem fructus soluto Matrimonio restituere; ad eam profecto dirimendam non est sumenda regula à d. *l. si convenerit*, in qua hujusmodi pactum supponitur, sed benè quidem ab alio *text. in l. dotis fructuum* 8. §. *Si ususfructus ff. de Jur. dot.*, ubi idem *Vlpian. refert*, *Celsum ff. lib.*10. respondisse -- *nisi appareat aliud actum, putare se jus ipsum in dotem esse non etiam fructus, qui percipiuntur* -- ex quo textu DD. communiter concludunt, quod nisi aliter constet de voluntate Contrahentium, præsumptio Iuris sit, quod dos non in ipsis fructi-
3 bus, sed in usufructu constituta censeatur, ut in fortioribus etiam terminis firmat *Parlador. rer. quotid. q.* 4. *nu.* 1., *Thæsaur. q. lib.*3 *qu.*41. *num.*, eodem modo, quo cum assignantur, aut venduntur fructus, qui percipiuntur, aut percipi poterunt ex fundo, videri per hoc constitutum usumfructum, tradit *Barthol. in l. contemferro* §. *Qui maximos ff. de Publican.*, *quem sequitur Menoch. lib.*4. *presumpt.* 136. *sub a.* 7.

Procedendo itaque cum Sententia Iurisconsulti in d. *l. dotis fructuum*, onus fuisset Marchionissæ concludenter ostendere, quod Iulia Sponsæ Mater non jus aliquod incorporale, sed ipsamet fructuum corpora in
4 dote esse voluerit: Sed ad hunc effectum nequaquam sufficiebat, quod assignatio concepta fuerit per verba superius transcripta: Nam quod Iulia fructuum nomine usa fuerit ibi -- *tutti li frutti* -- quæstioni quidem aditum aperit, sed illam minimè determinat, cum præsepe homines fructum, & usumfructum promiscuè accipiant, ut advertit *Cujacc.*, *Lagunca.*, *& alii, ve quibus*

bus in praecedenti decisione §. *Nec obstare*, quod autem eosdem fructus assignare professa fuerit pro augumento, & supplemento dotis, posset quidem alicui argumento esse ad sublimendam validitatem pacti,quarenus de eo aliunde constaret ad terminos d. *l. si convenerit*, sed pactum ipsum, quod fructus sint in dotem minimè probat, cum
5 augumentum, & supplementum eque bene
6 consistere possit in usufructu, qui soluto per mortem Viri matrimonio, integer remanet penes Mulierem etiam pro casu secundarum nuptiarum, ut probatur in *l. cum in fundo ff. de jur. dot.*, *& respondit precedens decisio* §. *Que cum ita*.

Ex opposito autem presumptionem hu-
7 iusmodi a lege inductam, quod potius,quam fructus jus ipsum, & ususfructus in dotem traditus censeatur in presenti casu valde augebat ea circumstantia, quod in dictis fructibus assignandis, toties memorata Iulia Sponse Mater expressam relationem habuit ad Testamentum Advocati Cultelli ibi-*con espressa dichiarazione, che in tutto, e per tutto vuole, & intende conformarsi alla dispositione, e volontà spiegata in essi (scilicet Testamento, & codicillis) dal medemo Signor Francesco* - Et rursus *nel modo, e forma, che si dispone nel prenominato Testamento &c., al quale in tutto, e per tutto si riferisce* - Inde enim sequitur,ut quemadmodum legatum fructuum ex causa augumenti dotis à Francisco Pattuo relictum in sensu juris perinde accipiendum est, ac si ususfructus legatus fuisset, juxta litteralem *Text. in l. Si quis ita* 24. *ff. de usufruct.*, & *in l. cum ita* 4. *ff. de usufruct. legat.*, dum
8 maxime defunctus potestatem fecit ejus Nepribus Legatariis, eosdem fructus propria auctoritate sumendi, & vindicandi, ut post *Bartol.*, *Fabr.*, *Donell.*, & alios plures concordantes ponderat decisio cause
9 §. *Nec obstare*, & §. *Rursus*, ita consequenter assignatio eorundem fructuum facta relative, & in executionem d. Legati, non aliter accipi potest, quam pro assignatione veri, & formalis ususfructus, cum relatio hoc modo amplissime concepta,
10 hunc potissime effectum operetur, ut referens, & relatum diverso jure censeri nequeant, sed perinde habeantur, ac si unum alteri corporaliter inesset, ut saepe aliàs respondit *Rot.*, & *signanter in Forolivien. fideicommissi Antoniae de Corbicis 2 Martii superioris anni* §. *Per hoc*, & *per totam cor Me*.

Ad hec accedit, quod, & Maria Plau-
11 tilla aliàs nuncupata Maria Cecilia filia, & heres alterius Marie Cecilie, de cujus dote sermo est, & subinde Marchio Constantius d. Marie Plautille filius plane agnovisse videbantur, quod jus, & ususfructus, non verò fructus ipsi in dote fuissent: Ilia quidem, quia in actu, quo nupsit Equiti Philippo de Bentivolis accepit retrocessionem cujusdam crediti dotalis libr. 8000., & in reliquis Philibertum Patrem, servatis omnibus solemnitatibus, amplissime quietavit, & liberavit, non de summa solum tunc recepta, sed expressè, & nominatim ab omni, & toto eo, quod ex causa maternarum dotium petere, & consequi posset, & cohaerenter ad hanc liberationem non solum postea in Inventario hereditatis Paternae de hujusmodi eredito nullibi meminit, sed imo per separatum Instrumentum sese constituit illius debitricem pro reintegratione
12 bonorum ab ea distractorum: Marchio autem Constantius, quia omnia per Matrem gesta in aliis Inventariis per ipsum subinde confectia rata habuit, & approbavit; ab hac enim observantia, & interpretatione haeredum certum, validumque oritur argumentum, quod ita ab initio inter Partes revera actum fuerit, ex *regul. Text. in capit. cum dilectus de consuet.*, *de quo Rota dec.95. n.19.*, *cor. Beninc.*, & passim alibi.

Et per haec expediti DD. à prima detra-
13 ctione, quod attinet ad aliam consistentem in fructibus fideicommissi Cultelli exacta ab eodem Philiberto post obitum Uxoris, usquequo & ipse fato cessit, hodie quoque abstrahendo à quaestione illa, caeteroquin in Jure valde gravi, & ancipiti, utrum Patri prohibitus censeatur legalis ususfructus cum bona filio aliunde obveniunt, sed cum onere, & conditione assumendi nomen, & insignia defuncti, controversiam omnem ex facto decidendam censuerunt; Cum enim Maria Plautilla filia ad d. fideicommissum sub tali conditione vocata in actu, quo sibi Pater dotem constituit, & quaedam ex dd. bonis fideicommissariis eo nomine assignavit, expressè consenserit, quod reliqua bona penes Patrem remanerent cum jure ususfructus, quoad ipse viveret, licere amplius non videtur Marchionissae illius haeredi impugnando consensum per ejus Auctricem solemniter, & sub auctoritate Judicis praestitum dd. fructus ab haereditate Philiberti post tanti temporis lapsum hodiè repetere, cum ex regula *Text. in leg. cum à Matre Cod. de rei vindic.* nemini liceat contra
14 factum proprii Auctoris insurgere, & in re caeteroquin dubia consensus Partis id saltem in subiecto casu operetur,ut Judex juxta illum pro competentia legalis ususfructus pronunciare debeat ad ea,quae tradunt *Caccialup. in l. Frater à Fratre n.* 8. *in fin. ff. de condit. indebit.*, *Surd. consil.* 259. *nu.*17., *Merlin. Pignatell. controv.*29. *n.*24. *centur. centur.* 1., *Rocc. disputat. Jur. cap.* 136. *n.*32.

15 Quoad melioramenta, in quibus consistebat tertia detractio, obstare denuo visum fuit praeceptum Testatoris, de quo in praecedenti decisione §. *Simili modo*, cui parendum ab haerede esse, nemo est, qui ambigat, & disponit *Text. in l. si quid Possessor* §. *Sic autem*, & *l. sed etsi* §. *Consuluit*
16 *ff. de petit. haeredit.*. Et denique quoad creditum libr. 7000. haereditarium Margheritae

ritæ Sementis, ficuti negari non poterat, quod facta contrapositione cum debitis per d. Mariam Plautillam, & Constantium ejus filium favore fideicommissi contractis, nec non cum mobilibus, jocalibus, & argentis ad ejusdem Constantii manus perventis redditum fuerit turbidum, et illiquidum, ita nulla pro eo admittenda erat detractio, ut pluribus adductis concordantibus dictum fuit in decisione Causæ §. *Quod vero*.

Et ita utraque &c.

BONONIEN. MANUTENTIONIS SUPER RESERVATIS.

Veneris 12. Martii 1723.

ARGUMENTUM.

Dotandi onus ficuti ad Patrem spectat, ob id, nisi iste de bonis paternis, & maternis se filiam dotasse expresserit, de proprio tantum dotem constituisse intelligitur, imo neque ei ex post licitum est declarare, se de paternis, & maternis bonis dotare intellexisse.

In legitimam neque potest bona aliunde filiis obtenta imputare, imo neque bona de Matre proficiscentia.

SUMMARIUM.

1 *Pater se declarans debitorem dotis in testamento usque ad certam summam, perinde est, ac si in ista per publicum Instrumentum illam filiæ promisisset*; amplia, ut in n. 3.

2 *Declarationis vis, & natura est actum dubiam declarare, quoties non urgeat contraria presumptio.*

3 *Amplia, quando declaratio nil aliud explicat, nisi id, quod ab initio de jure inerat.*

4 *Pater non exprimens de quibus bonis dotem constituat filię, semper censetur de proprio illam constituere*; amplia, ut in num. 7.

5 *Imo ei non licet ex intervallo declarare se ea mente dotem constituisse, ut in ea, bona etiam materna includerentur.*

6 *Declaratio Patris emissa in testamento, quod filiam dotaverit in certa summa, erronea non debet præsupponi, scilicet quod dotare etiam de bonis maternis intellexerit; si de istis in constitutione non fuisset loquutus*: & nn. 7. & 8.

8 *Declaratio etsi concepta per verba enunciativa, vera tamen, & non erronea presumenda est, quando nititur declarationi precedenter in instrumento emissę.*

9 *Enunciativæ pro dispositivis habentur in ore Patris favore dotis, & filiorum* amplia, ut in n. 10.

11 *Enunciativæ non possunt dici verba determinate prolata ab eo, cui libera sit potestas de sua re disponendi.*

12 *In legittima non possunt à Patre imputari filiis bona extra ejus substantiam istis quæsita, vel loco legittimæ.*

13 *Dos loco legittimæ succedens non ex bonis à Matre in filiam obveatis, sed ex Patris substantia solvi debet.*

14 *Veritas facti attendenda est, & sub obtentu probabilis erroris non est ab ea deflectendum.*

15 *Error in facto proprio non præsumitur.*

16 *Amplia, respectu viri de suis rebus satis accurato, & sagaci.*

17 *Observantia non est allegabilis adversus declarationem in actu serio emissam.*

18 *Remissio jurium dotalium ex mera observantia non deducitur*, & n. 18.

19 *Remissio prædicta numquam censetur facta, nisi claris, & dissertis verbis sit expressa.*

DECISIO MCCCLXXIII.

INter detractiones, quas Marchionissa Elisabeth. opponebat in Audientia diei 15. Mali superioris anni adversus hæredem Philiberti de Vizzanis, fuit etiam illa libr. 20. mil., quam sibi deberi asserebat, ex quo licèt idem Philibertus constituisset dotem Mariæ Cæciliæ de bonis propriis in lib. 40. mil., nihilominus eadem Cecilia nihil ultra habuerat hoc nomine de bonis paternis, quam libr. 20. m., sed quia tunc, ob scissuram suffragiorum, nulla super hac partita capi potuit resolutio, opportuit hodie iterum Dominos super illa consulere sub originali dubio — *An & de cujus bono jure constet ad effectum manutentionis*; & responsum fuit, *Constare de bono iure Marchionissę Elisabeth, etiam ad effectum manutentionis.*

Ut autem facilior fieret resolutioni aditus, illud in primis DD. statuendum in facto censuerunt, quod nempe, attentis simpliciter verbis instrumenti dotalis, nil aliud ex eo constat, nisi quod Pater dotem Marchionissæ Cecilię ejus filiæ constituit in summa 40. mil., ex quibus rata libr 23. mil. soluta tunc fuit in eodem actu, partim in pecuniis, & partim in bonis, reliquæ verò lib. 17. mil. promissæ fuerunt post obitum ipsius dotantis, nulla cęteroquin facta expressione, quod dos constituebatur, potius ex bonis maternis, quàm paternis.

1 Hoc posito bonum jus Marchionissæ super hac partita clarè, & perspicuè resultare visum fuit ab eodem instrumento dotali, juncto simul subsequenti testamento, cum quo idem Philibertus decessit. Cum enim ipse expressis, dissertisque verbis in hoc declaraverit, se pro dote Marchionissę Ceciliæ promisisse, & assignasse ultra bona materna libras 40. mil. de propriis ejus bonis, & pecuniis, quas propterea voluit, ut subrogatæ censerentur loco legitimę eidem filiæ de jure debitæ. Nemo statim non videt, quod si ipsa dotis nomine ex paterna substantia non recepit, nisi libr. 20. mil., adhuc re-

ma-

manet Creditrix pro complemento dotis sibi
à Patre constitutæ in aliis lib. 20. mil. ab hæ-
reditate paterna detrahendis, cum declara-
tio illa per Philibertum in testamento emis-
sa eundem effectum operari debeat, ac si in
Instrumento dotali fuisset ad litteram ex-
pressum, quod integra dos lib. 40. mil. con-
stituebatur de bonis ejusdem Patris dotan-
tis, *l. hæredes palam §. 1. ff. de Testam.*, *Rot.
cor. Burat. dec. 775. nu 1.*, & *cor. Royas dec.
125 n. 1.*, & *seqq.*, & *cor. Bich. dec 99. n. 10.*,
& *seq.*, & *cor. Beninc. dec. 260. n. 1.*

2 Si enim ita est de natura cujuscumque de-
clarationis, quoties actus, super quo cadit, est
in se dubius, & subobscurus, nullaque urget
3 in contrarium juris præsumptio, multò sane
magis hunc effectum præstare debet in præ-
senti, in quo per dictam declarationem nihil
aliud in substantia expressum fuit, nisi quod
jam prius, & ab initio tacite de jure inerat:
4 dum quoties, ut in casu, Pater non expresse-
rit ex cujus bonis dotem filiæ constituerit,
semper censetur, & præsumitur de proprio
illam constituisse, sicuti ad litteram cavetur
in *l fin. C. de dotis promiss.*, quam reassumit
*Jas. in l. 1. num. 24. ff. solut. matr. Amat. re-
sol. 23. n. 10 lib. 1*, aliisque pluribus adductis,
*Rota in Perusina immissionis 25. Junii 1714.
§. Minores cor. bo. mem. Ansaldo*, & *7. Junii
1715. §. Quandoquidem*, & *per tot. cor. Me.*,
5 itaut nec Patri liceat ex intervallo declarare
se ea mente dotem constituisse, ut in ea
etiam bona materna includerentur, juxta ce-
lebre *Cons. Angel. de Vbald dec. 202 per tot.*,
& præsertim *num. 2.*, quem post alios sequi-
tur *Surd cons. 192. n. 24. & 30.*, *Bellon. de his
quæ fiunt in cont. lib. 1. cap. 16 n. 6.*, & *seqq. bo.
mem. Ansald. de com. & merc. disc. 50. n. 11.*

6 Quæ cum ita sint, irrito prorsus labore
suadere conabantur Defensores Marchionis
Bartholomæi, quod dicta declaratio fuerit
per errorem à Philiberto emissa, quodque
insuper tanquam concepta per verba simpli-
citer enunciativa, & suppositiva, apta mi-
nime sit ullam obligationem producere, nisi
aliunde constet de veritate suppositi, &
enunciati; prompta enim, & facilis orieba-
tur ex præmissis ad utramque objectionis
partem responsio. Tunc namque ad summum
de errore queri posset, quando in instru-
mento dotali Philibertus Pater fuisset pro-
testatus se dotem filiæ constituere in lib. 40.
mil., partim de proprio, & partim de bonis
maternis, quamvis, & hoc quoque casu,
præsumendum nihilominus esset, quod de
paternis tantum dotare voluerit, declaran-
do *Tex. in secunda parte d. leg. fin ff. de dot.*,
prout quam bene declarat *Barbos. in leg. 1.
p. 4. n. 154.*, & *seqq. ff solut. Matr. Mart. Me-
dic. dec. sen. 57 n. 5.*, & *seqq.*, *Rot. in d. Peru-
7 sina Immissionis cor. Me 1* sed cum in dicto
instrumento nihil de hoc Pater expresserit,
tantum abest, ut subsequens declaratio dici
possit emissa per errorem, ut potius per eam
clarius explicata videatur veritas actus, quæ
prius sub juris præsumptione latebat, sed
tamen eidem actui realiter inerat, ad ea, quæ
tradit *gloss. in leg. si Tutor. C. de probat.*,
Surd. dec. 270. n. 80., *Mart. Medic. dec. 86.
n. 35.*

Atque hinc minimè refert, quod decla-
8 ratio concepta fuerit per Verba merè enun-
ciativa, & suppositiva. Nam obligatio sol-
vendi lib. 40. mil de proprio non radicatur in
declaratione, sed bene quidem in ipso in-
strumento dotali, ità à Jure, & ab Homine
declarato *Rot. cor. Duran. dec. 98. n. 10.*, *&
cor. bon. mem. Benic. dec. 260*, *& 306. n. 1.*
9 Et nihilominus, quatenus opus est, benè
etiam posset actio ex d. declaratione desumi,
tum quia speciale est favore dotis, ac Filio-
rum, & Verba enunciativa, & suppositiva
pro dispositivis habeantur, *l. unum ex Fami-
lia 69. §. fin. ff. de leg 3.*, *Rot. dec. 159. n.
11.*, & *12. par. 15.*

Tum & certius, quia Philibertus in ejus
10 Testamento non solum declaraverit sese
pro dotæ Filiæ promisisse, & assignasse de
proprio lib. 40. m., sed etiã ulterius progre-
diendo, præcepit, & mandavit quod Filia
eam summam acceptã ferre deberet loco le-
gitimæ eidem de jure debitæ, ibi -- *Dichia-
rando, che il detto usufrutto sia, e s' intenda
surrogato insieme con lire 40. mil. di mio pro-
prio promessegli, & assegnateli per dote, ol-
tre li dilei beni materni in luogo di legiti-
ma*. Imo vero, quatenus Filia dispositioni
ejusmodi non acquievisset, relicta illi eo
casu sola legitima, voluit, & mandavit, ut
in ea dictam summam imputaret ibi -- *Quan-
do non volesse quietarsi &c. allora intendo,
che abbia la sola legitima, e che in quella
computi le lire 40. mil. promesseli, e dateli in
11 parte*. In hisce enim facti circumstantiis,
ut cumque dd. Verba videantur enunciativa,
& suppositiva, pernecesse tamen inducere
debent veram, & absolutam dispositionem,
& quia serio, & determinate prolata sunt
ab habente potestatem in ipso actu dispo-
nendi de bonis suis, *leg. cum proponebatur
66. ff. de leg. 2.*, *ubi glos.*, *& scribentes*,
Rot. cor. Emer. dec. 116. nu. 6., *& dec. 565.
12 n. 30.*, & quia aliter dispositum, nempe
subrogatio, & impetratio in legitimam
subsistere nequit, nisi verificato supposito,
nempè solutione, lib. 40. mil. de bonis propriis
disponentis, *Surd. Cons. 402. num. 26.*, *&
seqq. Adden. ad Ludovis dec. 208. nu. 5.*,
Rot. dec. 316. n. 5. par 2. divers., cum bona
Filiæ aliunde quæsita extra substantiam Pa-
ternam, nec loco legitimæ subrogari, nec
in legitimam imputari possint, *l. Scimus §.
repletionem C. de inoff. Testam. §. 1 Auth.
de triente, & semiss.* Unde quod dos sol-
vi debeat ex bonis paternis, quando cede-
re debet loco legitimæ, vel in eam impu-
tari, in puncto firmat *Rot. cor. Emer. dec. 916
sub n. 12.*, *& melius dec 965. n. 13.*

Super iis, quæ dicebantur circa opinio-
nem, qua Philbertus duci potuit ad cre-
dendum, quod bona in Instrumento dotali
Filiæ assignata essent propria, & non ma-

terna, Domini parum immorandum censuerunt, quia ut supra mox firmatum fuit,
13 dos, quę legitimæ loco subrogari debet, quidquid Pater opinatus fuerit, non ex benis à Matre in Filia obventis, sed ex substantia Patris solvi debet, ut in specie de bonis Maternis, in quibus Pater vivens habuit usumfructum, advertit *Mangil. de imputa- quęst.* 11 *n.* 27., *& seqq.*, Præterea ex ipsa declaratione in testamento emissa ad litteram constat Philibertum habuisse pro Maternis, quæ revera materna erant, & nihilominus voluisse Filiæ de proprio dotem constituere in d. summa lib. 40. mil. ibi *lire 40. mil. di mio proprio promessali, oltre li di lei*
14 *beni Materni*, ex quibus Verbis, cum aperte resultet aliter Patrem bona propria, & aliter Materna in Filiam obventa considerasse, non est à facti veritate temerè deflectendum sub obtentu probabilis erroris,
15 qui cetero quin nunquam in facto proprio
16 præsumitur, & maxime cum agitur de Viro satis in suis rebus accurato, & sagaci; *Rot. Cor. Buratt. dec.* 419. *n.* 1., & *cor Bich. dec.* 41. *n.* 26., *& in rec. dec.* 128. *n.* 13. *par.* 6. *& sępè alibi*.

Prout etiam neque immorandum fuit super observantia in contrarium deducta, vel à quietantia dotis exposita ab Equite Philippo de Bentivolis Mariæ Cæciliæ Viro, vel ex quo tam ipsa Maria Cecilia, quam Marchio Constantius ejus Filius; nedum hoc creditum residui dotis in Inventario hæredis Philiberti describere omiserunt, verum prætereà sese constituerunt illius debitores pro reintegratione bonorum per eos distractorum. Omissis enim aliis responsionibus, quæ dabantur unicuique ex dictis actibus; illa sufficere visa fuit, quod quæ-
17 cunque sit hujusmodi observantia, nunquam prævalere poterit declarationi ab ipso Philiberto tam serio emissæ, & multo
18 minus inducere respectu Mariæ Cecilię remissionem medietatis dotis, dum eo ipso, quod illa ex præcepto, & voluntate Patris legitimæ naturam assumpsit, assumpsit quoque inter cætera privilegia etiam illud,
19 quod nunquam remissa, aut renunciata censeatur, nisi claris, & disertis Verbis, ita expressum fuerit, *Peregr. de Fideicom. art.* 36. *n.* 83., *Merlin. de legit. lib.* 30. *tit.* 2. *cap.* 19. *n.* 30., *Rot. cor. Cerr. dec.* 8. *n.* 10., *&* 16., *& cor. Beninc. dec.* 120. *n.* 5. *& sæpè alibi*.

Et ità utraque &c.

ROMANA DOMORUM.

Lunæ 15. *Martii* 1723.

ARGUMENTUM.

Deliberatio sub conditione resolutiva consumpta, sequuta resolutione, pro non facta habenda est.

Immissius in Salviano non ex sola fundi possessione capta satisfactus dici potest, sed ipsum fructus actualiter exegisse, & in quantitate suum creditum æquante est probandum.

SUMMARIUM.

1 *Immissio in Salviano, tribus verificatis extremis, denegari non potest*, & n. 2.

3 *Evictionis actio, evicta re, statim oritur pro relevatione promissa adversus de ea obligatum.*

4 *Amplia, ut eam passo competat etiam actio pro damnis, quasi re vendita liberè non tradita.*

5 *Deliberatio sub conditione resolutiva, quatenus creditores non caverent sibi de evictione, & clausula* de restituendo prioribus &c. *sequta resolutione ob non adimpletum pactum, justum titulum pro retinenda re non parit favore deliberatarii.*

6 *Salvianista, vel satisfactus præsumendus est, vel quod creditum suum ita illiquidum effecerit ex perceptione fructuum, taliter ut super altero fundo nequeat actionem suam intentare.*

7 *Agens ex juribus alterius jam resolutis, ab actione repellitur.*

8 *Immissio ex interdicto Salviani temporaliter dumtaxat conceditur, scilicet, ut Creditor bona detineat, donec sit satisfactus, sequtaque satisfactione, statim bona tenetur restituere.*

9 *Immissus non potest ab immissionem passo, ejusque satisfactionem allegant repelli, nisi prius concludenter de hac edocuerit.*

10 *Limita in casu, quo immissus variando, contra alia bona debitoris se verteret, quia in isto teneretur ipse solutionis negativam probare.*

11 *Satisfactio Creditoris non concluditur ex immissione obtenta, sivè possessione capta in salviano, imo ex retentione causam immissionis durare præsumitur.*

12 *Amplia, & si per multos annos creditor possessionem retinuerit.*

13 *Perceptio fructuum ex actuali, & reali exactione probanda est, ad effectum liquidandi exactum à creditore immisso, eumque repellendi.*

14 *Notula jurata petenda est adversus Creditorem immissum, ad effectum liquidandi quot quot fructus iste perceperit.*

DECISIO MCCCLXXIV.

POstquam Hieronymus, & Joannes Baptista Fratres de Ceccarellis obtinuerant ab A. C. in judicio Salviani sententiam immissionis ad decem ex duodecim partibus duarum Domorum positarum in via *di Monte d' Oro*, tunc possessarum à Petro Dominico Vegertio, & subindè quoque actualem illarum possessionem nacti fuerant, eo quod sen-

sententia propter lapsum fatalium in rem judicatam transierat, insurrexit anno 1666. Seraphinus Cagnaronus, & hæreditario nomine dicti Vegertii, obtenta commissione restitutionis in integrum, litem in hoc Sac. Tribunali instauravit, sed quamvis prima vice *cor. cl. mem. Card. Cerro* juxta ejus votum, causa resoluta fuisset, ut ex decisione inter ejus impressas *in* 870., subindè tamen semper succubuit, nedum coram eodem *Card. Cerro, ut ex ejus decis. 925.*, & coram bo. me. Rondinino in ejus locum subrogato, *ut ex ejus decis. 53. par. 17. recen.*; Verum etiam in gradu ulterioris appellationis cor. clar. mem. Cardinali Priolo Seniore *ut ex decis. inter ejus impressas in* 466.

In hoc itaque statu desperans Cagnaronus quidquam obtinere, litem ulterius promovere destitit; Sed non ideò Ceccarelli Victoriæ fructu undequaque lætari potuerunt; Nam circa annum 1678. Societas S. Juliani ex causa crediti anterioris immissionem pariter in Salviano ad easdem Domos reportavit, & in earum possessione per plures annos permansit, donec Joannes Hieronymus Collateralis prosequendo judicium denuò instauratum à Canonico Adriano Collaterali hærede memorati Cagnaroni, de anno 1714. obtinuit ab A. C. sibi manutentionem decerni, unà cum sententia, non solum declarante, dictam Societatem esse integrè satisfactam, sed etiam Ceccarellis nullum jus, nullamque actionem competere pro impedienda manutentione favore Collateralis decreta.

Adversùs hoc judicatum utentes Ceccarelli jure suo juxtà rescriptum Signaturę, appellarunt ad Rotę Auditorium, & una simul reassumpta lite jam diù pendente, curarunt in hodierna Audientia per Me proponi dubium -- *An sit standum vel recedendum à decisis coram Priolo Seniore*, & DD. responderunt standum esse *in decisis*.

1 Quandoquidem reassumpto ad tramites propositi dubii statu antiquæ controversiæ super immissione in vim virilis Salviani decreta in Sac. Tribunali favore illorum de Ceccarellis pro emendatione damnorum passorum super Domo eorum Actori vendita per Clementiam Cordubani, fundamenta postremæ Decisionis coram Priolo Seniore, undequaque subsistentia comperta sunt ex concursu trium requisitorum, crediti nempè, cum hypotheca, una cum possessione, tam antiqua respectu dictæ Clementiæ, quam recentiori respectu Vegertii tunc possessoris, quibus stantibus, remedium Salviani non denegatur, ad tradita per *Bartol. in l. prima num. 3. ff. de Salv. interd. Roland. cons. 14. num. 3. lib. 1. Rot. cor. Mantic. dec. 69. num. 2. in rec. decis. 124. num. 1. par. 18. & in Tarentina Salviani* 28. *Novembris* 1707. *§ enim vero cor. bo. me. Molines.*

2 Et sanè dubitari non potuit de concursu dictorum extremorum, quia respectu utriusque memoratæ possessionis hæc inter Partes non fuit in quæstionem revocata, nec in antiqua, nec in hodierna Causæ discussione; Creditum verò cum hypotheca perspicuè apparuit resultare ex Instrumento venditionis Domus per dictam Clementiam factæ de anno 1601., cum hypothecaria promissione, quod domus vendita esset libera ab

3 omni onere; Undè cum expost reperta fuerit gravata censu, cujus vigore Ceccarelli solvere coacti sunt Sachettis Creditoribus, & eorum Cessionariis summam scutor. 1200., commissa remansit stipulatio pro relevatione, itaût jure merito concessa detegatur immissio super aliis portionibus Domorum, quas dicta venditrix olim possidebat obnoxias dictæ relevationi per *Tex. in l. non dubitatur, & l. si cum quæstio Cod. de evict. l. evicta ff. eadem l. emptorem §. Idem Neratius ff. de act. empt. Rota cor. Merlin. decis. 487. sub num. 1. versic. creditum in rec. decis. 404. num. 2. & 3. par. 9., cum aliis in Melevitana Evictionis* 14. *Junii* 1717. *§. Validitas coram R. P. D. Gamaches*, & quidem

4 pro omnibus damnis, & interesse passis, pro quibus etiam ex primæva ratione agi potuit quasi re vendita, liberè non tradita *Gratian. discept. 950. n. 20. Rota coram Seraphino dec. 935. num. 1., & cor. Merlin. d. decis. 487. num. 9.*

Absque eo quod Joannes Hieronymus de Collateralibus mediatus hæres Cagnaroni ad substinendam manutentionem ab A. C. nuper reportatam allegare valeat retentionem ex juribus Puteobonelli, cujus favore dicta Domus vendita, subhastata, ac deliberata fuerat.

Quidquid enim sit de validitate dicti Judicati A. C. in contumaciam dictis de Ceccarellis editi, non obstante pendentia litis in Rota; certè cum in præsenti unicè aga-

5 tur de subsistentia, ac validitate Immissionis in dicto antiquiori judicio decretę favore eorundem de Ceccarellis, allegata retentio facilè corruit, quia ut denuò recog[nitum] fuit, dicta deliberatio expleta favore Puteobonelli facta extitit sub explicita conditione resolutiva, quatenus nempè Creditores satisfaciendi caverent de evictione, & de restituendo aliis Creditoribus anterioribus Proindeque cum dicta cautio præstita minimè fuerit, imò pretium deliberatario fuerit restitutum per Valternam Procuratorem hæredum Fernandez, ad cujus instantiam eadem deliberatio expleta fuerat, in his terminis actus deliberationis omni jure censeri debet resolutus, ac si factus nunquam extitisset, ut probant authoritates plenè relatę in dictis decisionibus hujus Causæ, ut videre est *cor. Cerro dict. decis. 925. nu. 1. in rec decis. 53. n. 5. & seq. par. 17. & in postrema cor. Priolo decis. 466. n. 2. & seq.*

6 Minusque dicta Collaterali opitulari potuit exceptio, quod Ceccarelli in vim antiqui judicii, ac reportatæ Immissionis in Salviano adepti fuissent possessionem Domorum ab anno 1658. & in ista permanserit,

usque

usque quo semel, atque iterum spoliari ex-
titerunt à Societate Sancti Juliani; Unde
per spatium tanti temporis jam retinuerunt
controversas Domos, eorum creditum vel
dici debeat penitùs extinctum, vel saltem
remanserit turbidum, ac illiquidum, ex tra-
ditis per *Rotam apud Oleam de cess. jur.
decis.27. num.3. in Terracinen. Pecuniaria
9. Junii* 1704. *§. de hujusmodi & seq. coram
bon. mem. Caffarello, cum aliis in Romana
Salviani 27. Junii* 1708. *§. Atque hæc cor.
bo. me. Ansaldo*.

7 Ultra quod enim Collateralis, tanquam
agens ex juribus Puteobonelli resolutis, &
aliis rejectis, omninò deficit in probatione
proprii juris, sub quo niti possit ejus petitio,
quod regulariter sufficit pro rejectione, ad
*Text. in l. res alienas Cod. de rei vind. Rot.
in rec. decis* 167. *num* 50. *par*.14. *decis.* 466.
num.18. *par*.19. *cor. Emerix Jun. decis.* 24.
8 *nu*.6., objectum cessat, quia licet immissio,
ex interdicto Salviani temporaliter dumta-
xat concedatur, ad effectum scilicèt, ut
Creditor bona detineat, donec sit ex fru-
ctibus satisfactus, sequutaque satisfactione,
statim teneatur bona restituere, *Ridolphin.
in prax. par.*2. *cap*.6. *nu*.97. *Bonden. collect.
legal.par.* 1. *collect*.37. *num*.21. *& seq. Rot.
coram Gregorio decis*.254. *num*.1. nihilomi-
nus explorati juris est, quod passus immis-
9 sionem, vel alius, qui allegat Creditoris im-
missi jam sequutam satisfactionem ex fructi-
bus ad effectum illum repellendi, tenetur
illam plenè, & concludenter justificare, nec
aliter potest ipsum Creditorem molestare,
ut probat *Merlin. de pignor lib*.5. *quæst* 77.
num. 45. *Constantin. ad Stat. Urb adnot.*
58. *nu*.17. *Postb. resol*.4. *num*.10. *& de ma-
nuten. obs*.12. *sub nu*.15. *Rot. apud eundem
decis*.519. *num*.4. *in rec. dec* 38. *n*.1. *par*.18.
10 Quidquid esset si Creditor immissus varian-
do ageret pro satisfactione contra alia bona
debitoris, in quibus terminis procedunt
contrariæ auctoritates, ut distinguendo fir-
mat *Merlin.de pignor. lib*.5. *dict. quæst*. 77.
sub num.45.*vers.est tamen casus, Rota apud
Constantin. ad Statut. Urbis decis.* 185.*sub
nu*.2., *& in rec. dec*.451. *n*. 12. *par*.13.

11 Hæc autem probatio non resultat ex sim-
plici immissione in Salviano, sive ex posses-
sione successivè adepta per Ceccarellos;
Cum enim immissio, ac possessio de se mini-
mè concludant necessariam exactionem,
sive perceptionem fructuum, utique non
docto aliundè, quod ipsi Ceccarelli perce-
perint fructus, & in ea quantitate, quæ ab-
sorbeat eorum creditum, absque dubio du-
rare censenda est primæva causa immissio-
nis ex qua super effectibus suæ debitricis
valent insistere, ut in puncto probat *Rota in
rec. decis*.53. *n*.3. *&* 4. *par*. 14., etiamsi per
12 multos annos illos retinuerint, quia non li-
quidata quantitate fructuum perceptorum,
creditum adhuc præsumitur vigere, non
obstante longæva possessione rei, super qua
Creditor obtinuit immissionem, ut benè tra-
dit *Bonden. collect.legal. par.pr. collect.* 34.
num 25. *Castald. consult*.276. *num*.5., *Tho-
mat.decis*.53. *num*.11., *Rota coram Merlin.
decis*.414. *num*.14.

13 Quod certiùs procedit in Domibus, de
quibus agitur, cum namque Prædia Urbana
de sui natura non sint fructifera, sed tantum
per accidens, quatenus locentur, utique non
docto, quod ex illis fuerunt per Ceccarelios
realiter, & cum effectu exactæ pensiones,
itaut liquidati remaneant fructus ex obten-
ta immissione percepti, ad effectum illos re-
pellendi, vana redditur prætensio sequtæ sa-
tisfactionis, vel crediti turbiditatis, ut in
proposito advertit *Rot. in rec. dict. dec*. 53.
n.4. *par*.14., & conferunt tradita per *Card.
de Luca de credit. disc*. 133. *num*.3. *Bonden.
collect*.37. *num*.31., *Cyriac.controv* 160.*nu*.
17. *& sub num*. 56.; Atque hinc efficaciam
14 hujusmodi exceptionis omninò reservan-
dam Domini censuerunt in suo congruo,
& particulari judicio per Joannem Hiero-
nymum introducendo, mediante petitione
notulæ juratæ, juxta salubre remedium ho-
die in praxi admissum pro explenda liqui-
datione fructuum per Creditorem immis-
sum perceptorum, ut notant *Bonden. dicta
collect*.37. *num*.26. *Thomat. dicta decis.* 53.
n.14. *& seq. bon.mem. Ansaldo in addit. ad
decis*.97. *num*. 11. *Rota in Romana Censur*
5. *Maii* 1710. *§. Potissimum cor. R. P. D.
Falconerio, & in Romana Spolii* 19. *Fe-
bruarii* 1712. *§. Adeoùt coram dicto bo. me.
Ansaldo*.

Et ita utraque &c.

PARMEN. SUCCESSIONIS.

Veneris 9. Aprilis 1723.

ARGUMENTUM.

Duo in præsenti decisione dubia resolvuntur:
an, scilicet ad hæreditatem Amitæ, quæ
ab intestato decesserit, ejus neptis, vel po-
tius fratres consanguinei utrinque coniun-
cti, aut ex altero parente tantum veniant
admittendi; & affirmativè, vigore Statuti
agnationis contemplativi, istorum favore
semperque neptibus, sororibus, aliisque
fœminis exclusis, resolvitur; imò istis ne-
que vinculi duplicitate, si erga defunctum
ea ligarentur, in eorundem fratruum exclu-
sionem suffragantur.

Alterum verò dubium in hoc versatur; an
idem Parmæ Statutum à Pontificibus ap-
probatum, Ducem, ejusque familiam liget,
& pariter affirmativè resolvitur, præsertim
activè favore ejusdem, sicque in casu, quo
ejus Persona, uti privata, fuisset considera-
ta, cum illud personas non tantum attendat,
sed bona, ad quæ actio successionis di-
rigatur: An verò passivè, & quomodo idem
Dux Statuto ligari possit, hic latè disseritur,
& affirmativè etiam resolvitur, ex ea præ-
cipua

eipua ratione, quod Parmę, & Placentiæ Status fuit, & est de directo S. Sedis Apostolicæ dominio, ejusque Statutum, instante Populo, fuit ab ista approbatum, & confirmatum, Serenissimaque Farnesiorum familia de eo ab eadem investita; Nihilque demum Principis dignitati deperit, quod ejus familia patrio affi:iatur Statuto; & reliqua in præsenti decisione contenta, distinctè refert sequens.

SUMMARIUM.

1 *Neptis ex fratre atrinque conjuncto succedit in hæreditate Amitæ ad exclusionem fratruum consanguineorum illius;* Limità juxta Statutum Parmæ, ut in n.5.

2 *Statutum locale attendendum est in materia successionum, non verò jus commune, ubi aliter istud, & aliter illud successiones deferat,* & vide rationem ut in n.3.

3 *Statutum dicitur jus proprium illius Civitatis, ubi viget.*

4 *Fratres utrinque coniuncti, & imò etiam illi ex oltero parente tantum succedunt alicui ab intestato decedenti, istius sororibus, aliisque fæminis semper exclusis.*

6 *Statutum ut bene interprætetur, satis non est, quod una tantum examinetur particula, sed universus illius contextus, tum in antecedenti, cum consequenti ponderandus est.*

7 *Exclusio fæminarum volita per Statutum propter masculos, semper præsumere facit, quod Statuentes ad solam agnationem respexerint;* & nn. 8. 17. & 18.

9 *Agnatio contemplata dicitur a Statuto Parmæ respectu descendentium; & quid ibi istud disponat,* vide in nn. 10. & 11.

10 *Filię neptes, vel pronceptes tam dotatæ, sicuti, & illę, quas masculi sint dotare parati, iis extantibus, ita ab hæreditate defuncti arcentur, ut nullum amplius ad bona Paterna, Avita, vel Proavita possint habere regressum.*

11 *Amplia, ut si dictæ fæminæ decesserint, antequam dotentur, vel nubant, masculi in earum dote, omnibus aliis exclusis succedant.*

12 *Masculi, quando agitur de successione collateralium, semper intelliguntur vocati sub ea qualitate, quod sint* de Caxaii defuncti Patris, de domo, & de linea Paterna, *ac una simul cum fratribus utrinque coniunctis vocantur fratres consanguines tantum.*

13 *Prælatio datur fratribus, & nepotibus æqualiter in hæreditate masculorum, ac fæminarum, sive sint dotatæ, sivè non, dummodò eos sint dotare parati, sintque istæ de dote constituta contentæ,* & cur ità Statutum disposuerit? vide in n. 14.

15 *Mater, & quicumque alii ascendentes, sive descendentes, sive transversales defuncto attinentes per lineam maternam excluduntur ab hæreditate filii, vel filiæ, stantibus masculis de* Caxall *usque ad quartum gradum inclusivè.*

16 *Agnatio satis est quod tacitè, & virtualiter sit à Statuto contemplata, ne ulla ratio habenda sit de vinculo cognatitio, & materno;* & quare?

17 *Agnatio contemplata dicitur in materia successionum, secundum Statutum Parmæ.*

18 *Amplia, ut hac fuerit ejus causa finalis, propter quam vinculum cognatitium, & maternum semper excluserit.*

19 *Adde, quod duplicitas vinculi ab isto nullimodè consideretur.*

20 *Statutum non desinit esse agnatitium per hoc, quod filia superstes patruum excluderet;* amplia, ut in n.21.

21 *Statutum exclusivum fæminarum non solum præsumitur voluisse arcere ab hæreditate sorores, sed eas etiam fæminas, quæ cum patruis jure repræsentationis potuissent concurrere.*

22 *Amplia, ut isto casu mens Statuentium semper concilianda sit cum respectu habito ad agnationem.*

23 *Pater, Avus, vel alter Ascendens ex linea paterna admittuntur ad hæreditatem defuncti una cum fratribus, aut nepotibus; fæminis tamen semper exclusis.*

24 *Statutum cum nominatim excluserit fæminas, quæ masculis in hæreditate defuncti præferri debuissent de jure communi, censendum est, ut omnes feminas propter masculos excludere voluerit;* & vide rationem in n.25.

26 *Soror, vel neptis utrinque coniunctę, sunt potius a fratre, vel nepote consanguineo tantum excludendæ, quam quod ab agnato remotiore; idque est magis æquum.*

27 *Duplicitas vinculi non favet fæminis ad exclusionem fratrum consanguineorum tantum, si propter masculos existentes per locale Statutum ex hæreditate Amitæ excludantur,* & vide rationem n.28., atque amplia, ut in n. 30.

29 *Vocatio simultanea scatet ex illo verbo* conjunctim, *non verò ex istis --* ordine successivo.

31 *Conditio filię in materia successionum, nequit conditione Patris melior esse, quando in istius gradum subingrederetur.*

32 *Vinculum cognatitium, & maternum si masculo prodesse non possint, multo minus prodest feminis ad terminos Statuti istarum exclusivi.*

33 *Statutum operatur, etiam si persona exclusa, quæ ageret, ei non subiaceret, quando tamen bona, ad quę agitur, essent in loco eidem subiecto, vel ille, de cujus hæreditate ageretur.*

34 *Statutum an habeat locum respectu Principis supremi non est inquirendum, quando agitur de contractu, in quo Princeps uti privata persona fuit consideratus;* & quomodo? & n. 90.

35 *Prin-*

35 *Princeps uti privata persona consideratur, multum isto casu a se ipso differt.*

36 *Statutum in favorabilibus etiam Supremum Loci Principem ligare præsumendum est, imò de hoc dubitare nephas est;* declara ut in n. 37.

37 *Princeps Supremus an afficiatur legibus Loci, hæc quæstio semper passivè promoveri potest, hoc est, an Statutum ejus hæreditatem afficiat; secus vero, an ipse activè, sicuti, & alii Cives, illius gaudere possit privilegiis.*

38 *Statutum favorabile Subditis, a fortiori Principem juvat.*

39 *Amplia, ut beneficium excludendi fæminas a successione, quod confertur in Cives; In ipsum, suamque etiam familiam collatum censeri debet.*

40 *Princeps Loci quasi quodom privilegiato jure Civis dicitur omnium sibi subjectarum Civitatum.*

41 *Amplia; ut dicatur etiam Civis inter cæteros primus.*

42 *Princeps potest uti Statuto sui Status.*

43 *Princeps in præjudicium fratris Statutariam dispositionem* de successionibus ab intestato *reiicere prohibetur.*

44 *Amplia, ut si ab illo vellet abstinere, omne commodum alteri fratri cederet.*

45 *Princeps Supremus, & rectius de potentia absoluta quidquam voluisse, quod sibi de jure non competat, & proprio fratri esset quæsitum, non præsumitur.*

46 *Cessionarius non potest agere ad hæreditatem ex nomine cesso, resistente Statuto adversus cædentem; benè vero ex persona propria, si ab eodem Statuto esset admissus.*

47 *Statuta exclusiva ut procedant in successionibus ab intestato, non est habenda ratio personæ defuncti, de cujus hæreditate agitur, sed vocatorum, juxta Statutariam sanxionem.*

48 *Mulier, exceptis iis, quę ab obsequiis maritalibus eam detraherent, in cæteris omnibus Statutis, suæque originis legibus affecta remanet.*

49 *Amplia, si defuncto viro, ad Patrios lares regressum fecisset, ibique reintegrato per diuturnam moram originario domicilio, diem clausisset extremum.*

50 *Princeps non debet alio uti jure, quam eo, quod in alios statuit, & dixit; præsertim si res sit de legibus successoriis*, & n. 51.

52 *Princeps etiam Supremus legibus non est solutus;* amplia, ut in nu. 55. 71. 76., & 77.

53 *A fortiori illi de sua familia;* & quare? vide num.54. & amplia, ut in nn. 68. 71., & 87.

54 *Filii Principis Supremi licet sint de Patris dignitate participes; nihilominus ab ejus tantum distant fastigio, quantum subditus à Domino.*

56 *Civitas Parmæ usque ab octavo redemptionis nostræ sæculo sub Romana Ecclesiæ dominio semper stetit;* amplia ut in n.57.

57 *Dominia Civitatum licet per iniustas Potentium usurpationes sint avulsa, non indè tamen sequitur, ut illius juribus aliquid dici possit detractum;* amplia, ut in nn. 60., & 65.

58 *Sancta Sedes Apostolica circa Statum Parmæ semper reprobavit Capitula pacis Constantiæ;* & nn. 62., & 64.

59 *Legatus Summi Pontificis antiquitus Parmæ, & Piacentiæ residebat.*

61 *Leges, & acta conditæ, seù gesta tempore intermedio, quo Civitas sub Principis usurpatoris stetisset dominio, & postea ad suum rediisset Dominum, dicuntur abrogatæ, & circumscripta, atque nulla.*

63 *Decisiones Sacræ Rotę non admittuntur, nisi subscriptæ appareant per Ponentem, juxta decretum conditum, ad evitandas fraudes alias superventas.*

64 *Parma quod fuerit, & sit Sanctæ Sedis subdita, probatur, ex quo illius Populus antiquitus recursum ad ipsam fecerit, pro confirmatione Statuti;* & num.65., & amplia, ut in nn.67. & 90.

65 *Gratia, & privilegium ab illo, qui de jure suo non diffidit, numquam petuntur.*

66 *Leges, & Statuta condere ad publicum Gubernium, & juris communis abrogativa, dicitur actus jurisdictionis, & Imperii Supremo tantum Principi reservatus.*

67 *Statutum Parmæ in forma specifica, ad recursum Populi, fuit à Sancta Sede confirmatum, præsertim à sa. me. Paulo III.* & num. 68.

69 *Investitura Ducatus Parmæ, & Placentiæ fuit concessa à sa. me. Paulo III. Familiæ Farnesię.*

70 *Statutum confirmatum à Papa ad gradum legis Pontificiæ dicitur elevatum.*

72 *Investitura operatur, ut Civitas per infeudationem cum suis juribus, & legibus, prout erant ante illum, in Feudatarium pertranseat.*

73 *Dignitas Supremi Principis non læditur per hoc, quod filii, cæterique, de ejus familia Civitatis legibus dicantur subiecti.*

74 *Leges, & Statuta potest condere Dux* Parmæ *ex diplomate* Pontificię *investiturę, qua gaudet, easque potest moderari, & confirmore.*

75 *Leges, & Statuta ab antiquo à Suprema Principe condita censentur à filiis, & successoribus approbata.*

75 *Lex duodecim tabularum reiicienda non est à Supremo Principe, præsertim si ab aliis Principibus sit recepta,* & vide rationem in num. 77.

77 *Princeps suæ Civitatis legibus ligatur in iis, quæ patrimonium privatorum respiciunt.*

78 *Statutum, & leges, quæ agnationem respiciunt, Privatosque ligant, a fortiori fas est, ut Principem ligent, cum intersit, ut ejus familia divitiis abundet,* & num. 79. ac collige casum.

79 *Agna-*

79 *Agnationis conservatio volita à Principe pro majori subditorum splendore à fortiori præsumendum est, ut eam voluerit respectu familiæ suæ, sicque statuisse.*
80 *Amplia, si apparerent casus, in quibus descendentes de ista supremam ejus voluntatem pro derogatione Statuto imploras sent, occasione contractuum initorum à minoribus, vel mulieribus*; & n. 81.
81 *Dispensatio secumfert confessionem de necessitate eam reportandi in supplicante Principem proprium.*
82 *Appropriatio hæreditatis defuncti ad nullum alium est titulum referenda, quam hæreditarium*, & n. 84., & vide rationem in n. 83.
83 *Appropriatio de bonis defuncti non competit Creditori, si hæreditas jaceat, nisi post datum hæreditati Curatorem*; limita, ut in n. 85.
84 *Occupatio bonorum illicita in Supremo Principe non est præsumenda.*
85 *Appropriatio bonorum defuncti competit hæredi, qui sit creditor illius.*
86 *Statuta respectu solemnitatum in contractibus servandarum dicuntur magis proportionata dignitati Supremi Principis, quam respectu successionum ad istum deferendarum.*
87 *Statutum dicitur ligare Principis familiam, ex quo illius frater hæreditatem aliquam adivisset, repulsa sorore, ob Statuti resistentiam*; & num. 88.
88 *Observantia est præ cæteris omnibus, fidelissima legum, & Statutorum interpres.*
89 *Sacra Rota eam sequitur sententiam, quam rationum pondus, non verò Dectorum numerus commendat.*
90 *Statutum favorabile, & proportionatum, atque à subdita Civitate conditum, Supremi Principis confirmatione indiget, quodque etiam iste eodem Statuto afficiatur, æquum dicitur.*

DECISIO MCCCLXXV.

CUm multa, & præclara anteactis temporibus, nedum Summi Pontifices, sed Reges quoque, & Principes de integritate, & prudentia nostri Sacri Auditorii testimonia perhibuerint, tum quanta in ipsum fiducia essent, & quam certam de ejus Justitia, & gravitate spem haberent, novissimè significarunt Serenissimi Fratres, & Principes Far-
1 nesii; Orta enim inter eos difficultate super legitima successione in hæreditate clar. me. Margharitæ Farnesiæ Duciſſæ Mutinæ anno 1718. sine liberis ab intestato defunctæ, cum Serenissimus Dux Franciscus in vim generalis renunciationis ad ejus favorem ante contractas cum Rege Catholico nuptias emissæ à Serenissima Nepte memoratæ Margharitæ ex cla. me. Principe Odoardo fratre utrinque conjuncto, universam sibi hæreditatem assereret ex praescripto juris communis in *Auth. cessante, & Auth. post fratres, Cod. de legit. hæredib.* Contra verò Serenissimus Princeps Antonius patrio Statuto innixus, eandem hæreditatem inter ipsum, & Serenissimum Ducem defunctæ Duciſſæ fratres consanguineos æquo jure dividendam fore sustineret, exclusa penitùs laudata Serenissima Nepte; quæstionem hanc illustri apud Posteros fraternæ charitatis, & moderationis exemplo nostro Sacr. Tribunali, prout juris est, decidendam compromiserunt. Remotis igitur Fori jurgiis, & quocumque strepitu, aut figura Judicii sub die 13. Februarii proximè elapsi ex decreto PP. uti Decanus, & universi Tribunalis nomine solemniter acceptavi instrumenta compromissi à Procuratoribus Serenissimorum Fratrum Mihi præsentata, & deindè postquam Partes apud Me exhibuerunt documenta ad causam facientia, Idem Sacrum Tribunal, ut expectationi Excelsorum Principum quam plenissimè responderet; maturè ponderatis, discussisque juribus tam in scriptis, quam in voce à celebrioribus nostræ Curiæ Jurisperitis pro causæ dignitate luculenter utrinque deductis, hodie tandem respondit, *Successionem deberi utrique ex Serenissimis Fratribus pro medietate.*

2 Traxit Patres in hanc sententiam receptissima illa juris regula, quod ubi aliter jus commune, & aliter Statuti loci successionem deferat, non jus commune Romanorum, sed
3 Statutum attendi debet, quod dicitur, & est jus proprium ejus loci, seu Civitatis, *l. omnes Populi, ubi communiter Scribentes, ff. de Just., & Jur., Alciat. respons. 56. nu. 3., Rot. cor Coccin. decis. 1680. n. 67. & cor. Celso decis. 125. num. 5.* cum aliis in *Faventina Successionis 2. Julii 1708. §. Hæc autem coram*
4 *Rmo D. meo Aldrovando.* Unde cum in Statuto, quod Parmæ viget, titulo *de Successione ab intestato fratrum, & filiorum eorundem*, expressis, disertisque verbis caveatur, *quod mortuo aliquo, vel aliquibus ab intestato &c. talibus sic defunctis succedere debeant fratres utrinque conjuncti, & ex altero Parente tantum si adsint &c. exclusis*
5 *sororibus defuncti, & aliis fœminis*; nil proponi visum fuit, quo minus, exclusa dicta Serenissima Nepte, successio in hæreditate clar. mem. Duciſſæ Mutinæ, tam Serenissimo Duci Francisco, quam Serenissimo Principi Antonio ejusdem defunctæ fratribus superstitibus deferri debeat, juxta doctrinam *Bald. in l Gallus §. Si Rent notab. 2. ff. de lib. & posth.*, quam passim sequitur *Rota, & præsertim in Æsina Dotis 1. Aprilis 1718. §. Hinc Domini, & in Reatina Successionis 16. Junii 1719. §. Omissa siquidem coram R. P. D. meo Corio.*

Quod enim dicebatur Statutum non applicari ad casum ex duplici capite. Primò nempè, quia Serenissima Elisabeth, cujus juribus cessionario nomine utitur D. Dux, est Neptis defunctæ Duciſſæ ex fratre utrinque conjuncto, cum DD. Fratres superstites ex

Paterno tantum latere cum eadem Ducissa
coniuncti sint; Et secundò, quod personæ,
de quibus agitur, propter Excelsam Nata-
lium, & gradus dignitatem à legibus muni-
cipalibus solutæ sint, & immunes; in nulla
6 sui parte subsistere videbatur: Et quod atti-
net ad primam obiectionis partem, Sacrum
Tribunal non unam aliquam Statuti parti-
culam, sed universum illius contextum pon-
derans, tum respectu eius, de quo agitur,
capitis, tum quoque antecedentis, & subse-
quentis, juxta monitum Juris Consulti in
leg. incivile ff. de legib. preclarè adeò sub-
latum per illud censuit vinculum mater-
num, seù cognatitium, ut meritò de dupli-
citate vinculi nullam omninò rationem ha-
beri posse putaverit.

7 Neque verò ad hunc effectum insistere
opus fuit generali illi juris presumptioni,
propter quam receptum communiter est,
ut in omnibus Statutis, in quibus fœminæ
propter masculos excluduntur, censentur
regulariter Statuentes ad solam agnationis
qualitatem in eisdem masculis respexisse,
sicuti advertunt *Brun. de statut. exclus. fœ-
min. artic.4. num.6., Merlin. de legit. lib.3.
tit.1. quæst.2. num.2. & seq. Rot. in rec. de-
cis.563. num.2, par.1., et decis. 461. num.5.
par.2. & in Fulginaten. Successionis 2. Maii
1718. §. Deindè cor. R.P.D. meo Falcone-
rio dignissimo Almę Urbis Gubernatore.*
8 Et ob istam contemplationem, rejectis no-
vissimis Justiniani legibus masculos, & fœ-
minas in succedendo coęquantibus, jus suc-
cessionis pristino, & antiquo juri duodecim
Tabularum, & legis Voconiæ restituere vo-
luisse ad terminos *Text. in leg 1. Cod. de le-
git. hæredit.* sicuti advertunt *Laderch. conf 54.
num 3. & per tot. Marth. de success legal.
par.3. qu.4. art.4. sub num.12. Cyriac. con-
trov.353. num.26. et seqq.* & latiùs in *Faven-
tina Successionis 2. Julii 1708. §.12., et seq.
cor. Reverendissimo D. meo Aldrovando.*
9 Nam quod Statutum Parmæ materno, & co-
gnatitio vinculo minimè curato, non aliam
ubique habuerit, quam agnationis contem-
plationem, manifestum facit littera ipsa Sta-
tuti, in quo si de successione descendentium
agitur, expressè cavetur, quod extantibus
10 filio, vel filiis masculis, nepotibus, vel pro-
nepotibus, aliisque descendentibus de Ca-
xali, filia, neptis, vel proneptis, tam dota-
tæ, quàm quas masculi dotare parati sint, ità
ab hæreditate defuncti arceantur, *ut nullum
amplius ad bona Paterna, Avita, vel Proa-
11 vita possint habere regressum*; immò verò si
dictæ fœminæ decesserint antequam doten-
tur, vel nubant, expressè etiam disponitur,
quod masculi, qui habebant potestatem, &
facultatem dotandi, succedant ipsis mulieri-
bus in ea dote, omnibus aliis exclusis, ut
latiùs habetur *lib. 2. Statutorum sub rubri-
ca, quod filia, et aliæ fœminę descenden-
tes &c.*
12 Si verò agitur de successione Collatera-
lium, nedùm semper vocantur masculi sub
ea qualitate, quod sint *de Caxali defuncti,
de Caxali Patris, de Domo, de linea Pater-
na*; Nedùm ad successionem una simul cum
fratribus utrinque coniunctis vocantur fra-
tres consanguinei tantùm, & nepotes ex eis
ibi -- *Talibus sic defunctis succedere debeant
fratres utrinque coniuncti, et ex altero Pa-
rente tantum, si adsint, et quod sint de Caxa-
li defuncti, et nepotes ex fratribus de Caxa-
li, ut supra, una cum prædictis fratribus in
stirpem coniunctim, non autem ordine suc-
13 cessivo*; Et insuper iidem fratres, & nepo-
tes æquè præferuntur in hæreditatibus ma-
sculorum, ac in hæreditatibus fœminarum,
sivè fœminæ dotatæ fuerint, sivè non, dum-
modò parati sint illas condecenter dotare,
cum hoc etiam, quod fœminæ dote sibi con-
14 stituta, sint tacitæ, & contentæ; Verum
prætereà non alia ratione ita statuitur, nisi
quia *sat congruum sit hæreditates defuncto-
rum sive testamento, vel ab intestato liberis
masculis non extantibus ad proximiores ma-
sculos de Caxali defuncti deferri*, proùt ad
litteram legitur eodem *lib. 2. sub rubr. de
successionibus ab intestato fratr. & filior.
eorundem.*
15 Et denique si agitur de successione ascen-
dentium ab hæreditate filii, vel filię, stanti-
bus masculis de Caxali usque ad quartum
gradum inclusivè, non modo excluditur Ma-
ter, sed excluduntur etiam quicumque alii
sive ascendentes, sive descendentes, sive
transversales defuncto attinentes per li-
neam maternam, idque nominatim, & ex-
pressè *ad conservandam Agnationem, &
nomen Caxalis defuncti*, ut constat ex alte-
ra rubrica, *quod Mater non succedat filio
&c. eodem libro 2.*
16 Si igitur ad effectum, ut de vinculo co-
gnatitio, & materno nulla ratio haberi de-
beat, satis est, quod Statutum agnationis
contemplationem etiam tacitè, & virtuali-
ter in obiecto habuerit, cum causa ista fina-
lis æquè vigeat, & impleatur in iis, qui du-
plici, ac in iis, qui paterno tantum latere
coniuncti sunt, ut per *Text. in leg. à Titio
ff. de verb. oblig., probant Laderch. d. conf.
54 sub num.5. Menoch. conf. 187 num.3. &
seqq. & num. 28. Hodiern. ad Surd. decis.
239. num.2. Magon. decis. Florent. 82. nu.4.
Rota coram san. mem. Alexandro VIII.
decis.91. num.94. & in dicta Faventina Suc-
cessionis §.25. & 26. & per tot. coram Rm̃o
17 Aldrovando*; Nullus sanè in hoc remane-
re potest ambigendi locus quoad casum
præsentem, in quo agitur de Statuto, quod
nedum in omnibus supradictis casibus ad
solam agnationem respexisse semper vide-
tur, per ea, quę in similibus circumstantiis
sparsim considerant *Tob. Nonius conf. 12.
num 6. & seqq., Gobb. consult. 149. num.31.
& seqq. R.P.D. meus Calcagninus in suis
observ. pract. legal. par.2. observ.5 n.22. cum
seqq. Rota cor. Dunoz. sen decis. 200. nu.9.
& seqq., & in rec. decis. 1. n.54. & seqq par.
10. & in Baren. Immissionis 3. Junii 1709.
§. Vo-*

§. *Votum cor. Rm̃o Aldrovando*, & *in Urbanien. Fideicommissi* 13. *Februarii* 1716.
§. *Votum cor. Reverendiss. Ravennaten.*, & *in Aquipenden. Successionis*, & *Legitimæ* 28. *Januarii* 1720. §. *Quę quidem cor. R.P.D. mea Falcanario Urbis Gubernatore*; & in puncto hujus Statuti firmant ibi *Glossatores verb. ad proximiores masculos*, juxta impressionem *Erasmi Viotbi fol. mibi* 118. *à terg. Gargiar. conf.* 45. *per tot.*: Ve-
18 rum præterea agnationem ipsam expressis,
dissertisque verbis sub duabus illis posterioribus rubricis pro causa finali consideravit, & insuper in eisdem vinculum cognatitium, & maternum perpetuo, & ad litteram subsulit, & exclusit, ut pręcisè advertunt *Ger. Spin. conf.*78. *n.* 7. *Menoch. cans.* 178. *num.*9. *Ladercb d. conf.*54. *num.* 5. *vers. confirmatur*, *Casareg. ad Stat. Jan. de succ. ab intest.* §. 4. *num.*4. *Rot. in d. Faventina Successionis* §.10. *coram Rm̃o Aldrovando*,
19 & in puncto de hoc Statuto Parmę *Ruin.*
*conf.*29. *num.* 3. 4. & 6. *lib.*3. *in fin.*, ubi probat duplicitatem vinculi nihil operari.

Nil propterea urget, quod idem Statutum, in eo, de quo agitur, capite pręferre videatur agnatis masculis filias fœminas defuncti in illis verbis ibi--*Ex quo, vel ex quibus filii, vel filię &c. non superfint*-- Quidquid enim sit an propter istam partem conditionalem filia superstes Patruum excluderet, de quo articulo agit *Card. de Luc. de*
20 *success. disc.* 21. *num.*3. & *seqq.* quatenus
etiam hoc signato casu masculi per fœminas excluderentur, non ideò tamen Statutum desineret esse agnatitium in aliis casibus, in quibus soli masculi ad successionem vocantur, ut in terminis advertunt *Saccin. junior. conf.*23. *num.* 37. *Casareg. ad Stat. Jan. resol.*1. *num.*39. *Rota in dict. Faventina* §.22. *cor. Rm̃o Aldrovando*, & *in dict. Fulginaten.* §. *Nullam coram R.P.D. meo Falconerio*.

21 Proùt quoque minùs urget, quod Statutum in eodem capite, ultra sorores defuncti, excludat solum alias fœminas, *quę alias de jure communi succederent pariter cum prædictis masculis*; Hæc enim verba accipienda sunt non quidem in eo sensu, quod scilicet Statutum excludere voluerit eas fœminas, quæ ob vinculi duplicitatem præferri de jure deberent fratribus consanguineis, sed in alio longè diverso, quod nimirum censeantur exclusæ nedum sorores, sed etiam illæ fœminæ, quæ jure repræsentationis potuissent cum Patruis concurrere: Ita
22 enim cum verbis Statuti conciliatur mens
Statuentium semper, & solum directa ad agnationem conservandam; Ità hoc caput benè convenit, & cohæret cum alia subsequenti rubrica, sub qua vinculum maternum, & cognatitium penitùs tollitur, ac deletur; Et ita demum hęc pars conciliatur, & consonat cum cæteris aliis ejusdem rubricæ partibus, èx quibus ad litteram habetur, quod Statutum postquam consideravit casum, quo superstites defuncti sint fratres, & nepotes, transeundo ad alium, quo neque fratres, neque nepotes existant; vocat eo casu masculos remotiores de agnatione, *exclusis similiter fœminis*, *quæ cum ipsis transversalibus aliàs de jure communi succedere deberent*, *ut supra dictum est*, *vel quæ præferri deberent masculis de Caxali*, *seù*
23 *domo defuncti*: Et tandem reassumendo
primum casum, quo existant fratres, aut nepotes; sed superstes quoque sit Pater, vel Avus, vel alter ascendens ex linea Paterna; disponit pariter, & mandat, quod prædicti ascendentes admittantur, & vocentur ad hæreditatem defuncti *una cum prædictis fratribus*, *aut nepotibus*, *prout jura disponunt*, *exclusis semper prędictis fœminis*.

24 Si enim inter *prædictas fœminas*, quas Statutum voluit semper, & perpetuo exclusas, & illæ quoque nominatim supra expressæ fuerant, quę præferri masculis debuissent, ecce clarior, quam quod dici valeat exclusio omnium fœminarum in quocumque casu fratres existant, & sive dictæ fœminæ sint ex illis, quæ cum fratribus concurrere, sive etiam de aliis, quæ fratribus pręfer-
25 ri deberent; Nam si Statutum in dicto se-
cundo casu non curavit istam vinculi duplicitatem, & prælationem ex ea descendentem secundum jus commune, quo minus sororem etiam utrinque conjunctam excluderet favore Agnatorum remotiorum; Si rursus illam non curavit in tertio casu, quo minus favore ipsorum fratrum, quatenus cum eis etiam ascendentes Paterni superessent, sorores, aut neptes utrinque conjunctas à succedendo prohiberet; Nemo sanè dixerit illam in primo casu pręservare voluisse, dum severa inter primum, & tertium casum nulla intercedit rationis diversitas; Etsi primus
26 conferatur cum secundo., longè magis
æquum est, ut soror, vel Neptis utrinque conjuncta excludatur à fratre, vel Nepote consangitineo tantùm, quam quod excludatur ab Agnato remotiori, *Gabr. conf.* 15. *nu.* 8. *lib.*2., *Ruin. conf.*37. *num.*9. *lib.*3., *Corn. conf.*188. *sub num.*11. *lib.*2., *Surd. conf.*85. *ferè per tot.*, *Brun. de Stat. exclus. fœm. art.* 12. *quæst.*16. *vers. tertius casus*, *Casareg. ad Stat. Jan.* §. 12. *num.*32., *Rota in dicta Reatina Successionis* 16. *Junii* 1719. §. *Imo cor. R.P.D. meo Coria*.

Quod igitur attinet ad hanc primam obiectionis partem, jure, meritoque PP. ex
27 his concluserunt venienti ex juribus Sere-
nissimæ Neptis defunctæ Ducissæ Margharitæ, nullo modo opitulari posse duplicitatem vinculi, quo minus juxta dispositionem Patrii Statuti excludatur à Successione defunctæ Ducissæ per Serenissimos ejus Patruos superstites; Sicuti enim si de tempore apertę Successionis in humanis adhuc fuisset clar. mem. Princeps Odoardus ejus Pater, sub obtentu duplicis vinculi, quo cum defuncta Ducissa conjungebatur, excludere ab illius hęreditate nequivisset cæteros fra-

28 fratres consanguineos tantum ; quippe
quia Statutum sublato vinculo materno
exæquat in omnibus fratres consanguineos,
& utrinque coniunctos, eosque simul in vo-
catione coniungit ibi -- *Fratres utrinque
coniuncti, & ex altero Parente tantum* --
29 & infrà -- *Coniunctim, non verò ordine suc-
cessive* -- quę sanè verba simultaneam voca-
tionem inducunt, *Altograd. conf. 60. nu. 36.
lib. 2.*, *Card. de Luc. de Success. disc. 18. nu.
5. et 6.*, *Constant. ad Stat. Urb. annot. 40.
num. 32., & seq.*, *Rot. post Fenzon. dec. 218.
per tot.*, & in fortioribus terminis in toties
dicta *Faventina Successionis* §. 29., *et seq.*
30 Ita, & longè minus eadem Serenissima
Elisabeth ratione dicti duplicis vinculi ex-
cludere potest Patruos superstites, nè alias
31 contra juris rationem duo admittantur gra-
vissima absurda, alterum nempè, quod me-
lior sit conditio filiæ, quam fuisset Patris,
in cujus gradum ipsa filia subingreditur, &
32 alterum, quod vinculum cognatitium, &
maternum, quod masculo non profuisset,
fœminæ prosit, sicuti ad rem ponderant
*Bellon. de Jur. accresc. cap. 9. quæst. 12. nu.
73.*, *Rot. cor. Seraph. decis. 496. n. 3, et seq.*,
*et in recent. decis. 104. num. 2., et seq. par. 1.
decis. 15. num. 5. par. 9.*

Transeundo itaque ad aliam obiectionis
33 partem, in qua dicebatur non posse in casu
procedi cum Statuto Parmæ, ex quo tum
defuncta Ducissa Mutinæ, de cujus hęredi-
tate agitur, tum Serenissima Neptis ejusdem
Ducissæ, quæ est fœmina exclusa, tum deni-
que Serenissimi Fratres superstites, omnes
quidem propter Excelsam Natalium, &
Gradus Dignitatem; illæ verò etiam ex
quo nuptæ fuerunt extrà Territorium, à ne-
xu, & censura dicti Statuti solutę sint, atque
immunes; Sacrum Auditorium, quod atti-
net ad hunc articulum, illud primum cen-
suit in pręsenti casu statuendum, quod ad
hoc, ut Statutum suum effectum operari pos-
sit, minimè opus est, quod persona exclusa
sit subiecta jurisdictioni Statuentium, sed
sufficit subiectio bonorum, & personæ ex-
cludentis, atque ad summum secundum ali-
quos subiectio illius, de cujus hæreditate
agitur, juxtà opinionem, de qua *Surd. cons.
343. n. 9.*, *Peregrin. cons. 90. n. 19. lib. 1.*,
decis. 56. n. 7. *Thesaur. quæst. forens. lib. 2.
par. 4. n. 19., & seq.*, *Merlin. de legit. lib. 3.
tit. 1. quæst. 18. n. 51., & seqq.*, *Card. de Luc.
de success. disc. 19. sub n. 3.*, & quam in his
terminis semper tenuit *Rota*, ut in *dec. 304.
n. 9. par. 1. divers.*, & post *Fenzon. dec. 97.
per. tot.*, *& coram Duran. dec. 31. n. 8., &
9.*, *& coram Royas dec. 104. n. 7., & seqq.*,
*& in rec. dec. 264. n. 6., & dec. 582. nu. 11.,
& seqq. par. 5.*, *& dec. 171. n. 3. par. 16.*

Hoc autem posito, jam quisque planè vi-
34 det quam sit extraneum à præsenti quęstio-
ne subtilius inquirere, an alienum videri
possit à Regali, qua Serenissima Elisabeth
præfulget Majestate, quod Patrio Statuto
afficiatur, cum præsertim in ipsa cessione
separata ab ipsa fuerit Persona privata à
Persona Principis, & cessio, ac renunciatio
in Serenissimum Ducem collata, non tam-
quam in Principem, sed nominatim, & ex-
presse tamquam in Personam privatam, quæ
35 uti talis à Persona Principis longè differt,
ac distinguitur, *leg. 1. Cod. de offic. com. rei.
privat. lib. 11.*, *l. 2. 3., et 4. Cod. de fund.
rei privat. cod. lib. 11.*, *Hugo Grot. de Iur.
Bell. lib. 2. cap. 14. § 2.*, & ibi *Adden. Bar-
tol. ad tit. Cod. de Jur. Fisc. lib. 10. nu. 17.*,
ubi *Cujac.*, *Peregr. de Jur. Fisc. lib. 1. tit. 1.
n. 6.*, *Mastrill. de Magistrat. lib. 1. cap. 13.
n. 5.*, *Antunez. de donat. reg. lib. 3. cap. 43.
n. 1., et seqq.*

Sepositis igitur iis omnibus, quæ præter
causæ necessitatem super hoc adstruebantur,
stricte ad punctum difficultatis, nulla sane
incidebat dubietas super subiectione bono-
rum, cum Scribentes hinc inde illam admit-
36 terent; sed nulla etiam versari poterat du-
bitatio circà subiectionem Excludentium;
nam licet alter ex eis sit Serenissimus Dux,
Parmę Dominus, & alter Serenissimus Prin-
ceps Antonius defunctæ Ducissæ fratres;
cum tamen eorum subiectio quoad præsen-
tem effectum eo solùm pertineat, ut activè
compræhendantur sub hujusmodi Statuto,
itaut ejus beneficio fruantur in exclusio-
nem fœminarum; ad hunc sanè effectum
quicumque is fuerit, a quo Statutum vim
legis acceperit, nedum alienum non est ab
eorum Dignitate, sed imo quam maxime
congruum, ut quo beneficio cœteri de Po-
pulo utuntur, & ipsi quoque frui valeant:
37 In ea enim quæstione, an, & quomodo
Princeps legibus afficiatur; controversia
quidem est quomodo passive afficiatur, puta
an Statutum operari possit cum de ipsius
Principis hæreditate agitur, qui sanè non
est casus, de quo in præsenti quæritur; mi-
nimè vero an quod in aliorum Civium bene-
ficium salubriter constitutum est, Principem
quoque, & ejus familiam active compræhen-
38 dat; qui enim à beneficio legum, & Sta-
tutorum Principem prohiberet, is non sibi
Principem, sed exulem proponeret, & ca-
pite diminutum, §. *Quod autem Inst. de ca-
pit. diminut. leg. tutelas §. Item ff. eodem
tit.*, *leg. sunt quidam 18. §. 1. ff. de pœn.*,
& in terminis dixerunt *Bald.*, *et Roman.*
quos citat, & sequitur *Natt. con. 44. n. 4.*

Haud igitur controverti debet, quin Se-
renissimi Fratres Statuto hujusmodi affician-
39 tur; cum enim per illud, beneficium ex-
cludendi conferatur in omnes Cives, colla-
tum quoque censeri debet in Principem, &
40 ejus familiam; nam D. Dux cum quasi quo-
dam privilegiario Jure Civis sit omnium Ci-
vitatum, quæ sub ejus dominio sunt, ad tra-
dita per *Fritkilth opusc. tract. 2. de Palat.
cap. 4. n. 3.*, tum vero Parmæ, quæ est Civi-
tas ejus Dominii Sedes, & in qua natus, &
educatus fuit, propriè etiam, & per natu-
41 ram Civis est, imò Civis inter cœteros Pri-
mus, ut ad rem considerant *Suares de legib.
lib. 3.*

lib.3. cap. 35 n. 54., *Vasq. controv. Illustr. lib.1. cap.26. num.6.*, *Dian. tom. 6. de legib. tract.1. resolut. 53. num.10.*, *Salas de legib. tract. 14. sect.2. n.23.* Quamobrem aut ipse
42 vult uti Statuto, & cessat omnis quæstio, cum sine dubio possit, *Bald. in l. legati 4. Cod. ad leg. falcid.*, *Castren. in leg. digna vox. Cod. de legat.*, *Brun. de Stat. exclus. fæmin. art.6. n.67.*, *et seqq.*, *Merlin. de legitim. lib.3. tit. 1. quæst. 16. n.9.*, *Menoch. lib. 2. præsumpt.5. n.4.*, *Adden. ad Gregor. decis.*
43 *279. n.23. et 24.* Aut verò uti non vult, & hoc impedimento esse non debet, quin D. Princeps Antonius eodem Statuto uti va-
44 leat; imo si Serenissimus Dux vellet abstinere, univarsam hæreditatem eo casu consequeretur idem Serenissimus Princeps Antonius, *Carpan. ad Statut. Mediolan. tom.1. cap.278. n. 110. Michalor. de Fratrib. par.3. cap.11. n.81.*, *Bellon. de Jur. accres. cap.7.*
45 *quæst.61. n.20*, *et seq.* Absit enim, ut de Piissimo, ac Justissimo Principe, cujus virtus, & integras cunctis Mortalibus exemplo, nobis autem, cum ex aliis pluribus cognita, tum ex hoc ipso compromisso exploratissima est, quis adeo male sentiat, ut putet ipsum per absolutam potestatem, quam nemo bonus in bono Principe agnovit, *Anton. Faber. Jurispr. Papin. tit. 1. par. 2. consut. 3. et tit.2, part. 8. illat. 2 in fine*, tollere, aut minuere quidquam velle de Jure obsequentissimo fratri per Patrium Statutum jam plenè, & perfectè quæsito, ad *Text. in l.2. §. Merito*, *et §. Si quis ff. ne quid in loco publico*, quo post alios compluresutitur *Rota in Romana*, *seù Florentina Pecuniaria 8. Martii nuper elapsi §. Et ita insuper cor. Me.*

46 Certum namque est, quod semel, ac de medio adest D. Princeps masculus à Statuto litteraliter vocatus, jam D. Dux consideratus dumtaxat in figura Cessionarii nullam in hac successione partem vindicare sibi potest. Unde eidem Serenissimo Duci nihil ultra superest, quam Jus adspirandi ex persona propria ad dictam Successionem, & quidem virtute Statuti, quod illam utrinque fratri superstiti æqualiter defert, ut in simili casu de Magno Duce Hetruriæ contendente de Successione cum fratre notavit *Gall. d. consil. 10. n.9.*

47 Quæ igitur in causa superesse potest difficultas unice versatur circa compræhensionem passivam clar. mem. Principissæ Margharite, de cujus hereditate agitur, quatenus tamèn subiecto ista requiratur, quod negant *Merlin. de legit. lib.3. tit. 1. quæst. 18. num.58.*, *Marescott. var. lib. 2. quæst.4. n.20.*, *Constant. ad Statut. Urb. annot.39. n.137.*, *Rot. dec.304. n.9. par. 1. divers.* Sed
48 verius de Jure videtur, ut etiam ipsa Statuto affecta censeatur; quod enim ea nupserit extra Territorium clar. mem. Duci Mutinæ, non immutat ejus nativam compræhensionem sub Patrio Statuto, cum certi, & explorati Juris sit, quod mulier alibi nubens exceptis iis, quæ ipsam retraherent ab obsequiis maritalibus, in cœteris omnibus affecta remanet Statutis, & legibus suæ originis, juxtà magis communem opinionem, quam tenuit *Bart. in l. fin. §. Item rescripserunt ff. ad municipale*, & post eum, aliosque plures, *Rot. coram Merlino dec.828. n.14.*, *& seq.*, & in *Romana*, *seu Viterbien. Immissionis 10. Junii 1718. §.4.*, *& 10. Februarii 1719. §. Parum officiente coram Reverendissimo Ravennaten.* Quod etiam cer-
49 tius in præsenti casu procedit, quia memorata Principissa soluto per mortem viri matrimonio, rediit paulo post ad Patrios Lares, ibique redintegrato per diuturnam moram annorum 24. originario ejus domicilio, diem quoque obiit extremum, *Castren. in leg. cum quædam puella sub n.4.*, & ibi etiam *Cagnol. n. 8. ff. de Iurisd. omnium Iudic.*, *Corn. cons. 3. sub n. 5. lib. 3.*, *Cephal. cons. 171. sub n.32.*

50 Quod vero eadem Defuncta sit de Familia Principis, neque etiam videtur eximere eam posse à censura Legum, & Statutorum suæ Civitatis; si enim inverecundum esset, quod Princeps ipse alio Jure uteretur, quam
51 quod in alios statuit, & dicit, & præsertim cum res est de Legibus successoriis *§. ultim. Instit. quib. mod. testam. infirm.*, *l. Papinianus §. Si Imperator ff. de inoffic. testam.*, *l. Digna vox Cod. de legib.*, *l. Ex imperfecto 23. ff. de legat.3. l.3. Cod. de testam.*, *l. Si quis heredem Cod. qui testam. fac. poss. l.4. Cod. ad leg. falcid.*, & serio monent *Fulgos. in dicta leg. Digna vox in princ. & num.3. Cujac. de Just. & Jur. oper. posthum. tom.3. col.6.*, *& observ. lib.15. cap.30. ad leg. Princeps*, *& lib. 26. cap.36. tom.2.*, *Conan. Commen. Jur. lib. primo cap.8. n.13.*, *& cap.16. n.8.*, *Corasc. Miscellan. Jur. lib. 2. cap.25.*, *Vasq. Controv. lib. primo cap.26. n.7. Mastrill. lib. 3. cap.3. n.70.*, *Francisc. Patric. de Regn. & Regum instit. lib. 8. tit. 6. de legib.*, *Borell. de Reg. Cath. præst. cap. 31. n.38.*, *Petr. Anton. de Petr. de Potestat. Princip. ad Raynut. II. Parmę Ducem cap.2. n. primo & seq.*, *Gron. ad Hugon. Grot. lib. 2 cap.4. §. 12. litt. G. & H. Pufendorf. de Jur. Natur. et Gent. lib.7. cap.6. §. 3.*, & ibi *Adden. lit. B.* Si Augusta ipsa
52 Divini, & Humani Juris cum Principe socia, Legibus nihilominus soluta non est, *l. Princeps ff. de legib. l. 1. Cod. de cond. & proc. præd. Dom. August. lib. primo*, lon-
53 ge sane minus Statutis, & Legibus soluti
54 dici possunt illi de familia, qui utcumque de Dignitate Patris participes sint, tantum nihilominus ab ejus fastigio distant, quantum subditus à Domino, *Adden. ad Ludovis. dec.279. n.22.*, *Merlin. de Legitim dicta quæst. 16. n.8.*, *Roland. à Valle consil. 86. n.54.*, *& seq.*, *Iacob. Gall. consil. 4. n.23.*, *& seqq.*, *Cyriac. disceptat.29. num. 46*, *& seqq.*

Neque verò pacto ullo subsistit responsio illa, quod in præsenti agatur de Lege, & Sta-

Statuto mere populari per Civitatem con-
dito de tempore, quo erat in statu libertatis,
exercebatque Jurisdictionem, & Regalia
cum consectario Jure ferendi leges, sicuti
probari dicebatur ex actis Pacis Constan-
tiæ, aliàs ad hunc effectum admissis à Sacro
Tribunali *in una Balneoregien. Bonorum
coram Orano* impressa apud *Mellium*, quod-
que propterea dictum Statutum tam ex de-
fectu potestatis, quam ex defectu volunta-
tis aptum minime sit ligare Familiam Prin-
cipis, quem tunc Civitas nullum habebat;
55 præterquamquod enim illatio ista minus
recta de Jure videri potest, dum & Leges
Romanorum, quibus vivere Principem, &
Augustam solutam non esse professi fuerunt
Imperatores in locis mox indicatis, erant
Leges à Populo Romano, ut plurimum latæ
in statu libertatis, & quo tempore nihil mi-
56 nus, quam de Principe cogitabat; cessat
insuper ex facto objectio, quia quod Popu-
lus, & Civitas Parmensis usque ab octavo
Redemptionis nostræ sæculo semper fuerit
sub dominio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, adeò
certum, & indubitatum est ex iis, quæ ha-
bentur apud gravissimos Historicos *Pau-
lum Diaconum de gestis Longobard. lib. 2.
cap. 18.*, *Anastas. Bibliothec. in Vita Ste-
phani II.*, *& Adriani Primi*, *Platinam
in Vita ejusdem Stephani*, *Sigonium de
Reg. Ital. lib. 3. sub anno 736.*, *Petavium
in ration. tempor par. prima lib. 8. pagina
mihi 378.*, & ex aliis authenticis documen-
tis non sine multa eruditione collectis in
recenti *Hystor. Domin. Ecclesiast super
Ducatu Parmæ, & Placentiæ*, & etiam
*in dissert. hystoric. polit., & legal. alterius
moderni Authoris Placentini*, ut qui con-
tra obmutire audeat, manifestam veritatem
impetere videatur.

57 Quamvis autem alienissimis illis tempori-
bus, quibus Romana Ecclesia contra æquum
& Jus, Partium factionibus vexata fuit, &
Parma, & quædam aliæ subditæ Civitates
per vim, & iniustam usurpationem ab ex-
teris Potestatibus occupatæ aliquandiù fue-
rint, non per hoc tamen legitimo, & anti-
quissimo dominio, imò vero etiam posses-
sione, quam Sancta Sedes animo saltem
semper retinuit, quidquam detractum, aut
derogatum fuit, quo aut Populo Parmensi
libertatem, & Regalia, aut cuiquam alteri
Jurisdictionem in eum præscribere licuerit,
ut benè probat *Auctor ejusdem Hystoricæ
lib. 2. n. 2., & seq. & in appen. docum. pri-
mo cum seq.*, *Ugo Grot. de Jur. Belli, &
Pacis lib. 2. cap. 4. § 11. cum tribus seq.*, *ubi
Glossatores*, *Pufendorf. de Jur. Natur., &
Gent. lib. 7. cap. 7. §. 5.*

58 Quidquid igitur in præjudicium Sanctæ
Sedis dictum fuerit de istis Civitatibus in
Capitulis Pacis Constantiæ, quam Romana
Ecclesia semper reprobavit, sicuti ostendit
*Author Placentinus in dicta ejus dissertat.
pag. 139.*, & prior *in dicta Hystoria lib. 2.
sub n. 2.*, & quam respectu libertatis, & ab-
solutæ Jurisdictionis Populi Parmensis de
manifesto errore etiam quoad merum fa-
ctum, & possessionem redarguit ea circum-
stantia, quod præcisè tunc temporis Lega-
59 tus Summi Pontificis Parmæ, & Placen-
tiæ residebat, sicuti etiam testantur *Dionis.
à Fano in suis hystoriis memorab. part. 2.
pag. 298. in princip., & pag. 299.*, probat-
que laudatus *Hystoricus lib. 2. n. 2. & seqq.
60 fol. 72.*; quidquid insuper super hoc incau-
te dixerint Doctores aliquot, ut plurimum
in consiliis ad causæ opportunitatem com-
positis; illud unum certum, & exploratum
est, quod si quid Duces Mediolani, aut aliæ
Potestates; si quid Civitas ipsa, Populus-
que Parmensis contra legitimum Sanctæ Se-
dis dominium de facto attentarunt, aut
commiserunt, sive Leges, & Statuta con-
dendo, sive alium quemlibet Jurisdictionis
actum explicando, nullam sortiri potuit Ju-
ris firmitatem, juxtà *Textum in l. Decerni-
mus Cod. de Sacrosanct. Eccles.* *Bartol. in
tract. de Tirannid. n. 16.*, *Abb. Panormit.
cons. 94. n. 4. lib 2.*, *Rot. in Assisien. Hære-
ditatis*, impress. penes *Constantin. ad Sta-
tut. Urb. dec. 2. n. 5., & 7.*, *& coram bon.
61 mem. Emerix. dec. 1239. n. 18. & 19.*, cum
præsertim per revisionem ejusdem Civitatis
post non ita multo sequutam sub pristinum,
ac legitimum Sanctæ Sedis dominium, acta
omnia intermedii temporis perinde irrita,
ac circumscripta remanserint, ac si facta non
fuissent, & Civitas ipsa sub potestate Ro-
manæ Ecclesiæ, quasi quodam Postliminii
Jure semper, ac pacifice mansisset §. *Item
ea 17. Instit. de rerum divis.* §. *Si ab hosti-
bus, Instit. quib. mod. Patr. potestat. solu.*,
l. Eos, *& l. Si captivus §. primo ff. de capt.,
& Postlim. rever*, bene, docteque *Ugo Grot.
de Jur. Bell., & Pac. lib 3. cap. 9. §. 9. 12., &
13.* ubi *Glossatores*, & respectu legum fa-
ciunt ea, quæ in fortioribus terminis scripse-
runt *Castrens cons. 129. in princ. lib. primo*,
Roman. consil. 218. sub n. primo, *Ansald.
cons. 122 n. 43., & seq.*, *alter Ansald. Præ-
decessor meus in Decanatu Sac. Rotæ de
Commerc. & Mercat disc. 19. n. 27.*

62 Absit autem, ut nostrum Sacrum Tribunal
admisisse unquam dicatur Capitula Pacis
Constantiæ, sive pro justo titulo, sive pro le-
gitima probatione Jurisdictionis Civitatum
in ea comprehensarum; nam quod Decisio
in Balneoregien. Bonorum coram Orano
ita se habeat, uti legitur apud *Mellium*
tota fides est penes Transcriptorem; certè
63 apud *Sanminiatum* aliter legitur; Sacrum
vero Tribunal nostrum, non semel alias ex-
perientia edoctum plures fuisse ad causarum
opportunitatem falsò confictas decisiones,
non alias tamquã suas admittit, nisi quæ col-
lectæ sunt in Codicibus ab ipso recognitis &
approbatis, aut quæ subscriptione Ponentis
roboratæ in ejusdem Sac. Rotæ sanctiori Ar-
chivio quot annis reconduntur, juxta con-
sultissimum Decretum jam diù super hoc
editum ad hujusmodi fraudes evitandas.

64 Ca-

64 Cæterùm quod nec Capitula Pacis Con-
stantiæ, neque Privilegia Othonis, & Fri-
derici ullum legitimum titulum, sive quoad
Jus, sive etiam quoad possessionem Parmensi
Populo tribuerint Legis condendæ, clariùs
præ cęteris manifestum faciunt acta ipsa
ejusdem Populi, qui bene conscius, quod
Statuta per eum condita sine consensu Prin-
cipis nullam sortiri poterant Juris firmita-
tem, concessionem, & confirmationem eò-
rundem, allegatis ad hunc præcisum effe-
ctum clarissimis Civibus, suppliciter petiit,
vel à Duce Mediolani, quo tempore iste
Civitatem occupaverat, vel à Summis Pon-
tificibus Julio II., Leone X., Clemente VII.
& Paulo III. postquam eadem Civitatas sub
pristinam Sanctę Sedis Ditionem reversa
fuit. Quid enim in causa esse potuit, cur
Populus sollicitus adeo fuerit in ejusmodi
confirmationibus obtinendis, nisi quod ipse
agnoverit non posse aliter dicta Statuta vim
65 legis obtinere? Porrò qui de Jure suo non
diffidit, de gratia, aut privilegio minime
curat, ut in similibus dixit *Rot. in Foroli-
vien. Commendæ* 11. *Januarii* 1709. §. *Et
ob id*, ac *prima Julii ejusdem anni* §. *fin. co-
ram Eminentissimo Scotto, & in Romana,
seu Florentina Pecuniaria* 10. *Mart.* 1721.
§. *Si igitur, cor. Me*,
66 Hoc igitur in causa firmum, certumque
maneat, nullum unquam Populo Parmensi
Jus fuisse Leges, & Statuta condendi, cum
Leges, & Statuta condere publicum Gu-
bernium respicientia, aut abrogativa Juris
communis sit actus Jurisdictionis, & meri
Imperii soli Principi reservatus, *l. ultima
Cod. de legibus, Faber Jurispr. Papin. tit.*
2. *princ.* 7. *illat.* 3., aliique plures adducti
per *Constantin. ad Statut. Urbis in præl.
n.* 3. *& seq., & num.* 20. & *seq., Rot. divers.
dec.* 780. *n. primo, & per tot. part. prima,
& coram Buratt. dec.* 6. *n. primo & seq., &
in Recent. dec.* 127. *n.* 28. *& seq. par.* 17., *&*
67 *dec.* 154. *nu.* 5. *par.* 18. Inde enim tamquam
ex necessario antecedenti duo consequun-
tur, alterum nempè, quod Statuta per Po-
pulum Parmen. condita non aliter, neque
prius auctoritatem, & vim Legis obtinue-
rint, nisi cum illis vis isthęc data fuit per
concessionem, & confirmationem Summo-
rum Pontificum, ac præsertim san. mem.
Pauli III., qui illa concessit, & confirma-
vit in forma specifica, sicuti evincit, nedum
clausula illa -- *ex certa scientia* -- & ver-
bum -- *concedimus* -- quibus Pontifex usus
fuit, verum, & certius Decretum illud,
quod à nemine, præter Romanum Pontifi-
cem, eorum derogatio fieri posset, & insu-
per ea facti circumstantia, quod dicta con-
firmatio non aliter prodiit, quam prævia re-
visione eorundem Statutorum per Papam
specialiter delegata Auditori Generali Re-
verendæ Cameræ, & non sine pluribus mo-
dificationibus, cassationibus, & immuta-
tionibus, in quibus terminis nemo est, qui
ambigat confirmationem esse specificam, &
non simpliciter in forma communi, ut latè
firmant *Jovn. de Solemn. in contract. Mi-
nor. gloss.* 8. §. 3. *n.* 3. *&* 7.; *& n.* 93. *&* §. 9.
n. primo, Costant. in dicto Præl. n. 59., *&*
60. *Rota coram Bichio decis.* 381. *n.* 24., *&*
25., *& in Recent. dec.* 438. *n.* 56. *part.* 4. *tom.*
2., *& dec.* 262. *n.* 4. *par.* 19.
68 Alterum vero, quod nullus amplius super-
esse potest dubitandi locus ad effectum af-
ficiendi Familiam Principis, vel de potesta-
te, vel etiam de voluntate, quæ in materia
legum ab ipsa potestate modum, & fines re-
cipit; utcumque enim sublimis, & excelsa
hujus Serenissimę Farnesiorum familię con-
ditio sit, & maximè Ducis, in quo Dignitas
Principatus cum plena Jurisdictione reful-
69 get; ipse tamen nedum ultro profitetur,
sed gloriatur quoque se Subditum, ac Vas-
sallum Summi Pontificis, ac S. Romanæ Ec-
clesię, cujus nomine ejus Familia de Civita-
tibus Parmæ, & Placentiæ à san. mem. Pau-
lo III. Jure Feudi investita fuit; cum itaque
sa. me. Paulus III. antequam in d. Ducatu Par-
ma, & Placentina Familiam Farnesiam inve-
stiret, sua fecisset Statuta, jam prius à Par-
mensibus sine legitima Jurisdictione condita,
mediante dicta speciali confirmatione, qua
illis vim, & auctoritatem legis habere dedit,
eo etiam expresse superaddito, ut iisdem
Statutis hoc pacto confirmatis, nemo, præ-
ter Romanum Pontificem, derogare posset;
70 jam indè consequitur, ut sicuti dubitari ne-
quit, quin ejusmodi Statuta per talem con-
cessionem, & confirmationem elevata fue-
rint ad gradum legis Pontificiæ, juxtà *Text.
in cap. Si Apostolicæ de Præben. in* 6. *& in
l. prima* §. *Omnia C. de vet. jur. enuel. Bald.
in l. ex placito n.* 15. *C. de rer. permut. Abb.
in cap. Cum accessissent n.* 2. *de Const. Ruin.
cons.* 130. *n.* 7. *&* 8. *lib.* 5. *Rimin. sen. cons.*
338. *n.* 23. *& seq. Fenzon. in præfat. ad Stat.
Urb. n.* 49., *bon. mem. Ansald. de commerc.
& mercat. disc.* 19. *n.* 10., *Rot. coram Seraph.
dec.* 794. *n.* 26. *& cor. Cavaler. dec.* 45. *nu.* 3.
71 & *cor. Dunoz. Jun. dec.* 690. *n.* 8. ita neque
controverti valeat, quin tam filii, & filiæ,
quam cæteri de hac Inclita Familia eisdem
Statutis tamquam legibus à Supremo Do-
mino latis teneri, atque affici debeant, cum
& ipsi Cives sint, pro quibus Statutum con-
ditum, & confirmatum fuit, & respectu ad
Summum Pontificem sine dubio subditi, ut
in puncto firmant *Rolan. cons.* 86. *nu.* 25. *&
seq. & sub n.* 68. *lib.* 1. *Surd. cons.* 535. *n.* 15.
& 16. *& cons.* 210. *n.* 26. *& seq. Riminald.
sen. cons.* 338. *n.* 26. *& seq. lib.* 2. *Forster. de
success. ab intest. lib.* 4. *cap.* 24. *quæst.* 3. *n.* 27.
Phanuc. de lucr. dot. gloss. 1. *n.* 4. *in fin.*, Ci-
72 vitas enim per infeudationem transit in
Feudatarium cum suis Statutis, & Legibus
prout erant ante illam *Afflict. in Prælud.
Const. Regn. quæst.* 20. *nu.* 1. *&* 2. *Roman.
cons.* 218. *n.* 1. *Carpan. in Prælud. Stat. Me-
diolan. n.* 523. *& seq. aliisque omissis de hoc
ipso Statuto Parmæ Peregrin. cons.* 2. *n.* 27.
& 28. *lib.* 1.

Ne-

Neque vero ex hoc, quod filii, & cæ-
73 teri de Familia subiecti dicantur legibus Ci-
vitatis quidquam detrahitur dignitati, qua
Serenissimus Dux ex beneficio ejusdem
San. Sedis refulget; in hoc enim ipse cæte-
ros Parmæ Cives, & ipsos etiam Filios, ac
reliquos de Familia quàm longissime supere-
74 minet, quod ipse ex diplomate Pontificiæ
Investituræ fruitur potestate condendi le-
ges, & Statuta, *& ibidem conditas, &*
condita, confirmatasque & confirmata
emendandi, & moderandi, prout S. Roma-
næ Ecclesiæ similes Feudatarii de Jure,
vel consuetudine facere possunt, & consueve-
runt, sicuti legitur in Instrumento ipsius
Investituræ per extensum transcripto in *ap-*
pend. d. Historiæ Parmæ, & Placentiæ
75 *document.* 41. §. 11. *fol. mihi* 367. Cæte-
rum cum Duces ejus Antecessores Statu-
tum hoc successorium semel, & iterum ap-
probaverint, & confirmaverint, jam ex hoc
ipso inferre licet, ut ex eorum quoque vo-
luntate, & placito filii, & cæteri de Fami-
76 lia eodem Statuto afficiantur; cum enim
& ipsi leges aliquas agnoscere debeant,
longè magis congruum, honestumque est,
ut agnoscant jus illud à legibus duodecim
Tabularum, & media jurisprudentia descen-
dens, moribus, & Statutis nedum Patriæ,
sed totius fere Italiæ, imo etiam universæ
Europæ receptum, & tam Supremi Domi-
ni, quàm domestici auctoritate immediati
Principis approbatum, quàm novissimas Ju-
stiniani leges, quas & Patriæ mores, &
Placitum tum Supremi, tum quoque im-
77 mediati Domini penitus abrogarunt; aliàs
nisi, & ipsi hoc jure, quod in propria Civi-
tate commune est, sicuti cæteri, utantur in
iis, quæ ad patrimonium privatum per-
tinent, nihil erit, quare exploratum illis
possit esse quid suum, aut quid alienum sit,
nihil quod æquabile inter omnes, atque
unum omnibus esse possit, ut bene ad rem
inquit *Marcus Cicero in oratione pro Cecin.*
In hanc autem Sententiam eo proclivius
78 PP. iverunt ex duabus valde insignibus fa-
cti circumstantiis; prima est, quod Statu-
tum, de quo agitur deferens fratribus hæ-
reditatem ejus, qui sine liberis ab intestato
decesserit, quidquid sit de aliis capitibus
congruitatem dnias, & alia ejusmodi respi-
cientibus, in hac sane parte est valde pro-
portionatum filiis, & Familiæ Principis;
cum enim præcipua, & intrinseca Statuti
ratio non alia sit, quàm ut bona in agna-
tione Defuncti diutius conserventur; pu-
blicè autem longè magis, quàm Familias,
& agnationes Privatorum conservari, &
augeri intersit Familiam Principis divitiis,
& opibus pro dignitate, & sublimitate ejus
conditionis quàm maxime necessariis, *l. pri-*
ma §. Quis sit vers. publicè ff. de ventr. in-
spicien., *Sanchez de matrim. lib.* 8. *disput.*
19. *n.* 31., *Dian. Coord. tom.* 3. *tract.* 1. *re-*
solut. 79. *n.* 15. *Lezzan. cons.* 11. *n.* 26., *&*
seq., *Gaill. pract. observ. lib.* 2. *obser.* 127.
79 *n.* 2. Inde est, quod ubi etiam ageretur de
Statuto condito, vel confirmato per im-
mediatum Principem, penès quem summi
Imperii jus esset, nihilominus ejus filii, &
Familia, non secus, ac cæteri Cives illo affice-
rentur, quippe quia præsumi non potest,
quod Princeps, qui per ejusmodi Statutum
consuluit, & prospexit agnationi cætero-
rum de Populo, sibi tantum, & agnationi
suæ providere noluerit, ut in puncto pro-
bant *Rolan. cons* 86. *n.* 66., *& seqq. lib.* 1.,
Surd. cons. 525. *nu.* 15. *Gall. cons.* 4. *n.* 29.,
& seqq., *& cons.* 9. *n.* 4., *Menoch de præ-*
sumpt. lib. 2. *præsumpt.* 5 *sub n.* 8., *Merlin.*
de legit. lib. 3. *tit.* 1. *q.* 16. *n.* 10.
80 Altera, & quidem gravior facti circum-
stantia est, quod in hac ipsa, de qua agi-
tur, principali Familia, tum Principissa
Catherina anno 1662., tùm Principissa Mar-
gherita anno 1692., tùm denique Sere-
nissima Elisabeth anno 1714. sese eodem
Statuto affectas agnovisse videntur, dum
ad effectum validè renunciandi earum bona,
& jura, occasione, qua in Domino, & res-
pectivè in sæculo nupserunt ex speciali res-
cripto Ducum derogari obtinuerunt Statuto
Parmæ *de solemnitatibus observandis in*
Contractibus minorum, & filiorum fami-
lias, & de insinuandis donationibus, sicuti
apertissimè probant publica documenta Mi-
hi ad hunc effectum exhibita, in quibus
omnibus, cum tam in petitione, quàm in
concessione derogationis, ac tota rei gestæ
serie absolutè, & assertivè processum fuerit,
81 nil est curandum de particula illa *forse* quæ
in proœmio petitionis tàm à Ducissa Margha-
rita, quàm a Serenissima Elisabeth usurpa-
ta fuit, tum quia in renunciatione Princi-
pissæ Catharinæ dictio ista *forse* nullii-
bi legitur, tum etiam quia derogatio, &
dispensatio non ad cauthelam, sed absolutè,
ac pure petita, & respectivè indulta, certum,
& absolutum Statuti obstaculum pernecces-
se præsupponit, ut alias in simili dixit *Rot.*
Dec 373. *n.* 4. *p.* 13., *& dec.* 354. *nu.* 20.,
& seqq., *& n.* 35. *p.* 19. *rec.*
Præterea cum tam Principi Petro, quàm
Principi Horatio sine liberis ab intestato de-
functis superstites fuissent Dux Raynu-
tius Frater, & Principissa Maria Magdale-
na Soror, non modo non docetur eandem
Principissam fuisse ad illorum hæreditatem
82 admissam una cum Duce Fratre; Sed imò
quod attinet ad hæreditatem Principis Pe-
tri constat ex diverso, eam à solo Fratre fuis-
se aditam, sicuti deponit testis Sacerdos, &
familiaris, ac melius probat appropriatio bo-
norum defuncti Principis facta per memo-
ratum Ducem, quæ certè alio, quàm ad
titulum hæreditarium referri nequivisset,
83 dum licet idem Dux esset creditor fratris, si
tamen hæreditas fuisset jacens, nequivisset
illius bona sibi appropriare, nisi post da-
tum hæreditati Curatorem, *l.* 1. *ff. de Cura-*
tor. dand. l. Curator ff. de Curat., *Salgad.*
labyrinth. p. 1. *cap.* 2. §. 1. *nu.* 1., *& seqq.*,
Rota

84 *Rota cor. Durano. decis.* 84. *n.* 9. Unde cum dd. bona absque alia Juris solemnitate sibi ipsi addixerit, ne actus iste redoleat illicitam occupationem, quæ in Principe non præsumitur, omnino superest, ut referatur ad Jus, & nomen hæredis, cui so li quatenus creditor defuncti sit, prout esse sine dubio potest, *l. quod si possessor* 19., &
85 *l. ult.* §. *Sin autem ff. de petit. hered* bene de jure licet in causam ejus crediti bona defuncti appropriare, *l. Si ei* §. *Primo ff. de evict.*, *Soccin. jun. conf.* 170. *nu.*5. *lib.* 2., *Rot. cor. Seraph dec.* 1284. *in princ.*, & *cor. Ludovis. dec.* 67. *n.* 10., & *in rec. dec.* 172. *n.*10., & *seqq. p.*7., & sæpe alibi.
86 Si igitur illi de hac excelsa Familia sese affectos Statuto agnoverunt respectu solemnium etiam in contractibus cum ipsis Ducibus, & eorum favore celebrandis, non obstante, quod ejusmodi Statuta longè minus proportionata sint eorum dignitati, quam istud successorium, de quo modo agitur, ad *Text. in l. penult. C. de donat. inter vir., & uxor.*, *Cujac. de lust.*, & *jur. oper.*, *Posth. tol.* 33. *in fin.*, *Artur Duk de auctor. jur. Civil. Roman. lib.* 1. *cap.* 3.
87 §. 11. Si præterea cum alias defuncto sine liberis superstites fuissent frater, & Soror, ista penitus exclusa, solus frater hæreditatem adiit; jam ab omni dubitatione vacat, quod etiam illi de familia Principis Statuto
88 Parmæ afficiantur, cum observantia sit præ cæteris omnibus fidissima legum, & Statutorum Iterpres, *l. Si de interpret.*, & *l. seq. ff. de legib.*, atque in puncto concludunt *Hugo Grot. de Jur. Bell.*, & *Pac. lib* 2. *cap.*7. §. 11. *n.*8., *Gall. d. conf.* 10. *n.*7., & *seqq.*, *Gobb. de success. ab intest. observ.* 4. *n.*9., & *seq.*, *Merlin. de legit. lib.*3. *q.*16. *n.*13.
89 Quæ cum ita sint, irritus fortè labor videri poterat Doctoribus in contrarium allegatis quidquam respondere, cum Sac. Rota soleat eam sequi Sententiam, quàm rationum pondus, numquam numerus Doctorum commendat, ut per *Text. in l.* 1 §. *Sed neque C. de veter. jur. enucl.* alias dictum fuit in *d. Faventina Successionis* §.6. *in fin. cor. Rmo Aldrovando*, Sed ne quid lo causa gravi diligentiæ, & curæ videretur omissum, Patres singillatim recognitis Doctoribus omnibus pro contraria opinione cumulatis, alios loqui adverterunt in casu, quo de ipso Principe, ejusque hæreditate passivè agatur, alios in terminis, quod Statutum fuerit validè, riteque conditum a Civitate libera in statu libertatis, & deinde illi, vel nulla Principis confirmatio, vel tacitus solum assensus superaccesserit, aut si etiam expressus in forma tamen communi, alios denique de Statuto odioso, pœnali, aut ex alio capite filiis, & familiæ
90 Principis minimè proportionato; nullum vero in terminis, quod Statutum sit favorabile, & proportionatum, sed tamquam conditum à Civitate subdita pro ejus validitate indiguerit confirmatione Principis, & de facto confirmatum fuerit à Domino Supremo in forma specifica ante infeudationem; deinde vero post Infeudationem a Principibus Feudatariis confirmatum fuerit, & observatum etiam ab illis de familia ipsius Principis Feudatarii, prout est Statutum Parmæ, de quo agitur.

Et ita *videntibus omnibus PP.* resolutum fuit utraque &c.

CALAGURITANA DIMIDII BENEFICII.

Veneris 23. *Aprilis* 1723.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius emanatæ sub die 7. Decembris 1722.

Gratificatio Archiepiscopi favore unius de duobus æquè dignis locum habet, quandò Vicarii inter se in præsentando non fuissent concordes, & hinc inde diversam personam nominassent, quo casu idem Gratificatus, ac si solus fuisset electus instituendus est.

SUMMARIUM.

1 *Gratificatio Metropolitani habet locum, quando Vicarii æquè idoneos hinc inde præsentassent, & concordes in uno tantum subiecto non permansissent.*
2 *Gratificatus ad institutionem referendam jus adipiscitur, ac est considerandus, ac si solus fuisset præsentatus*, amplia, ut in n. 3.
3 *Gratificatio dicitur justa, quando de duobus magis qualificatus ab Archiepiscopo seligitur*, amplia, ut in n. 8.
4 *Qualitates præponderantiores habens in adiudicatione Beneficii præferendus est alteri eis destituto.*
5 *Sacerdos semper dicitur dignior Subdiacono pro reportanda institutione ad Beneficium.*
6 *Amplia, quando ipsius Ecclesiæ Constitutio demandaret, quod Sacerdos actu oliis habitu præferendus esset, & quare*, ac amplia, ut in n. seq.
7 *Dignior dicitur semper Sacerdos pro audiendis confessionibus approbatus, quam ille, qui adhuc non esset, atque prælatio competit, præsertim si esset senior isto.*
9 *Qualitates Beneficiati ad effectum reportandi gratificationem probandæ sunt de tempore præsentationis, & si quæ postea supervenerint, non sunt attendendæ.*
10 *Novum examen non conceditur post aliquod temporis spatium à Competitoribus petitum.*

DECISIO MCCCLXXVI.

Revocatis ad novum examen fundamentis contumacialis decisionis *coram Me edita die* 7. *Decembris superioris anni*, DD. sub consueto dubio exquisiti, approbandam

dam censuerunt beneficii, de quo agitur, adiudicationem, & respectivam institutionem decretam favore Emanuelis in exclusionem Matthię iterum informare recusantis, atque ideo responderunt pro persistentia *in decisis*.

Siquidem ratio decidendi iterum emer-
1 gere visa fuit ex eo, quod licet in expleto Beneficiatorum examine uterque ex competitoribus fuerit tamquam idoneus præsentatus coram duobus Vicariis Capitularibus ob vacantem Episcopalem Sedem deputatis; cum tamen illi non fuerint concordes, ex quo alter pręelegerit Emanuelem, & alter Matthiam, jàm ex Iuris dispositione, quàm juxta consuetudinem in beneficiis Loci de Victoria peculiariter vigentem, Jus gratificandi devolutum extitit ad Reverendissimum Archiepiscopum Metropolitanum, *ad text. in cap. cum autem* ubi *Glos. in verb. judicio Episcopi de Jurepatr. Barbos. de offic.*, & *potest. Episcop. allegt.* 62. *n.*199., *Rota post Vivian. de Jurepatron. dec.*131. *n.*15. *coram Coecin.*, *dec.*2318.
2 *n.*3., *& cor. Otthobon dec.*17. *n.*6. Et propterea Emanueli, qui talem reportavit gratificationem omni Jure competit petita beneficii adiudicatio, & respectivè institutio, cum haberi debeat, ac si solus fuisset præsentatus, ut probat *Vitalin. in Clement. plures n.*4. *de Jurepatr.*, *Lambertin. eodem tract. lib.*2. *p.*2. *q.*3. *art.*6. *n.*1., *Adden. ad Buratt. dec.*651. *n.*12., *Rot. coram Dunoxeto. jun. dec.* 717. *n.*3.

Quod eo facilius procedere visum fuit,
3 ex quo d. Emanuel in concursu alterius Competitoris de tempore gratificationis jam erat majoribus qualitatibus decoratus, itaut ejus favore assisteret meritorum præponderantia; cum enim in his terminis dubitari non possit, quod Rmus Archiepiscopus eligendo secundum Juris rationem personam magis qualificatam, justè processerit in gratificatione, *ad text. in cap. si fortè distinct.* 63., ibique *Glos. vers. nunc ergo post med. verb. Metropolitanus gratificat*, *Lotter. de re benef. lib.*3. *qu.*17. *n.*183., *&* 186., *Adden. ad Pamphil. dec.* 17. *num.*6.
4 absque ulla difficultate certior remanet adiudicatio beneficii ad illius tramites decreti favore dignioris omnino præferendi, ut in beneficiis Calaguritanæ Diæcesis passim dixit *Rota*, *& signanter coram Otthob. dec.*222. *n.*1., *& seq. cor. Peutinger. decis.* 394. *n.*2. *in rec. dec.*171. *n.*1. *p.* 10., *& dec.* 515. *n.*7. *p.*18.

Absque eo quod dubitari potuerit, quod
5 Emanuel esset magis qualificatus, magisque dignus, pro obtinendo controverso beneficio, quia ut ponderatum fuit *in decisione*, *quę revidetur*, ipse de tempore gratificationis jàm erat charactere Sacerdotali insignitus, & propterea uti talis pręferri debebat Matthiæ, qui in solo Subdiaconatus ordine reperiebatur constitutus, ad notata per *DD. in cap. Statuimus de major.*, *& obed.*, *Rot. cor. Cels. dec.* 169. *n.*4. *coram Peutinger.*, *dec.*343. *n.*1. *dec.* 394. *n.* 4. *in rec. d. dec.* 171. *n.*2. *p.*10., *& dec* 515. *n.*4.,
6 *& seq p.*18., attenta præsertim Constitutione ipsius Ecclesiæ de Victoria explicitè demandante, Sacerdotem in Beneficii adiudicatione cæteris paribus præferri Diacono, & aliis in ordine inferiori constitutis, dum illa legem facit particularem omnino observabilem, ut bene advertit *d. dec.*, *quæ revidetur §. Certiùs*, & firmat *Rot. cor. Benincas. dec.* 379. *n.*29, *& seq.*, *& in Bononien. Parochialis* 6. *Maii* 1715. *§ Et quidem cor. Emo Scotto*.

Potissime quia idem Emanuel est senior,
7 ac docuit etiam se approbatum ad excipiendas Fidelium Confessiones; quæ quidem qualitates, sicuti generaliter conferunt pro obtinenda prælatione in Beneficii adiudicatione, ut considerata senioritate notat *Bald. cons.*162. *in fin, vers. & in dub, lib.*4., *Barbat. cons.*23. *sub n.*13., *& seq. lib.*1., *Rota cor. Peuting. dec.*343. *n.*7., & de approbato ad audiendas Confessiones dictum fuit in *rec. dec.*515. *n.*11. *p.*18. *cor. Otthob. dec.*222. *n.*7., *& cor. Bich. dec.* 371. *n.*17., ita iis
8 concurrentibus in persona Emanuelis, absque dubio magis laudabilis, magisque justificata remanet Episcopi gratificatio in concursu Matthiæ, cujus qualitates, ac prærogativæ etiamsi post primum examen auctæ fuissent, adhuc nullam mererentur animad-
9 versionem, quia ad hunc effectum qualitates probandæ sunt de tempore præsentationis, & si quæ postea superveniant, nullatenus attenduntur, *ad text. in cap. si eo tempore de rescript. in* 6., *Lotter. de re Benef. lib.*2. *q* 48. *n.* 15., *Rot. cor. Friol. dec.* 23. *n.*14. *cor. Bich. dec.* 444. *n.* 13., *& seq.* Ex
10 qua ratione reputari solet minus proficuum novum examen post aliquod temporis spatium ab aliis Competitoribus, petitum ut docet *Rota cor. Comitul. dec.*114. *n.*19., *&* 20. *cor. Priol. d. dec.* 23. *nn.* 12., *& seq. cor. Otthobon. dec.* 123. *pariter n.*12., *& sequen.*

Et ità altera &c.

ARIMINEN. FIDEICOMMISSI BANDI DE BANDIS QUOAD INVESTIMENTUM SUPER STATU ACTIVO.

Veneris 23. *Aprilis* 1723.

ARGUMENTUM

Investimentum à Testatore iniunctum, quando per modum meri consilii censeatur; & quando præceptivè hic refertur; quodque non sint vendenda mobilia, neque animalia pro agrorum cultura inservientia pro effectu ejusdem investimenti deciditur.

Administrator præsumitur satisfactus de legato sui favore ex bonis administratis detrahen-

trahendo, præsertim si transigendo, vel emendo rem ab illius debitore compensationem numquam opposuerit.

SUMMARIUM.

1 *Solutio facta ab herede authoritate Judicis, præsumitur juste, & rite facta.*
2 *Inexigibilitas crediti probatur ex paupertate debitoris, & diligentiis judicialibus contra eosdem debitores inutiliter factis;* ampila, ut in n. 12.
3 *Partita mobilium modici valoris omissa, non destruit firmitatem Status activi hereditatis, præsertim si ex temporis lapsu attrita venirent præsumenda eadem mobilia.*
4 *Heres obligatus ad annuum investimentum de mandato Testatoris non tenetur vendere animalia pro agrorum cultura inservientia, neque domos mobilibus expoliare, ut pretium investiret.*
5 *Inventarium hæreditarium probat negativam bonorum existentiam in eo non descriptorum.*
6 *Status activus hereditarius non conflatur ex aliqua portione fideicommissaria ad ulteriores hæredes pertransitoria.*
7 *Domus Rurales non sunt calculandæ uti fructiferæ in statu hæreditario activo.*
8 *Administrator præsumitur sibi satisfecisse de suo credito legati detrahendo ex hereditate administrata, vel saltem illiquidum suum creditum effecisse*, & nn. 9., & 10.
9 *Legatum præsumitur satisfactum, ex quo legatarius in transactionibus, seu contractibus initis cum debitoribus illius, legatum numquam postulasset.*
10 *Amplia, si ab eisdem debitoribus rem emisset, & numquam compensationem cum credito legati opposuisset, imo illius persolvisset pretium.*
11 *Fructatus status hereditarii non conflatur ex partita argentorum hæreditariorum, quibus hæres pro usu proprio gauderet.*
13 *Compensatio inducitur ipso jure, si creditum sit certum, saltem in genere, licet sit liquidandum.*

DECISIO MCCCLXXVII.

QUÆ à principio inter partes dissentio erat super mero Juris articulo, an scilicet per modum præcepti, seu potius simplicis consilii iniunctum à Bando ejus hæredibus videretur annuum investimentum scutor. 200.; postquam Sac. Rota in duabus præteritis instantiis coram RR. PP. DD. meis Gamaches, & Cerro in eam ivit sententiam, quod fidei hæredum ita commissum censeretur, ut impune sperni non posset. Resedit tandem coram Me in alia longe graviori inspectione facti, utrum videlicet hæreditas ejusmodi oneri par esset, & idonea. Ad hanc igitur quæstionem dirimendam, electo de more Perito, ut iste retulit super statu ejusdem hæreditatis, & iterum subinde relationem suam de mandato DD. revidit, & recognovit; Operosa adeo, atque involuta visa fuit causa sub die 15. Ianuarii proxime præteriti, ut satiùs existimatum fuerit, divisis opportunè dubiis, priùs de statu activo, & deinde in subsequẽti Rota de passivo singillatim agere. Postremo, ut etiam facilior aperiretur resolutioni via, & illud quoque additum fuit, quod utrique Parti liberum quidem esset, de quibuscumque mallent partitis disputare, sive à Perito admissis, sivè etiam reiectis, aut in suspenso relictis, sed non aliis, quàm juxta notulam coram Me cõficiendam. Hodie itaque his omnibus impletis, proposui dubium -- *An, & quæ partitæ sint admittendæ in statu activo, itaut sit standum, vel recedendum à decisis*; & ex tribus supra decem partitis, quæ sub hoc dubio ceciderunt, *quoad tertiam usque ad decimam negativam, quo vero ad primam, secundam, & tres ultimas* rescriptum fuit, *iterum proponatur*, & videant Quintus, & Sextus.

Et sane tàm super prima partita scutorum 1263., quàm super secunda scutor. 4112., quas Peritus à Statu activo subduxit, cum paria hinc inde fuerint DD. suffragia, nulla capi potuit resolutio, sed quod attinet ad tertiam, præmisso in facto, quod Peritus pro censibus ab Ænea in solutũ datis pro finali solutione dotis Juliæ ejus Sororis delevit solũ à statu activo sc. 100., ut constat ex peritia §. 155., & ex revisione §. 34., quodque ex aliis censibus ab eodem Perito enumeratis in d. ejus revisione §. 35., 36., & 37. ipse tantummodo subduxit tres census, unum scut. 600, & alium scutorum 50.; de reliquis verò constituentibus in sorte summam scutorum 1915. meminit quidem in dicto §. 37., sed eam summam nequaquam detraxit, imo vero, calculatis fructibus favore hæreditatis, remisit judicio Sac. Tribunalis, utrum illi calculari debeant. Facile Domini convenerunt in sensu, quod hæc partita admittenda non esset in statu activo. Res-
1 pectu namque ad d: summam scutor. 100.; quicquid sit, an Æneas jure cogi posset præstare exigibilitatem perpetuam censuum in solutum datorum pro d; dote Juliæ ex iis, quæ deducta fuerunt in *d Ariminen. quoad census 13. Januarii 1712. §. Magisque cor. R. P. D. meo Falconerio*, illud utique certum est, quod ejus hæredes, & respectivè Auctores Comitis Galeatii illam de facto præstare coacti fuerunt vigore mandatorum A. C., quod sufficit, ut hæres rite, recteque solvisse censeatur, quodque ab ipso ita solutum fuit, hereditati accepto ferri debeat, *l. 2. C. de Off. Jud., Rota cor. Emer. dec. 554. n. 8., & cor. bo. me Beninc., decis. 44. n. 3., & cor. bo. me. Ansal. dec. 89. n. 48.*
2 Respectu vero ad alios census, quos Peritus delevit, tamquam inexigibiles, quamvis ex

ex parte Equitis Scipionis diceretur hujusmodi inexigibilitatem minimè probari, satis tamen de ea constare visum fuit ex paupertate debitorum, de qua nedum Catastrum publicum, sed etiam Testes fidem faciunt, & melius comprobant diligentiæ judiciales contra eosdem debitores inutiliter factæ, ad ea, quæ tradunt post *Gloss. in l. à Divo Pio §. in venditione capiantur ff. de rejudic. Cyriac. contr. 5. n. 142., & seq., Rota coram Bich. dec. 308. n. 8.*

Super quarta partita diu immorandum
3 non fuit, quia consultò omisso, an mobilia, & Animalia in hæreditate Baudi reperta ad ipsum pertinerent, vel potius ad aliam hæreditatem Bartholomæi; Ad effectum sanè, ne illa in statu activo calculanda sint, exuberare visum fuit, quod mobilia erant modici valoris, quodque longi temporis de-
4 cursu præsumi poterant attrita; Animalia verò destinata erant pro instrumento, & cultura fundorum; neque hæres debebat, aut poterat fundos Animalibus, aut Domum mobilibus expoliare, ut pretium investiret. Et ita quoque parū immorandum fuit super quinta; nam quod dicebatur in hæreditate Bandi tempore ejus obitus plures superfuisse fructus censuum inexactos, nullo innitebatur legitimo documento, præter vagam, & generalem quamdam possibilitatem, ni-
5 hil ex se concludentem, & cui obstabat inventarium hæreditarium, quod regulariter probat negativam quoad res, quæ in eo descriptæ non fuerunt, ut sæpe altàs dixit *Rota*, & signanter inter has easdem Partes in *Ariminen. Fideicommissi de Bandis 15. Aprilis 1701. §. Deveniendo coram Emo Scotto.*

Majorem difficultatem ingerebat sexta partità consistens in portione hæreditatis Æneæ Sen. obventa primum Bartholomæo, & deinde per ejus mortem jure reciprocæ substitutionis consolidata in Bando Fratre. Sed quidquid super expiratione hujus Fideicommissi incidenter, & ad aliud effectum dictum fuerit in *d. Ariminen. quoad census §. Siquidem cor. R. P. D. meo Falco-*
6 *nerio*, cum hodie mature recognito Testamento d. Æneæ senioris ad litteram ex eo constare visum fuerit de progressu dicti Fideicommissi etiam ad Nepotes, cæteroquin aliàs canonizato per Sententiam Eminentissimi Origo tunc A. C., & supposito quoque in *Ariminen. fideicommissariorum super reconventione 26. Junii 1697. §. Minus autem cor. bo. me. Molines*, DD. non dubitaruot eamdem portionem, tanquam restitutioni obnoxiam vigore antiquioris fideicommissi excludere à statu activo hæreditatis Bandi, per ea, quæ in simili dixit *Rota cor. Ninot. dec. 28. n. 25., & in Bononien. Fideicommissi de Ghisleriis 28. Apr. 1719. §. Constat cor. b. me. Ansaldo, et 16. Junii 1721. §. Constabilito cor. R. P. D. meo Cerro.*

Septimā partitā Rota censuit nō esse admit-
7 tendam, quia Domus ruralis nūcupat. *Rocca di Monte*, tanquam deserviente pro comodo Ministrorum, & usu Dominorum non reddunt fructum ab ipsis fundis, quibus inherent distinctum: Et similiter neque octa-
8 va calculari posse visa fuit, quia detractioni prælegati ab Ænea Seniore relicti favore Banā obitat administratio hæreditatis Ugolini, à cujus portione prælegatū detrahendū erat per ipsum Bandum tutorio nomine diū gesta, quæ operatur, ut ejus creditum, licet ex diversa causa descendens, præsumi debeat, vel illiquidum, vel extinctum, *l. Sed si damnum ubi scribentes ff. de pecul., Afflict. dec. 13. n. 16., & seqq., Rota cor. Seraph. dec. 1455. n. 5.; & cor. Cocein. dec. 1584. n. primo, & in Civitatis Vetulę pecuniaria 22. Aprilis 1709. §. Quontum cor.*
9 *Rmo Aldrovando*. Obstat insuper, quod Bandus fuit hæres Juliæ Albicinæ Matris, quæ illi, cæterisque filiis sub pœna caducitatis præcepit, ut recederent ab omni lite, & prætentione inter eos vertente super divisione hæreditatis Æneæ sen., & denique obstat, quod idem Bandus, neque in divisione anni 1702., neque in aliis subsequentibus annorum 1606., 1613., & 1614., de hujus prælegati detractione sollicitus unquam fuit; Imo verò ex post occasione, qua ab hæredibus Ugolini prædia quædam emit, nedum compensationem cum d. prælegato non opposuit, sed imò in diminutionem pretii tot censūs in se suscepit, quod
10 utique non fecisset, nisi de d. prælegato satisfactus fuisset, ut per hæc eadem verba, aliàs super consimili credito respondit *Rot. in Ariminen. Fideicommissi Bandi de Bandis super reintegratione quoad Prædium S. Mariæ in Cerreto 20. Martii 1710. §. fin. cor. Mc.*

Quoad nonam partitam recurrebat ea-
11 dem responsio, qua supra firmatum fuit, non esse admittendam quartam, quia Argenta per Bandum relicta non sunt in fructu & usui hæredis esse debebant; Et denique
12 quoad decimam compositam ex nominibus debitorum constitutis per apocas privatas in summa scutor. 531. 66., Domini pariter dixerunt non esse admittendam, quia constat de eorum inexigibilitate ex paupertate
13 debitorum, & si quæ ex illis exacta fuerunt per Æneam juniorem, contraponi debent aliis nominibus debitorum hæreditariis Bartholomęi, & ad manus Bandi perventis, ad *text. in l. Vranius ff. de fidejuss., l. Si constat C. de compens., Rot. coram Cerr. dec. 308. n. 28., et in rec. decis. 379. n. 19. p. 17.*

Super tribus aliis partitis in ordine 11., 12., & 13., quas Comes Galeatius contendebat esse demendas à statu activo, vel saltem reformandas, DD. non fuerunt concordes.

Et ita utraque parte informante &c.

ABI-

ARIMINEN. FIDICOMMISSI BANDI DE BANDIS, QUOAD INVESTIMENTUM SUPER STATU PASSIVO.

Lunæ 26. Aprilis 1713.

ARGUMENTUM.

Hæres fideicommissario nomine ad transactionem deveniens, quidquid ex ea super lucratur, non sibi, sed fidicommisso acquiritur. Filii primi gradus in trebellianicam fructus fideicommissi imputare non tenentur. Hæres censfus sui auctoris passivos extinguens, jura translativa non potest referre, sed mere extinctiva, ac de fructibus hereditariis legata solvisse præsumendus est.

SUMMARIUM.

1 *Hæres fideicommissarius omnes remittens prætentiones, quas suus Auctor habere posset contra aliquem per transactionem, censetur intellexisse etiam, quod remissum foret omne debitum ejusdem auctoris favore illius*; amplia, ut in 6.

2 *Hæres transigendo nomine hæredis fideicommissarii, quidquid ex tali transactione adipiscitur, cedere commodo fideicommissi dicitur, & non sibi*; & in n. 13.

3 *Amplia si hæres prædictus in iis, quæ hæreditatem fideicommissarium respexissent, nomine illius transegisset, & in aliis proprium interesse respicientibus fuisset stipulatus pro se, & suis.*

4 *Fructus fideicommissi filiis primi gradus non imputantur.*

5 *Hæres gravatus si passus fit evictionem, præsumitur relevationem à venditore reportasse, vel si non egerit ad eam consequendam, sibi imputare tenetur.*

7 *Legittima, & trebellianica deducto ære alieno debentur.*

8 *Partitæ minimæ quando non attendantur.*

9 *Hæres redimendo censum, quod gravabatur ejus auctor, non acquirit jura illius creditoris translativa, sed extinctiva tantum*, & n. 12.

10 *Hæres fideicommissarius præsumitur non de proprio, sed de fructibus hæreditariis legata, & vitalia persolvisse*; amplia, ut in n. 11.

11 *Hæreditas regulariter præsumitur opulenta, & apta ad solvenda debita hæreditaria.*

14 *Hæreditas non est gravanda sumptu retentionis ministri non necessarii.*

15 *Insufficientia hæreditatis, quæ fit in quæstione, namquam est supponenda.*

16 *Partita illiquida ad calculum admittenda non est.*

DECISIO MCCCLXXVIII.

POST discussas in antecedenti Rota partitas status activi, accedentibus hodie Dominis ad examen aliarum componentium statum passivum juxtà notulam coram Me concordatam sub congruo dubio – *An, & quæ partitæ sint admittendæ in statu passivo, itaut sit standum, vel recedendum à decisis*; Obvia primo loco facta est partita sc. 4495. 80., quam Peritus calculavit in statu passivo pro reintegratione Fideicommissi ordinati ab Ænea Seniore; dicebat enim Co: Galeatius, quod per obitum sinè Filiis Malatestæ, Pompeii, & Petri Filiorum d. Æneæ Senioris, universum ejus Fideicommissum, Legitima, & Trebellianica subductis, ascendens ad scuta 14549. consolidatum fuerat in tribus aliis Filiis superstitibus, Bartholomæo videlicèt Ugolino, & Bando, itaut cuilibet ex eis obtigerit pro sua virili summa scutorum 4495. 80.; cum autem ex post idem Fideicommissum purificatum fuerit favore Guidonis, & Æneæ Junioris filiorum d. Ugolini, sicuti firmatum fuit in decisione super statu activo §. *Majorem*, jam inde subdebat adscribendam fuisse debito Hæreditatis Bandi portionem in ipsum obventam, utpotè quam Filiis Ugolini Fratris per Fideicommissum restituere tenebatur.

Sed Domini ex hoc ipso, quod Fideicommissum purificatum fuerat, tàm favore Guidonis, quam Æneæ Junioris aliam de medietate hujus portionis debita Guidoni, & aliam de altera medietate Æneæ debita in eundam rationem censuerunt: Quod enim ad hanc secundam pertinet, non bene concordes, an donatio Prædii *Monte del Turro* per eumdem Bandum exposita favore Nepotum, suppleret vicem præventivæ restitutionis, aut facta censeri posset animo compensandi, eam novo Examini reservarunt cum solito rescripto *Iterum proponatur, & videant quintus, & sextus*. At verò aliam medietatem Guidoni debitam à calculo status passivi delendam omninò esse putarunt: idquè ex eo fundamento, quia videlicet post obitum Ipsius Bandi, occasione quà compositæ fuerunt controversiæ quædam, quæ inter dictum Æneam Juniorem Hæredem a Bando institutum, & Guidonem Fratrem ejusdem Bandi Legatarium exortæ fuerant inter cætera in ea transactione

1 conventa, Æneas, qui prius detrectabat annuam præstationem scutorum 600. Fratri legatam persolvere sub obtentu, quod redditus Hæreditarii tali oneri impares essent, promisit ei legato satisfacere in tot speciebus, & frugibus, pluresque alias remisit prætensiones, quas Bandi hæreditas contra Guidonem particulariter habebat: e converso autem Guido perampiè adeò remisit actiones, & Jura omnia sibi competentia vigore Aviti Fideicommissi Æneæ Senioris, ut ea stante, dubitari nequeat, quin omne

omne Bandi debitum ex ea causa descendens extinctum penitus, ac deletum pro hac medietate remanserit *leg* 1. *ff. de donat. Vrceol. de transf. quæst.* 82. *n.* 18., & 20., *Rot. dec.*109. *n.*1., & *seq. par.*5., & *dec.*477.*n.*3. *par.*13. & *decis.*653. *nu.*2., & *seqq. part.*19. *recent.*

2 Minimè urgente responsione, quod dicta remissio cedere debeat commodo ipsius Æneæ Junioris transigentis, non etiam Hæreditatis Bandi, sicuti colligi dicebatur ex *decis. aliàs edita* 16. *Junii* 1697. *cor. bo. me. Molines*: quamvis enim in ea decisione dictũ fuerit occasionaliter, & ad alium effectum, quod Guido renunciaverat favore Æneę; nullibi tamen firmatum fuit, quod idem Æneas Jure proprio quidquam acquisiverit ex dicta renunciatione, & remissione; imò verò neque tale quid firmari poterat, quia cum dicta remissio, & renunciatio ceciderit in hac parte super negocio ad Hæreditatem Bandi directò pertinente, conceptaque fuerit per pactum de non petendo, ac favore d. Æneæ reduplicativè uti hæredis Bandi, ibi -- *Nemeno molestare detto Sig. Co. Enea, come Erede delli Signori Co. Bartolomeo Bando sopra i Beni delle loro Eredità sotto pretesto, nè per causa, e vigore del Fideicommisso Avito, ò altra causa dependente da detto Fideicommisso* controverti sane nequit, quin contrahentes voluerint commodum dictæ remissionis directò cedere in beneficium Hæreditatis, & non hæredis *l. qui uti ff. de verbor. signif. l. si profundo C. de transf. Ruin. conf.*102. *n.*11., *Olea de cess. jur. tit.* 6. *quæst.*7. *nu* 8., *Vrceol. de transf. quæst.* 82. *n.* 26., & *seq.*, *Rot. coram Cerr. dec.*715. *n.*18., & *dec.*414. *n.*12. *par.*19. *recent.*, & *in Firmana Commendæ* 3. *Julii* 1713. §. *Potissimè coram bon. mem. Ansaldo*.

3 Id quod etiam clarius apparet ex aliis partibus ejusdem transactionis, in quibus actum fuit de rebus, & negociis particularibus ipsius Æneę. Cum enim quoad ista, idem Æneas expressè stipulatus fuerit *pro se*, & *suis*, manifestò apparet, quod dum in hac parte, quæ respiciebat Hæreditatem, & Fideicommissum Æneæ Senioris, non pro se, & suis, sed tamquam Bandi Hæres, stipulationem concepit non, sibi, sed Hæreditati Bandi voluit acquirere, juxta notissimam vim discretivæ, de qua *Rota coram Emer. junior. dec.*841. *nu.* 3. & *dec.*932. *a n.* 5., & *seqq.*, & *in recen. dec.* 601. *nu.*31., & *seqq. par.* 19.

Propositò secundo loco fuit partita respiciens Trebellianicam, quam sanè Co: Galeatius non inficiebatur potuisse per Bandum detrahi à sæpedicta Hæreditate Æneæ Senioris, imò etiam jus illam detrahendi in ejus Hæredes transmitti; solum namque contendebat, quod isti tenebantur fructus Hæ-

4 reditatis in eam quartam imputare. At verò cum in præsenti non quæreretur de ulterioribus Hæredibus, sed de ipso Bando filio primi gradus, qui juxtà Sententiam Eminentissimi Origo eamdem Trebellianicam, cum effectu detraxit, jure visus fuit Peritus hanc detractionem admisisse, cum peculiare sit in filiis, quod fructus in Trebellianicam non imputant -- *leg. Jubemus C. ad Trebell.* ubi Doctores omnes, & in omnem casum semper urget remissio Fideicommissi, de qua in §. *Superiori*.

Succedebat tertia partita sc.800. composita in parte ex sc.500. ab Ænea juniore solutis proprętio cujusdam Prędii denominati *il Crocifisso* empti per Bandum, & ex reliquis scutor.300. erogatis ab eodem Ænea in extinctionem quorumdam censuum, pro quibus Bandus fideiusserit. Super hac partita, quoad sc. 500. Domini non fuerunt concordes, ideoque rescripserunt, *Iterum proponatur*; *Coadjuventur probationes*, & *vide-*

5 *ant quintus*, & *sextus*. Sed quoad alia sc. 500. censuerunt non esse admittendam in Statu passivo, quia cum dictum Prædium *del Crocifisso* post non ita multo evictum fuerit, præsumi debet, quod Æneas debitam relevationem à Venditore obtinuerit, vel si non egit pro evictione consequenda sibi imputare debet, *Rot. dec.*313. *n.*8. & 9. *par.* 9. & *dec.*158. *n.*12. & 13. *par.* 15. *rec.*

Circa quartam partitam sc.2884. loco fundi, & Capitalis à Perito assignatam pro solvendis præstationibus vitalitiis, & collectis impositis super Prædiis rusticis, censibus, ac Domibus, & pro earumdem Domorum reaptationibus, cum in preterita Rota indecisa remanserit quantitas fructuum perceptorum, nulla hodiè capi potuit resolutio, & ideo rescriptum fuit *Dilata*, & *habebitur ratio in liquidatione fructuum status activi*.

Quinta partita scutor.454 constituebatur ex sc. 150., quę dicebantur ad manus Bandi pervenisse ex administratione tutelæ, & curæ Æneæ junioris, ejusque fratrum, & ex aliis scu. 304. solutis per eumdem Æneam, & Guidonem pro totidem, de quibus remanserat debitor Æneas senior in emptione Pre-

6 dii *di Molacorne*, sed respectu ad dd. scuta 150. obstabat transactio anni 1639. in qua remissa fuit quæcumque prætensio, etiam ex causa dictæ tutelæ: respectu autem ad

7 alia scuta 304. cum debitum pertineret ad Hæreditatem Æneæ senioris; & non Bandi, illud quidem poterat in aliquo diminuere Legitimam, & Trebellianicam Bando com-

8 ptentem, sed cum reducatur ad quid minimum, non videbatur dignum cura Dominorum, qui proptereà ad hanc partitam negativè rescripserunt.

Quoad sextam respicientem credita hęreditatis Bartholomæi adversùs Bandum, responsum fuit *Dilata*, & *expectetur resolutio super existentia*, & *compensatione dd. Creditorum, super quibus pendet Judicium separatum*, sicuti probat Decisio *in Ariminen. fideicommissi Bandi de Bandis quoad Census* 20. *Februar.* 1713. §. *Ad effectum*

autem

autem coram Reverendiss. Aldrovando.
9 Quo vero ad septimam, licet pro parte Co: Galeatii diceretur ascribenda esse debito hereditatis Bandi Capitalia, & fructus censuum, quos in se Bandus assumpsit in emptionem Prædiorum *Sanctæ Mariæ in Cerreto*, *la Manfrona*, & *S. Laurentii in Correggiano*, & subinde post illius obitum redemit Æneas junior: Domini nihilominus responderunt, partitam fructuum ex dd. censibus proevenientium, non esse admittendam, quia Æneas illos redemit, non translative, sed extinctive, tamquam heres ejusdem Bandis debitoris, sicuti alias declaravit *Rota in Ariminen. Fideicommissi Bandi de Bandi* 24. *Martii* 1702 §. *Siquidem coram clar. mem. Card. Priolo*, & *in alia Ariminen. super reintegratione quod Prædium Sanctæ Mariæ in Cerreto* 21. *Martii* 1710. §. *Verum cor. Me*, & 19. *Junii* 1711. §. *Nec subsistere*, & §. *Accedentibus coram R.P. D. meo Falconerio*, & 20. *Februarii* 1717 §. *penultimo coram Reverendissimo Aldrovando*, quæ sanè Decisiones juxtà notissimum stylum Sacri Tribunalis sunt hodiè supponendæ.

De legato scutorum 500. relicto per Bandum Horatio Montangna, in quo consistebat octava partita, dictum fuit, quod esset admittendum in statu passivo pro medietate tantum, nempè pro sc. 250., quæ reverà Æneas jun. Bandi hæres per viam transactionis illi persolvit: respectu autem ad nonam scutorum 14068. 60. quam Co: Galeatius calculari petebat in eodem statu passivo, ex
10 quo Æneas jun. ab anno 1623. ad annum 1649. tantundem persolverat pro Legatis, & aliis oneribus à Bando relictis: Domini ejus Instantiam rejecerunt, quià nullibi constat, quod Æneas junior quidquam de proprio in eam causam erogaverit, & ex opposito potiùs præsumi debet, quod oneribus hæreditariis, ut plurimum consistentibus in annuis Legatis, & præstationibus vitalitiis satisfecerit cum fructibus hæreditariis, juxtà præceptum ipsius Bandi: haud enim supponi potest, quod dd. fructus impares essent dd. oneribus, cum hoc ipsum modo in quæstione sit, & nisi concludenter probetur, sem-
11 per obstat præsumptio illa juris, qua cautum habemus, ut hæreditas censeatur potiùs opulenta, & idonea, juxta deducta in *Decisionibus Causæ* 4. *Februarii* 1718. §. *Nec aliqua coram R.P.D. meo Cerro*, & *in Decisione, quæ revidetur* §. *Nulla equidem*.
12 Similiter nequè admitti posse visa fuit decima partita composita ex aliis septem subalternis quatuor namque priores continent solutiones factas ab Ænea juniore uti Hærede Bandi, nulla reportata jurium cessione translativa, undè recurrunt ea, quæ supra firmata fuerunt §. *Quoad sextam*: Respectu quintæ, & sextæ dictum fuit, quod licet, idem Æneas jura Legatariorum nomine proprio acquisiverit per viam transactionis, quia tamen transactio cecidit super re, & negocio hæreditatis, seu fideicommissi, totum commodum ex ea proveniens illius, & non Hæredis beneficio cedere debet, *Urceol de transf. quæst.* 82. *n.* 30. *in fin.*, *Rot. dec.* 306. *nn.* 6. *par.* 5. & *decis* 650. *n* 2. *coram Cerro*, & *decis* 1031., *utrobique n.* 3. & 4. & *dec.* 1059.
14 *n.* 18. *cor. Emer. junior.* Et denique quoad septimam, cum non probetur necessitas retinendi Ministrum Ruralem, nec quod de facto ab Ænea retentus fuerit, non est utique hæreditas ejusmodi onere temere prægravanda ex juribus notissimis.

Ab alia pretensione Comitis Galeatii, in qua consistebat undecima partita, quod nimirum si quid superfuit ex redditibus hæreditatis, tribuendum erat hæredi pro ejus manutentione, non verò erogandum pro controverso Investimento; Domini, per
15 quam facilè sese expedierunt, quia insufficientia redditum hæreditatis, cum sit in quæstione supponi non potest, undè firma remanent, quæ aliàs in exclusionem hujus partitæ deducta fuerunt in omnibus hujus Causæ Decisionibus, & presertim *in illa* 25. *Januarii* 1715. §. *Contrariis coram R.P.D. meo Cerro* 15. *Februarii* 1717. §. *Ex præmissis cor. R.P.D. meo de Gamachet*, & *rursus* 4. *Februarii* 1718. §. *Nec aliqua coram R.P.D. Cerro*.
16 Superfuisset duodecima, & ultima partita respiciens decimas Parochiales, & datium Communitati solvendum in venditione vini, & olei: sed cum hæc partita penderet à liquidatione fructuum super statu activo, meritò quoad istam rescriptum fuit -- *Dilata*.

Et juxta hunc modum Domini concluserunt, partitas non esse admittendas, & respectivè standum esse in decisis utraque &c.

TOLETANA CAPPELLANIÆ.

Ven. 3. *Aprilis* 1723.

ARGUMENTUM.

Legata Pia celerem requirunt exequtionem, etiam si status hæreditarius in illis erogandus, firmatus adhuc non esset; quo casu in rata appurata pia Testatoris mens, *pro eo tunc*, est etiam ex Judicis officio adimplenda.

SUMMARIUM.

1 *Decisiones emanatæ super uno Causæ articulo sunt præsupponendæ; imo si contradictoris concurrat acceptatio, unica inspectio remanet circa exequtionem celeriter demandandam.*

2 *Heres fiduciarius nudus Minister, & custos hæreditatis, tenetur omnes effectus hereditarios restituere, ut possit deveniri ad integralem exequtionem voluntatis ejus fidei commendatæ.*

3 *Voluntas piæ testatricis adimplenda est meliori modo, quo potest, immo justum est, ut* in

in discordia circa liquidationem Status hæreditaris, summa liquida in tale supplementum erogetur pro illo tunc; amplia, ut in nn. 4. 5. & 7.

4 *Judex, sive ad petitionem partis, sive etiam ex officio, potest compellere hæredem, ut piam testatoris mentem exequatur.*

5 *Legata pia celerem petunt exequtionem ob suffragium animæ defuncti*; amplia, ut in n. 6.

6 *Legata pia sunt illico exequenda, ne testator alias amittat meritum, quod ex illorum adimplemento consequeretur.*

DECISIO MCCCLXXIX.

QUemadmodum Sac. Tribunal nullam, & irritam canonizaverat institutionem hæredis, quam vigore mandati procuræ ad testandum reciprocè confecti cum Angela ejus prædefuncta Uxore in sui ipsius personam exaraverat Francifcus Michael Urquide, declarando dictum Franciscum Michaelem hæredem tantum fiduciarium cum onere fundandi Cappellaniam de omnibus bonis ejusdem Angelæ, *ut ex decisionibus editis 27. Junii 1704., & 26. Junii 1705. coram bon. mem. Caffarello*; ita non substineri, nec attendendam fore decrevit assignationem ducatorum 4000. de Veglion., quam subinde sub certis legibus, & vinculis pro fundo dictæ Cappellaniæ erigendæ, in ejus ultimo, cum quo decessit Testamento, expleverat idem Franciscus Michael, *ut ex decisione edita 8. Martii 1717. coram Eminentissimo Althann.*

Verum quia super liquidatione assis hæreditarii dictę Angelæ convenire nunquam potuit hæres Francisci cum Executoribus Testamentariis, aliisque interesse habentibus, hucusque protracta, & effectu vacua permansit injuncta Cappellaniæ erectio, cujus implemento cum tandem proclivem, ac facilem sese exhibere Joseph de Malo hęres mediatus dicti Francisci, negotium coram Me reassumi curavit mediante opportuno dubio -- *An sit standum, vel recedendum à decisis coram bon. mem. Caffarello* -- & Domini non obstante dilatione petita per Serranum, aliosque Consanguineos Angelæ Testatricis, respondendum esse censuerunt *in decisis juxta modum inferius exprimendum*.

1 Quandoquidem in hodierna audientia per hæredem mediatum dicti Francisci Michaelis in quæstionem amplius revocatum non fuit ejus Auctorem mediante recensito mandato procurę fiducialitèr tantum institutum fuisse hęredum ab Angela Uxore cum onere erigendi Cappellaniam ex omnibus illius bonis, & propterea cum in tuto remaneant fundamenta decisionum *super hoc puncto editarum cor. bon. mem. Caffarello*, ad tramites propositi dubii, ambigi nullatenus potuit de earum approbatione, imò stante in hac parte explicità Contradictoris acceptatione, unica inspectio remanet circà executionem celeritèr demandandam, supposita justitia earundem resolutionum, *Rot coram Benincas. dec. 267. n. 5., in rec. dec. 68. n. 8. p 17 in Civitatis Castelli supplementi Legitimæ super reservatis 18. Februarii 1715. §. Desumebant cor. R. P. D. Cerro, & in Romana, seu Camerinen. Pecuniaria 10. Januarii 1718. §. Absque eo quod cor. R. P. D. meo Falconerio.*

2 Absque eo quod obicem præbere potuerit, quod valor totius assis hæreditarii præfatæ Angelæ adhuc dici non possit legitimè liquidatus, & proindè nequeat deveniri ad ullam demandatæ erectionis executionem, licèt enim dictus Joseph causam habens ab hærede fiduciario, qui fuit nudus Minister, & Custos bonorum, teneatur omnes effectus hæreditarios restituere, ad effectum devenìendi ad integralem executionem voluntatis ejus fidei commendatæ *ad firmata per glos. in leg. Sejus Saturninus ff. ad Trebell. Carol. Anton. de Luc. de confident. hæred. instit. cap. 4. n. 6. & cap 3. n. 1. cum aliis relatis in decisionibus hujus causæ, ut prima 27. Junii 1704. §. Constito, & 26. Iunii 1705. §. Absque eo quod coram bon. mem. Caffarello, & 8. Martii 1717. §. Ratio autem, & §. Ex his coram Eminentissimo Althann*;

3 cum tamen dictus Joseph hæres mediatus offerat erigere Cappellaniam pro summa ducatorum 700. auri de Camera, juxtà liquidationem factam in Inventario assis hæreditarii de ordine S. Auditorii alias confecto, una cum reservatione Jurispatronatus favore Serrani, & aliorum Consanguineorum ejusdem Angelæ; Domini inhęrendo huic oblationi, ut interim piæ Testatricis voluntas aliquo modo impleatur, pro executione editarum resolutionum, non hæsitarunt pro nunc demandare erectionem Cappellanię in d. summa ducatorum 700., ut separando partitas liquidas ab omni exceptione immunes, omissa exactiori liquidatione alias amplexa fuit *Rot. in Romana redditionis rationis 3. Junii 1707 §. final. cor. Emo Scotto, & in Civitatis Castelli Census 7. Decembris 1708. §. Quoad bona coram bon. me. Kaunitz.*

4 Quod eò facilius videbatur amplectendum in casu præsenti, ex quo agitur de erectione Cappellaniæ jam diù per fundatricem demandatæ in suffragium propriæ animæ; cum enim res sit de executione operis pii Deo gratissimi, & salutem animæ respicientis, post longævam, ac minus laudabilem Executorum, aliorumque interesse habentium acquiescientiam, omnis ratio, omnisque pietas suadet, ut Judex, sivè ad petitionem partis, sivè ex officio hæredes ad implementum compellat ad tradita per *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 27. sub nu. 30. Ciarlin. contr. for. lib. 1. cap. 5. n. 30., & 31.*

5 Ejusque favor, dubium non est, quod celerem exigat executionem, ut ità ex suffragiis & piis operibus anima Testatricis ape-

pœnis Purgatorii subtrahatur, ad *Text. in cap. in litteris 5. in fin. de Raptor. & in leg. nulli Cod. de Episc., & Cleric. Barbos. ubi supra d. cap. 27. n. 43. & seqq. Lar. de anniv. & cappel. lib. 1. cap. 1. n. 21. Amostaz. de Caus. piis lib. 2. cap. 5. n. 1. & cap. 6. num. 2.*

6 alias enim manente sinè effectu demandata Missarum celebratione, quæ ad Divinum Numen, & Ministerium spectat, Fundatrix consequi nequit fructum Sacrificii, & amittet meritum, quod quis eo magis consequitur, quo se in hac re liberaliorem erga Deum demonstrat, ad *Text. in cap. Requisiti de Testam. Rot. in recent. dec. 150. n. 27. p. 12., & in Romana donationis 27. Junii 1718. §. Eodemque cor. R. P. D. Cerro.*

7 His autem ponderatis pro fundamento præsentis resolutionis, animadvertebant Domini *in dicta postrema decisione edita sub die 8. Martii 1717. coram Eminentissimo Altann.*, alias fuisse dubitatum de legalitate recensiti Inventarii constituentis assem hæreditarium in dicta summa ducatorum 700., imo Actores prætendere alia adesse bona ibidem non descripta; hinc proinde accuratè procedentes, ut consultum remaneat indemnitati Partium, eidem resolutioni modum addere censuerunt, reservando scilicèt Jura Colligitantium, ad hoc, ut in ulteriori Causæ processu, una cum aliis disputationibus in suspenso relictis in præcedentibus decisionibus, sub maturiori judicio liquidari etiam valeat valor præcisus bonorum hæreditariorum Angelę, quo recognito in maiori quantitate, pari Jure augeri possit fundus Cappellaniæ usque ad præsens non erectę, juxtà particulares reservationes quas pro majori Justitiæ complemento passim adhibere solet Sac. Tribunal, ut videre est *coram Benincas. dec. 267. nu. 5. in Sabinen. Manutentionis, seu bonorum 12. Junii 1722. §. final., & in Romana redditionis rationis 5. Iunii ejusdem anni §. Exclusa cor. Me.*

Et ità resolutum fuit non obstante dilatione per Actores petita &c.

ROMANA, SEU PORTUEN. TERRARUM SUPER FRUCTIBUS.

Mercurii 5. Maii 1723.

ARGUMENTUM.

Exactio fructuum in certa designata quantitate ex affictuum Instrumentis probatur, ac ex testibus de facto proprio informatis, ex particis librorum ipsius Bonorum possessoris, simulque ex juribus ab isto met, licet ad aliud effectum, & cum protestatione *per compulsum* in actis productis.

SUMMARIUM.

1 *Libri privato usui retenti contra Scribentem plenè probant quot fructus iste perceperit, non verò ejus favore concludunt, quod maiorem quantitatem ipse idem non receperit.*

2 *Exactio fructuum negativa non probatur ex inspectione proprii libri, quoties affirmativa aliunde probari potest.*

3 *Perceptio fructuum in certa quantitate optimè desumi potest ex juribus productis ab ipso debitore in altero Judicio, ad effectum firmandi eorum quantitatem contra tertium, licet productio sit facta cum clausula* -- per compulsum -- & vide rationem in n. 4., & amplia, ut in num. 12.

4 *Quis uti debet eodem Jure, quo contra alterum usus sit.*

5 *Fructus prædiorum bene liquidantur ex computatione anni fertilis cum sterili intra decennium facta per Peritos, ac ex instrumentis affictuum*, & nn 7. 8. & 14.

6 *Fructus levioribus probationibus liquidantur.*

9 *Non possunt liquidari ex instrumentis locationum bonorum præcisum tempus non percutientium, sed istę in linea adminiculorum bene possunt admitti.*

10 *Fructus optimè liquidantur ex probatione desumpta ex libris ipsius debitoris, qui eos diligenter adnotasset, & in certa quantitate, licet ad alium effectum, eos fassus esset*, & num. 11.

11 *Confessio propria omni probationum genere est prestantior.*

12 *Quantitas fructuum probatur ex oblatione pretii, quam, qui eos percepit domino directo fecisset, etiam si cum expressa protestatione, ne ex ea jus alteri quæreretur*; & quare vide num sequenti.

13 *Amplia ut ex actu etiam nullo veritas hæc deduci possit in linea probationis.*

DECISIO MCCCLXXX.

IN solemni Instrumento transactionis, quæ approbante Sanctissimo Pontifice Innocentio XII. anno 1699. inita fuit inter cl. mem. Principissam Mariam Annam de la Tremoglie vid., & hęredem à Duce Flavio Ursino relictam, & Ven. Collegium Germanicum, & Hungaricum Urbis, cum aliæ plures controversiæ, quę inter eos vertebant super quibusdam Tenutis, ad quas Collegium jampridem associari obtinuerat ob Canones non solutos, mutuo consensu compositæ fuerint.

In eo tamen quod attinet ad fructus durãte judicio purgationis moræ ex eisdem Tenutis per Collegium perceptos à die 3. Martii 1684., usque ad totum mensem Septembris 1696., promisit quidem Collegium illos restituere ad formam rei judicatæ, & mandati rotalis contra ipsum relaxati præviis tribus decisionibus desuper editis coram bon. mem. dell' Olmo, & nunc impressas penès *Antonell. de Jur., & oner. Cleric. decis. 34. 35., & 36.*: Sed quia Collegium

sustinebat fructus dicti temporis non exce-
dere summam sc.23.mil.,è contra verò Prin-
cipissa contendebat ad longè majorem
quantitatem ascendere, res in hunc modum
composita fuit, quod nempè Collegium sol-
veret dictam summam, quam ultro recepis-
se fatebatur, proùt de facto solvit; Princi-
pissæ verò salva, & illæsa maneret facultas
liquidandi ulteriorem fructuum quantita-
tem, prout expresse reservata fuit sub con-
ditione, quod pecuniæ in eam causam sol-
vendæ, in Sacro Monte Pietatis deponeren-
tur ad commodum creditorum Domus Ur-
sinæ.

Aliis gravioribus Curis Principissa distra-
cta quousque vixit ab ulteriori liquidatione
supersedit, sed ea coram Me post ejus obi-
tum reassumpta per Æconomum Patrimo-
nio Ursino deputatum, proposui hodie du-
bium -- *An, & in qua summa sint liquidan-
di fructus ultrà solutos in transactione* -- &
DD. responderunt liquidandos esse pro
nunc in summa sc. 13. mil.

1 Quamvis enim Collegium etiam hodie
sustineret fructus per ipsum eo tempore
perceptos non excessisse summam sc.23.mil.
jamdiu in transactione solutam, iterumque
ad hunc effectum adduceret calculum in-
troitus ex propriis libris extractum, ex quo
subductis expensis, & annuo Canone Tenu-
tæ Emphytheuticæ nil ultrà eam summam
reddidisse videbantur: Domini tamen ma-
turè animadvertentes ejusmodi libros pri-
vato usui retentos, aptos quidem esse proba-
re contrà scribentem, quod tanti fructus
percepti fuerint, non verò ejus favore con-
cludere, quod major quantitas percepta
non fuerit, ut benè distinguit *Pacion. de lo-
cat. cap.19. n.46. 50., & seqq. Rota dec.263.
num.15. par.7., & coram Bich. dec. 495. n.7.*
2 *& decis.503. n.12., & 31.* præcisam eorum
quantitatem aliundè liquidandam censue-
runt etiam propter generalem illam regu-
lam, de qua *Rota dec.225. n.8. & 9. par. 18.
recen.*

3 Assumpto itaque examine documento-
rum, quibus innitebatur Æconomus, negari
profectò non poterat, quod contra Colle-
gium valdè urgerent Instrumenta affictuum,
& relationes Peritorum per ipsum produ-
cta in actis Rotalibus de tempore, quo præ-
tendebat restituendos sibi esse fructus, quos
Dux Flavius ab eisdem Tenutis perceperat
a die incursæ, & declaratæ caducitatis, usque
ad diem 10. Maii 1682., qua Collegium natu-
ralem earumdem tenutarum possessionem
accepit; licèt enim dicta jura producta fue-
rint per compulsum, & cum solitis clausulis
salutaribus, quia tamen Collegium super iis
fundaverat intentionem suam, iisque usum
fuerat contra Ducem ad hunc præcisum ef-
fectum liquidandi fructus, non videbatur
hodie posse illorum relevantiam controver-
tere tùm propter generalem illam Juris re-
gulam à naturali æquitate desumptam, qua
4 cautum est, ut quo jure quis contra alium
usus fuerit, eodem & ipse utatur, de qua
est *Tex. in l.1., & tot. tit. ff., & Cod. quod
quisque Juris.* -

5 Tùm, & certiùs, quia dictas relationes
Peritorum annum sterilem cum fertili per
decennium peræquantes, & instrumenta
affictuum tempus controverso proximum
percutientia, etiam sine alia extrinseca ap-
probatione Collegii per se ipsa videbantur
plurimi facienda in præsenti Judicio liqui-
6 dationis, in quo cum leviores etiam proba-
tiones admittantur *Rota decis.283. num.7.,*
7 *& dec.398. n.22. par.17.* plurimum sanè de-
fertur Peritis, si præsertim, ut in casu ultra
artis adiumenta concurrat in iis cognitio
magis specifica, ex quo prædia conduxe-
rint: aut incoluerint, ut alias advertit *Rot.
post Pacion. de locat. decis.2. §. Hinc duo, &
decis.9. §. Huiusmodi in fine & in Placen-
tina Bonorum 9. Decembris 1680. §. Cæte-
rum coram bon.mem. Albergato, & in Eu-
gubina, seù Senogallien. devolutionis super
fructibus 16. Maii 1698. §. Nulla enim cor.
8 bon.me. dell'Olmo,* & multò magis defertur
Instrumentis locationum, cum nemo præsu-
matur rem alienam conduxisse pro majori
pensione, quam sit illius redditus, *Ad den. ad
Gregor. dec.101. nu.5. in fine Rot. post Pa-
cion. decis.15. §. Nec ex eo, & coram Coc-
cin. dec.1013., n.65. & in recen. dec.20. nu.
13. par. 18.*

Hæc igitur cum essent in causa non sine
aliquo juris colore, deductis sc.23. m. in actu
9 transactionis jam persolutis, petebat Æcono-
mus liquidari controversos fructus juxta
alterum ex duobus calculis per eum effor-
matis ad formam dictæ Peritiæ, & affictuum,
vel scilicèt in summa scu.63367., vel saltem
in summa sc.41179. 50., sed quia instrumen-
ta locationum non percutiebant tempus
præcisum; Periti verò non fuerant judicia-
liter electi, DD. censuerunt posse quidem
illa admitti in linea adminiculorum, sed
non recipi tamquam sufficientem probatio-
nem, atque ideo mediam viam, quæ semper
veritati proprior est eligentes, relicta in sus-
penso majori summa quousque aliæ cumu-
lentur probationes, vel ex libris domus
10 Ursinæ, vel aliundè desumendæ; Pro nunc
arbitrati sunt fructus esse liquidandos in
summa sc. 13. mil., quia pro hac summa una
cum dictis peritiis, & locationibus jungitur
alia valdè gravis probatio, oriens ex publico
instrumento anni 1696. in quo Rector tunc
temporis Collegii ad effectum retinendi
contra rescriptum Signaturæ bona nunc con-
troversa, obtulit quotannis solvere fructuum
nomine Duci Flavio sc.3. mil., sicuti enim
ex hoc Instrumento colligebatur, quod di-
cti fructus, deducto Canone, & expensis ad
eam saltem summam quolibet anno ascen-
debant, ità ducto ad eam rationem calculo,
evidens reddebatur, quod iidem fructus
spatio annorum 12. componebant summam
sc. 36. mil. à quibus subductis sc. 23. m. solu-
tis in transactione, remanebat Collegium li-
qui-

11 quidus debitor aliorum sc. 13. mil, & quidem ex ipsa ejus confessione, quam hodiè impugnare non potest, cum præsertim facta fuerit in actu valdè serio, & sit etiam à dd. aliis documentis adminiculata, *Vulgas. leg. cum precum C. de liber. caus. coram Benine. decis. 274. num. 4., & dec. 262. n. 40. par. 19. recen.*

12 Nil turbante responsione, quod prædicta oblatio nullum habuerit effectum, quodque insuper exposita fuerit favore solius Ducis ex certis particularibus causis, & cum expressa protestatione, quod nemini alii jus ullum ex ea quæri posset; Objectio enim procederet, quatenus hodiè ageretur pro executione dictæ Oblationis, sed cum ea deducatur ad unicum finem probandi fa-
13 ctum majoris quantitatis fructuum; Ad hunc sanè effectum etiam ex actu nullo, & ineffectuato legitimum trahi potest veritatis argumentum, quia nemo sibi facile suaserit voluisse Rectorem plus offerre, quam annui redditus paterentur, *Roc. dispu. Jur. cap. 42. n. 44. Altograd. Jun. controv. 60. n. 55. Rot. in Forosempronien. donationis 20. Martii 1711. §. Haud attento cor. Reverendissimo*
14 *Aldrovando*; Etsi inspiciantur locationes, & depositiones Peritorum, vix ac ne vix quidem dubitari potest, quin fructus liquidi, & depurati ab omni onere, & expensis, attigerint dictam summam adeò minorem in oblatione contentam.

Et ità videntibus omnibus DD. resolutum fuit utraque &c.

ROMANA LOCORUM MONTIUM.

Lunæ 10. *Maii* 1722.

ARGUMENTUM.

Præsens decisio est confirmatoria alterius emanatæ sub die 27. Januarii 1721.

Loca Montium in liberum viri dominium pertransacta ex lege in constitutione dotis apposita, possunt ab isto resignari, vel attergari favore tertii, etiam si Judicis mandatum pro assecuratione dotis supervenerit, quando nullum vinculum, neque in libris Secretariæ, neque in litteris patentibus fuisset adnotatum, quod unicè attendi debet. Hypotheca dotalis favore mulieris longè distat a dominio, & quare?

Judex tenetur de dolo, si mandatum de deiendo, non citato creditore hypothecario, relaxat.

SUMMARIUM.

1 *Attergatio locorum Montium admissa per Officiales Papæ, non potest amplius retractari in præjudicium attergatarii, qui pecunias suas, ea stante, ad cambium dedisset*; amplia, ut in n. 11.

2 *Attergatarius locorum Montium non acquirit Jus per attergationem factam à non verò Domino eorundem locorum.*

3 *Loca Montium dotalia Uxoris pleno jure dominii acquiruntur à viro, in quem uxor transtulisset omnia jura, ad effectum de illis liberè disponendi amplis verbis*, & vide casum, & amplia, ut in nn. 6. & 7.

4 *Amplia, si vir obtinuerit descriptionem eorundem in sui faciem apud Ministros Secretariæ, qui uti legitimum Possessorem in istius Codicibus eum descripserint.*

5 *Codices Secretariæ Montium probant pertinentiam locorum.*

7 *Dominium locorum Montium viro delatum ex constitutione dotis, ab isto non perditur, si superveniat mandatum Judicis pro assecuratione dotis, cum istud simplicem pariat hypothecam favore mulieris*; & n. 8. ac vide casum.

8 *Probatur, ex quo mulier hypothecam dotalem super illis reservasset, sive per mandatum Judicis sibi acquirere procurasset.*

9 *Amplia, ut vir tali casu etiam post mandatum, & sine mulieris consensu possit eadem loca in sui faciem describi facere apud Ministros Secretariæ.*

10 *Loca Montium de mandato Judicis pro securitate dotis mulieris, deleto hujusmodi vinculo, possunt liberè per virum resignari, sive attergari; mulieri tamen remanente actione contra Judicem, qui, ipsa non citata, tale mandatum concessit*; & num. 13.

11 *Dominium ab hypotheca super locis Montium in hoc distat, quod illud sine Domini consensu non possit avelli, ista verò sine tali consensu deleri potest, adhuc, ut resignatarius, sive attergatarius liberè contrahat*; & vide casum.

12 *Loca Montium nullam aliam recipiunt hypothecam, præter in literis patentibus, & librorum Secretariæ partitis adnotatam.*

13 *Judex non potest mandare deletionem vinculi super locis Montium favore Tutoris appositum, ista nec citata, nec consentiente.*

14 *Damnum resarciendum est ab illo, qui causam de eo dederit*; amplia, ut in n. 20.

15 *Judex non tenetur de damno illato per ejus sententiam, nisi in casu, quo probaretur, quod vel per sordes, vel in gratiam partis male judicasset.*

16 *Limita, quando errasset, ex quo potius unam, quam alteram Doctorum opinionem sequi voluisset*; declara, ut in nu. 17. atque amplia, ut in nu. 18.

17 *Judex tenetur judicare secundum veriorem, & communiorem Doctorum opinionem, ne causam faciat suam propriam, & ex imperitia in culpa se ipsum constituat.*

18 *Judex relaxans mandatum de delendo vincula super locis Montiũ alteri hypothecatis, isto non citato, nec audito, tenetur de* pro-

proprio, & ad nullam excusationem potest admitti, & nu. 19.

10 *Culpa gravis, atque inexcusabilis dolo aequiparatur.*

DECISIO MCCCLXXXI.

ITerum hodiè proposui dubium, quod ad praeces illorum de Lucidis resolutum non fuit sub die 26. Febr. proximè preteriti, an scilicèt sit standum vel recedendum a decisis coram Me sub die 27. Januarii 1721., in qua dictum fuit -- *Non esse concedendam manutentionem, neque reintegrationem, nec esse locum deletioni attergationum, & constare de credito contra Fratres de Lucidis.* Sed Domini permanentes in eodem sensu responderunt *In decisis* praeter quam quoad Cambium scut. 500., super quo non benè concordes rescripserunt -- *Iterum proponatur.*

1 Subsistere enim visa fuerunt fundamenta praedictae resolutionis favore Aloysii de Communibus Attergatarii controversorum locorum Montium, nam cum ipse pro securitate duorum Cambiorum a Francisco Jozzio contractorum, curaverit sibi attergari praedicta loca Montium, eaque de facto illius favore attergata fuerint cum consensu Principis, ejusque Officialis, non potest actus jamdudum legitimè consumatus in ejus praejudicium retractari, quia ipse non aliter pecunias suas Francisco credidit, nisi quatenus ex fide Officialis constaret de attergatione tot locorum Montium ejus favore per illum liberè facta; Undè si hodiè attergatio retractaretur, deceptus ille remaneret sub fide Principis, seu ejus Officialis, qui attergationem admisit, & mediante ejus fide fuit in causa, quod Ministri Sacrae Ædis pecunias ad Aloysium pertinentes, & penes eos depositas ad formam ejus mandati Francisco solverint; Quod sanè nullo pacto ferendum est, ut in specie advertit *Card. de Luca de regal. disc. 38. sub n. 5. & priùs dist. 27. n. 4.* cum aliis in Decisione causae §. *Propterea*.

2 Neque turbat objectum, quod Franciscus non esset Dominus eorumdem locorum Montium, quodque, propterea nullum jus Attergatario ex consensu non Domini quaeri potuerit, juxta deducta per *Rot. decis. 85. & 86. penès Constantin.* Uberrimè enim in

3 hac parte satisfacit instrumentum dotale, quo mediante memorata Helena in computum, & solutionem ratae partis scu. 3. mil. Francisco Viro in dotem constitutorum *ex tunc* illi assignavit, & consignavit praedicta loca Montium, & ex ea causa cessit, & in ipsum transtulit omnia, & singula jura -- *con piena facoltà, e libertà di potere a suo arbitrio, e beneplacito tutti, o parte di detti luoghi de' Monti &c. vendere rassegnare, & alienare senza altro consenso, ò intervento di detta Sig. Elena &c.* Haec enim verba tùm de per se, tùm maximè junctis aliis; *S' intendano adesso assegnati, e sieno effettivamente assegnati &c.* Preclarè adeò dominii translationem inducunt, & quidem *usque tunc* factam, ut nullam super hoc dubietatem possint admittere ad ea, quae de virtute verbi *assignare* tradunt *Rota cor. Gregor. decis. 194. num. 15., & coram Emerix decis. 834. n. 3., & in Ferrarien. locationis, seù Petruniaria 13. Januarii 1716. §. Quidquam cor. Emo Alibano*, & de efficacia dictionis *adesso* post *Textum in leg. 3. ff. de condition. & demonstration. Rota in Romana Immissionis super fructibus 15. Martii 1717. §. Imò in fine coram R. P. D. meo de Gamaches*, & de adverbio *effettivamente Soccin. Sen. consf 143. n. 4. lib. 1. Bertazzol. de Clausf. claus. 34. glos. 7. n. 1.*

4 Certius etiam, quia de tempore sequutae attergationis jam praedicta loca Montium translata fuerant de mandato Judicis, & cum consensu Principis, seù Officialis in faciem, & creditum ejusdem Francisci; Undè ipse nedùm erat virtute dicti dotalis instrumenti legitimus illorum Dominus, sed etiam virtute translationis legitimus Possessor, cum uti talis descriptus fuisset in Codicibus Prin-

5 cipis, qui in hac materia plenissimam probationem constituunt, sicuti advertit *bon. mem. Ansaldus de commerc., & mercat. disc. 95. n. 9. Rota cor. Bich. decis. 390. n. 3., & 19. cum aliis in decisione causae §. Minusque*, ac propterea nihil ad praesentem casum conferunt decisiones impressae post *Constantin. la 85., & 86.*, quia ibi agebatur de resignatione facta à non Domino mediante falso

6 mandato Procurae: Hic autem res est de translatione facta ex causa dotis a Muliere, quae revera Domina erat, ut animadversum quoque fuit in dicta praecedenti decisione §. *Minusque*.

7 Absque eo quod urgeat responsio, quod licèt vigore dicti instrumenti dotalis Franciscus haberet liberam, absolutamque potestatem eadem loca Montium in ejus creditum transferendi, sive etiam illa vendendi, & alienandi; Illa tamen nunquam in sui ereditum, ac faciem transtulerat, atque interim cum anno 1713 supervenerit mandatum Judicis ab ipso Francisco expressè acceptatum, & in libris Secretariae Montium registratum, quo cavebatur, ut eadem loca Montium stare deberent pro dote ejusdem Helenae; Ex hujusmodi enim mandato benè quidem resultat, quod loca Montium affecta ex tunc, & hypothecata remanserint pro dicta dote, & ejus securitate, cui Judex consultum esse voluerat propter vergentiam Viri ad inopiam, itaut in hac parte recessum censeretur a praedicto instrumento dotali, sed non etiam, quod recessum fuerit in alia parte, in qua dominium eorumdem locorum

8 translatum fuerat in Virum: Ipsa enim hypotheca super illis reservata favore Mulieris pro ejus dote, manifesto est argumento, quod eadem loca Montium erant in dominio Viri, & non Uxoris *l. neque Pignus ff. de reg.*

reg. Jur. Rot. in Romana Concursus 6. Maii
1720. §. Rursùs, & in Romana reportationis
pecuniarum 20. Martii 1721. §. Quodque
9 *cor. Me*, & consequenter, firmo in hac parte
remanente prædicto instrumento dotali, be-
ne potuit ejus vigore etiam post dictum
mandatum sine alio novo consensu Mulieris
fieri translatio locorum Montium in faciem,
& creditum Viri, juxtà *Gloss. in l. Creditor.*
vers. testatur Cod. de distract. pignor. Negu-
san. de pignor. par. 6. membr. 2. n. 47. Mer-
lin. eodem tractat. quæst. 106. n. 2. Rot. cor.
Dunoz. Jun. dec. 1005. n. 6., & seqq.
10 Ex eo autem, quod loca Montium virtute
dicti mandati dimissi, & registrati in Secre-
taria Montium affecta, & attergata reman-
serint pro securitate dictæ dotis, nascitur
quidem actio Mulieri contra Judicem, &
ejus hæredes, qui vinculum prædictum ea
minimè citata deleri jussit, sed non contra
Aloysium ad retractandam dictam deletio-
nem sequutam ex mandato Judicis cum
11 Principis consensu. Hoc enim interest inter
dominium, & hypothecam in subiecta ma-
teria locorum Montium, quod dominium
avelli nullo pacto potest à Domino sine ejus
consensu, hypotheca autem etiam sine con-
sensu Creditoris avelli, & deleri potuit ad
effectum ut novus Resignatarius, sivè Atter-
gatarius, qui Principis fidem sequitur sit se-
12 curus, quod loca Montium nulli alii condi-
tioni, hypothecæ, aut vinculo obnoxia sint,
quam quæ in literis patentibus, & libris Se-
cretariæ expressa leguntur, juxta celebrem,
& notissimam Constitutionem san. me. Urba-
ni VIII. *la* 154., quam bene distinguendo
inter utrumque casum dominii, & hypothe-
cæ expilcat *Rota in d. Romana reintegra-*
tionis decis. 85. post Constant. §. Prout ne-
que, & decis. 86. §. Neque ad effugiendum
cor. Emo Scotto.
13 Et hinc DD. transeuntes ad aliam resolu-
tionis partem, jure meritoque iterum cen-
suerunt consilare de credito Mulieris contra
fratres de Lucidis hæredes Advocati Luci-
di, qui dum in Curia Capitolina fungebatur
munere Secundi Collateralis non citata, ne-
que audita Muliere, mandavit deleri vincu-
lum ejus favore appositum in dictis locis
14 Montium pro securitate ejus dotis: Cum
enim exindè damnum irreparabile Mulieri
illatum fuerit, omnis æqui, bonique ratio
postulat, ut qui causam damni dedit, dam-
num sarcire teneatur, juxta *Text. in Judi-*
ce loquentem in §. Si Judex instit. de oblig.
quæ ex quas. del., & in l. si quando §. final.
Cod. de Testib. in punct. Constant. disc. unic.
de locis Montium num. 303., & 375. cum
aliis *in decis. Causa §. Et hæc.*
15 Minimè subsistente, quod ad effectum
condemnandi Judicem ad refectionem
damni, quod per ejus sententiam Parti irro-
gatum fuerit, non sufficiat eum nulliter, &
iniustè processisse, sed probari quoque de-
beat, quod per sordes, aut gratiam ita judi-
caverit, & consequenter litem suam effece-
rit per *Tex. in l. si fil. famil. 15. ff. de judic.,*
& in l. fin. Cod. de pæn. Judic., qui malè ju-
dic., cum aliis in Soanen. Pecuniaria 20.
Junii 1712. §. Quidquid coram Me. Hujus-
16 modi enim propositio locum quidem ha-
bet, & admitti potuit, quando Judex erravit
in ferenda sententia, sequendo potius unam,
17 quam aliam opinionem, quamvis veriorem,
& magis communem semper sequi debeat,
& de jure communi malè judicando per im-
peritiam semper faciat litem suam, cum im-
peritia ipsa in Judice culpa sit, *ut in tit. in-*
18 *stit. de obl quæ ex quasi delict.* Nullo verò
pacto recipi, aut admitti potuit, quando
prout in casu irreparabile damnum irroga-
vit parte non citata, neque audita; In his
enim terminis pessimo esset exemplo, &
contra bonum, & quietem publicam, si Ju-
dici impunè liceret sub inani colore quod
absit dolus ex proposito res, & jura nostra
nobis insciis, & inauditis per abusum sibi
commissæ potestatis auferre, ut latè probat
decis. quæ revid. §. Et hæc, & §. Itidem.
19 Nil propterea obstat, quod exhibito illi
Instrumento dotali anni 1698. justè opinari
potuerit, quod vinculum dotis non nisi per
errorem in literis patentibus inscriptum
fuisset, nam si mandasset citari Mulierem,
de cujus interesse principaliter agebatur,
imò si ipsas litteras recognovisset, prout fa-
cere omninò tenebatur, & quidem per quam
diligenter, certior statim factus fuisset, quod
vinculum appositum fuerat vigore decreto-
rum, & mandati ab ipso met editi pro secu-
ritate Mulieris etiam cum expresso consen-
20 su Viri; Undè ejus negligentia, & culpa
adeò magna est, ut dolo æquiparari possit,
juxta regulam *Tex. in leg. magna negligen-*
tia ff. de verb. signific.

Ad ea, quæ dicebantur circa actionem subsidiariam, & excussionem principalis debitoris, & fideiussorum DD. satis responsum existimarunt in præcedenti decisione *§. final.* Sed quia aliquibus non videbatur æquum, quod hæreditas Judicis condemnaretur etiam pro illis sc. 500., quæ Vir erogaverat in extinctionem Cambii similis summæ, pro quo etiam Mulier se se obligaverat: Alii verò dicebant obligationem Mulieris, tanquam destitutam necessariis solemnitatibus, nullam, & irritam usque a principio fuisse, rescriptum propterea fuit quoad ista sc. 500., quod causa iterum proponatur.

Et ità auditis tùm Aloysio, tùm Fratribus de Lucidis, tùm denique Procuratore Helenæ per ejus mortem interim sequutam, Domino litis effecto resolutum fuit &c.

LEOPOLIEN. MATRIMONII SUPER POSITIONIBUS.

Veneris 14. Maii 1723.

ARGUMENTUM

Hæc est confirmatoria alterius sub die 4. Maii 1722. emanatæ.

In materia dissolutionis Matrimonii probationes non sunt angustiandæ, & positiones, quibus, vel unus, vel alter ex Coniugibus teneatur respondere, apertè debent exhiberi, sique sint captiosæ, vel impertinentes sunt resecandæ. Coniuges tamen inter se colludendo, prætensæ Matrimonii nullitati in præjudicium Ecclesiæ, & Sacramenti non possunt assentiri.

SUMMARIUM.

1 *Positiones, sive aliæ probationes in matrimonialibus causis ratione gravitatis, & periculi semper sunt admittenda*, & n. 8.

2 *Judex circumspectus providere debet, quod potius probationes superabundent, quàm desint*, amplia, ut in n. 9.

3 *Confessiones Coniugum non admittuntur in præjudicium Ecclesiæ, & Sacramenti Matrimonii*, & n. 4., limita, ut in n. 6.

4 *Amplia, si suspicio adesset, quod Coniuges inter sese possent contra matrimonium colludere.*

5 *Subamplia in casu, quo licet confessiones apparerent necessariis adminiculis destituta, adhuc Coniuges contenderent, ex quo Iudex eorum assertioni stare nollet.*

7 *Coniuges nobiles in dignitate constituti in fraudem Sacramenti Matrimonii conspirare non præsumuntur, licet de istius validitate contendant.*

8 *Amplia si Sponsa coram Sacris Congregationibus ejus validitatem substinere procurasset.*

10 *Positiones de stylo Curiæ aperta exhibenda sunt, præsertim si ob Curialium probitatem nulla adsit suspicio, quod esse possint impertinentes.*

11 *Clausa dantur in Curia Capitolina.*

12 *Aperta danda sunt Mulieri, ne inconsulta decipiatur, juxta dispositionem Juris*, amplia, ut in n. 16.

13 *Amplia etiam si danda sint adversus mulierem nobilem, ad probandam Matrimonii validitatem*; & quare vide in n. 14.

15 *Positionibus respondere debet mulier in præsentia Procuratoris, licet sit sagax, & fortis animi.*

16 *Positiones captiosæ, & impertinentes sunt resecandæ per Judicem.*

DECISIO MCCCLXXXII.

PEtente Serenissimo, ac Regio Principe Constantino in Rota die 4. Maii superioris anni Remissoriam, & Positiones, Sacr. Tribunal, denegata Remissoria, admittendas esse censuit Positiones clausas, & sigillatas juxta modum latiùs expressum in decisione coram Me desuper edita, sed concessa postmodum quoad istas tantum nova Audientia in secunda propositione Causæ habita sub die 15. Martii præteriti, nulla ob suffragiorum scissuram capta fuit resolutio. Hinc igitur opus fuit illam hodiè tertiò proponere sub consueto dubio, *An sit standum, vel recedendum à decisis*; & responsum fuit *standum esse in decisis juxta modum*, nempe, quod Positiones juxta stylum Curiæ dentur apertæ, & per Me tamquam Ponentem resecentur, sique sint impertinentes, aut captiosæ.

Et sane quod attinet ad punctum admis-
1 sionis Positionum, subsistere visa fuit ratio illa præcedentis decisionis, quod nempe versamur in Causa Matrimoniali, quæ tamquam utrinque involvens magnum Animæ periculum, præ cæteris omnibus exigit, ut probationibus nullus aditus præcludatur, ne aliàs contingat, aut temere separari eos, quos Deus semel coniunxit, aut ex opposito sub colore Matrimonii admitti illicitam, & reprobatam peccati consuetudinem, quamobrem admissio Positionum, quæ stant loco probationum, non ita facile denegari debet, *Rota cor. Priolo dec.* 308. *n.*8., & *coram Pentinger. dec.*268. *n* 9., & *cor. Emerix dec.* 219. *n.*8., cum aliis in *decisione Causæ* §. *Atque ex his cor. Me*, cum circumspectus Judex providere debeat, quod potius superabundent probationes, quam deficiant, ut inquit *Anchar. in cap.* 1. *n.*11. *de frigid.*, & *malef.*, & ita admittere probationes etiam non integras, & à Juris rigore deficientes, *Cap. Sicut* 22. *de sponsal. in fin.*, ubi *Abb. n.*6., & *in cap. In tua nu.* 7. *eod. tit.*, & *in d. cap.* 1. *de frigid.*, & *malef.*

Nil turbante, quod probatio deducta ex
3 confessione Mulieris per medium Positionum sit irrelevans, & minime profutura, cum istiusmodi confessionibus deferri non debeat in præjudicium Ecclesiæ, & Matrimonii, ut probat *Text. singularis in cap. super eo* 5. *de eo, qui cognov. Cons. Uxor. suæ*
4 hujus enim Textus dispositio, tunc bene procedit, quando suspicio est, quod Coniuges inter se colludant contra Matrimonium, ut colligitur ex illis verbis, ibi -- *Cum, & quandoque nonnulli inter se contra Matri-*
5 *monium velint colludere*-- Aut quando confessio hujusmodi destituta sit aliis adminiculis, ac probationibus, & nihilominus contendatur, ut illi plena fides adhibeatur, ut pariter deducitur ex eodem Textu, & meliùs explicat *Abbas in cap. Attestationes n.* 8. *de despons. impub.*, ibique *Hostien. n.*1. *vers. Si vero*, & *Anchar. n.*6. *vers. Investigare*.

In casu autem, de quo agitur, nec Prin-
6 ceps contendit, ut confessioni Mulieris per medium Positionum eliciendæ, plena fides adhi-

adhibeatur, quatenus destituta sit aliis ad-
miniculis, & probationibus subinde per
7 eum cumulandis, neque vero ulla subesse
potest collusionis suspicio. Tum quia res
est inter personas, quarum dignitas, & spe-
ctata Religio timere non sinit, quod imme-
mores salutis æternæ, & Christiani nomi-
nis, de quo maxime Princeps, & ejus Fa-
milia est adeo benemerita, pejorare velint
contra leges, ac sanctissimum fœdus Matri-
monii; tùm & certiùs, quia D. Principissa,
8 à qua veritatis confessio elicienda est, viri-
liter usque adeo substinuit validitatem con-
troversi Matrimonii primò in Partibus, dein-
de in Sac. Congregatione Concilii, ac de-
nique in hoc nostro Tribunali, ut nullus su-
persit timor, quod per sordes, aut per gra-
tiam induci possit ad conspirandum contra
Matrimonium ab ea prævalide defensum.
ideoque in his circumstantiis non est, cur
hæc probatio reijci debeat, ut in puncto
firmant *Abb. in d. cap. Super eo n.7. in fin. Glos. in d. cap. Attestationes, verb. evasisse*, ibique *Abb. n.8.*, *Hostien. n.1.*, *Butr. n.8. Præposit n.6.*, *Sanchez de matrim. lib. primo disput. 72. n.3.*, *Covaruv. de sponsal. p. 1. cap. 4. §. 1. n. 4.*

Ad hæc additur, quod ex processu in
9 Partibus compilato, nullæ propemodum
habentur facti probationes, & causa in hoc
Sac. Tribunali cognoscitur solum pro voto.
Unde congruum est, ut antequam remitta-
tur ad Sacram Congregationem Concilii,
quæ nostrum sensum exquirere dignata est,
quanto pleniùs fieri potest augeatur ejus
Processus omnibus necessariis probationi-
bus, sicuti alias observavit *Rota cor. Emerix dec. 1072. n.7.*, *& in Vratislavien. Juris approbandi Confessarium 2. Decembris 1720. §. Eoque facilius cor. Me.*

Sed quamvis circa admissionem Positio-
10 num, DD. approbaverint resolutionem
captam in die præcedentis decisionis, non
ita tamen approbarunt modum tunc expo-
situm, quod nempè illæ transmitterentur
clausæ, & sigillatæ, postquam recognitæ
fuissent à Me, & altero ex DD.; ea enim
semper fuit praxis, & observantia Romanæ
Curiæ à Sacra quoque Rota recepta, ut po-
sitiones exhibeantur apertæ, data copia
illis respondendi, cum propter Curialium
probitatem, quæ in casu præsenti plusquam
certa, & explorata est, cum causa defen-
datur ab integerrimo Causarum Sac. Palatii
Apostolici Patrono, nullus sit timor subor-
nationis, ut de praxi, & stylo Curiæ, &
Rotæ testatur *Vestr. lib. 5. cap. 14. n. 30.*, *& seqq. Constantin. ad Statut. Urb. annot. 8. n. 183.*

Non obstat, quod juxta dispositionem
11 Juris communis, quam sequitur Forum Ca-
pitolinum positiones dari debeant clausæ,
& sigillatæ, eaque servanda videatur in ca-
su præsenti, ex quo Rota non est Judex cau-
sæ, sed tantum requisita fuit pro voto. Quid-
quid enim sit de jure, quando Vir est, qui
respondere debet, & de quo casu loquitur
Gloss. in cap. Statuimus de confess. in 6.,
12 cessat in hypothesi difficultas, ex quo agi-
tur de Muliere, cui propter ingenitam se-
xus fragilitatem, attenta quoque dispositio-
ne Juris etiam in hoc indulgetur, ut positio-
nes dari debeant apertæ, ne aliàs inconsul-
ta decipiatur, juxta veriorem opinionem,
quam tenent *Pigant. ad Statut. Ferrar rubr. 47. n. 18.*, *Menoch de arbitr. lib. 2. cas. 184. n. 81.*, *Michalor. de posit. cap. 33. n. 14.*, *& seqq.*

Neque est cur à jure, & praxi hujusmo-
13 di recedi debeat, ex quo agitur de Mulie-
re nobili, & virilis animi, ac respondere
debentis circa factum proprium memoratu
in primis dignum, juxta *dec. Perusin. 81. Ludovici*, sicuti dicebatur in præcedenti
decisione. Nam excepta qualitate nobilita-
tis, quæ nihil ad rem influit, illa sane virilis
animi non benè deducitur ex modo, quo
Matrimonium contractum fuit. Nàm quo-
ties agitur de Nuptiis contrahendis, etiam
Puellæ imbecillis animi facile audent se
gravioribus exponere periculis, ut Testis
est quotidiana experientia, & erudite mo-
net *Nevizan. in Sylv. nupt. lib. 1. nu. 3. fol.*
14 *mihi* 20. Licet autem Matrimonium sit fa-
ctum memoratu dignum, non ita tamen
sunt circumstantiæ, super quibus Mulier
respondere debet; alias enim pudor, & con-
fusio forsasse vetuerit Puellam advertere,
alias tempus interea lapsum annorum duo-
decim à memoria deleverit, ut ponderant
Michalor. de posit. cap 34. num. 7., *& 8.*, *Mascard. de probat. conclus. 1122. n. 3. Constantin. ad Statut. Urb. annot. 8. n. 203.*, *& seqq.*, cum quibus etiam consonat *deci-*
15 *sio Perusin. 81.*, quæ ubi agatur de facto
antiquo, & involuto, admittit, quod sit
adhibenda præsentia Procuratoris in respon-
dendo, etiamsi Mulier fuerit sagax, & for-
tis animi, ut videre licet *sub n. 8.*

Atque ita collectis omnium DD. suffragiis
16 responsum fuit admittendas quidem esse
positiones, sed apertas, & data copia, ut
per Me resecari possint ad instantiam Partis,
si quæ captiosæ, aut impertinentes videan-
tur, juxta praxim in similibus servari solitam,
utraque &c.

ROMANA DOTIS, SEU LEGITTIMÆ SUPER RESERVATIS.

Veneris 4. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Frater tenetur Sororem alere donec nubat, propter exclusionem sui favore per Statutum inductam, adeout illa jure actionis alimenta etiam prætetita consequi debeat: secus vero si de alimentis subsidiariis ageretur.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Fructus dotis a die contracti Matrimonii in onerum Matrimonialium compensationem debentur.*

2 *Ante Matrimonium non debentur*, & n.3.

4 *Frater tenetur Sororem alere, donec nubat in præmium exclusionis, quam ista patitur*, & n.6.

5 *Alimenta præterita non debentur Sorori per fratrem, quando sunt merè subsidiaria, & pietatis intuitu ab isto præstanda.*

6 *Limita in alimentis, quæ jure actionis, propter Mulieris exclusionem, stante Statuto, debeantur.*

7 *Fructus dotis ad rationem scutorum quatuor pro centenario in Urbe taxantur.*

DECISIO MCCCLXXXIII.

Propofita hodie causa super reservatis anno præterito in ultima Audientia ante ferias generales sub congruo dubio -- *An scilicet sit relaxandum Mandatum pro fructibus*, responsum fuit affirmativè juxtà modum infra exprimendum.

Posito enim, quod ex Statuto Urbis *cap.* 145. *lib. 1.*, quod solum in casu locum habere potest, Victoriæ debita fuerit Dos, & non legitima, sicuti latiùs firmatum fuit in decisione Causæ coram Me edita 3. Julii superioris anni, quæ hodiè juxtà stylum est omnino supponenda; & posito ulterius, quod d. Dos taxanda sit in scut. 800. propter circumstantias in eadem decisione consi-

1 deratas §. *His itaque*, & *seqq.* Quod ad fructus attinet, Domini censuerunt duo esse tempora distinguenda; alterum nempe a die, quo eadem Victoria nuptui tradita fuit, & respectu hujus temporis nulla subesse potest difficultas, quin fructus debeantur in compensationem onerum Matrimonio annexorum, juxta vulgatum *Text. in cap. Salubriter de usur.*, quo in his terminis utitur *Constant. ad Stat. Urb. annot.* 34. *n.* 2., & *seqq.*, *Rota decis.* 20. *n.*5., & *dec.*25. *n.* 5., & 6. *p.* 13., & *dec.*127. *n.*1., & *seqq.p.*17. *rec.*, & passim alibi.

Alterum verò tempus est à die, quo Pa-
2 ter obiit, usque ad tempus contracti Matrimonii; & respectu istius, licet fructus non debeantur, tamquam fructus Dotis, quæ ante Matrimonium nulla est, *l. Titia centum* §. *Titio ff. de condit.*, & *demonstr. l. item*
3 *quia ff. de pact.*, & multò minus deberi possint tamquam fructus legitimæ, cum Dos in præsenti casu ejus loco non succedat, ut firmatum fuit in d.decisione Causæ coram Me;
4 debentur tamen loco alimentorum, quę Frater Sorori præstare tenetur in præmium exclusionis quousque nubat, *Constant. ad Stat. Urbis d.annot.*34. *n.* 7. *cum ibi allegatis*.

5 Non obstat, quod Victoria aliundè habuerit undè sibi alimenta parare, nempè ex bonis Maternis, quodque cum Fratre minime convixerit, sed partim in Monasterio, & partim apud Materteram habitaverit: Ea enim non petit hodie alimenta præterita Imploraro in id Officio Judicis, ex motivo mæræ pietatis, quo casu non nisi in subsidium
6 decerni possent, sed ea petit Jure actionis, quam ipsi dat Statutum in præmium exclusionis; unde etiam si aliunde habuerit, & cum Fratre non habitaverit, adhuc debentur, ex traditis per *Galeot. contr.*9. *n.*4. *lib.*2., *de Marin. ad Revert. dec.* 417. *sub nu.*1., *Constant. ad Stat. Urb. annot.* 39. *n.* 253., & *seqq.*

7 Reliquum erat eosdem fructus in præcisa quantitate taxare; & in hoc DD. processerunt ad formam Constitutionis editæ per *sa. me. Innocentium XI super reform. Trib. Urb. in Rubrica de variis Provisionibus* §. *Fructus dotales*, quæ illos in Urbe, & ejus districtu taxat ad rationem quatuor pro centenario, ut refert *Constant. ad Stat. Urb. annot.* 34. *n.*111., eum hoc, quod Victoria in eis imputare teneatur scut. 72. 29., quæ fatetur sibi a Fratre in causam alimentorum subministrata fuisse.

Et juxta hunc modum utraque &c.

ROMANA REPORTATIONIS PECUNIARUM.

Ven. 4. *Junii* 1723.

ARGUMENTUM.

Hæc est confirmatoria alterius emanatę sub die 19. Junii 1721.

Cambium pro quarto dotali ad formam Statuti viduæ assignatum, si ista non præstiterit cautionem de restituendo illud post sui obitum filiis, quoad usumfructum tantum censendum est ei fuisse traditum, præsertim si ejus obitu secuto, illud sibi filii vindicassent, acquiescentibus mulieris hæredibus.

SUMMARIUM.

1 *Vidua si non præstiterit cautionem de restituendo quartum sibi assignatum super cambio, quoad usumfructum tantum illud sibi fuisse traditum censetur*; & n.4.

2 *Amplia, si illa declarasset, quod secuto ejus obitu, illius capitale ad filios pleno jure spectare deberet*, & nn.4. & 5.

3 *Ususfructus formalis non datur in re propria, neque servitus favore sui ipsius, cum implicet in terminis.*

5 *Quartam dotale super cambio assignatum, quod censeatur in usumfructu tantum, deducitur, ex quo Mater suam diviserit hæreditatem inter filiam, & secundum virum, & filius in antipantem totum cambium sibi, privigno neu reclamante, appropriaverit*; & nn.7. 12. & 13.

6 *Quartam dotale, superstitibus filiis, quoad usum*

ususfructum tantum superlucratur conjuge superstite.

8 *Quartum assignatum ad formam Statuti censetur, quod si filii supersint, isti considerati sint uti filii virtute talis relationis ad illud, ex quo omnia in Statuto contenta censeantur in d. assignatione transcripta;* & n. 12.

9 *Amplia si concurrat verisimilis mens contrahentium, ex qua erueretur, quod filii considerati fuissent ut filii, & diversimode effectum habere nequivisset contrahenter juxta Statutum,* & n. 14.

10 *Contrahentes semper præsumantur, ut actii sibi magis proficuum gerere voluerint, & hanc eorum fuisse voluntatem.*

11 *Heres non potest impugnare factam defuncti, quem in suum auctorem recognoscere.*

13 *Filiæ si adeat bona Paterna titulo hæreditario Patris, ad aliam titulum diversum talem aditionis actum referre non potest.*

14 *Quartum assignatum vid. ꝑ ad formam Statuti operatur, ut proprietas dicatur filiis reservata, istique uti filii, & hæredes considerati censeantur, licet illud ex pecuniis primogenituræ fuisset deductum.*

15 *Quartum regulariter semper censetur traditum fuisse jam reinvestitum, ad hoc, ut proprietas sequuto usufructuarii obitu ad filios devolvatur.*

16 *Pecuniæ exactæ sub obligatione de restituendo prioribus, & potioribus extare dicantur.*

17 *Amplia, ut qui sub tali obligatione eas exigat, bonæ fidei colorem numquam possit allegare,*

DECISIO MCCCLXXXIV.

CUM duæ essent in Causa decisiones, alia nimirum edita sub die 20. Martii, & alia sub die 19. Junii superioris anni, conformes quidem respectu Capitalis, sed respectu fructuum difformes, & contrariæ, denegata ulteriori Audientia respectu Capitalis; admissi hodie DD. de Pamphiliis ad deducenda eorum Jura adversus postremam Decisionem, quoad articulum fructuum sub consueto dubio -- *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis*, sed quia nil magis in Jure certum est, quam quod fructus Dominium sequantur, & maxime cum agitur de fructibus cambii, in quo nil aliud sunt, quam fortis accessiones eo ipso, quod Capitale cambii, de quo res est, adjudicatum fuit D. Principi Burghesio, non videbantur illius fructus alio Jure censeri posse, & ideo responsum fuit - *Standum esse in secundo loco decisis.*

2 Et quamvis etiam hodie Domini transeuntes cum sensu postremæ Decisionis pro comperto habuerint controversum Cambium fuisse ab initio acquisitum respectu dominii, & proprietatis favore Principissæ Olympiæ Junioris, tanquam hæredis Principis Joannis Georgei ejus Patris cum solo onore, & servitute personalis ususfructus favore Principissę Hypolitæ Matris, ex quo eadem Principissa Hypolita, non datis idoneis Fidejussoribus pro restitutione quarti, quod ad formam Statuti Urbis superlucrata fuerat, nec pecuniæ eo nomine ipsi solutæ, neque investimenti ex ea faciendi dominium acquirere sibi poruerat, sed solum, & simplicem ejusdem investimenti usumfructum ad ejus vitam duraturum, ut latè probat dicta secunda decis. §. *Quod autem cum pluribus seqq.*

Omissa tamen potestatis questione, tanquam pendentis ab abstruso, & subobscuro juris articulo, controversiam omnem ex mere facto longe facilius definiri posse censue-
2 runt. Cum enim tam in Instrumento anni 1640. quo primum pecuniæ in Causam quarti solutę, fuerunt cambio traditæ, quam in alio subsequenti anni 1650., quo idem cambium renovatum fuit, Principissa Hypolita expressis, disertis que verbis declaraverit, quod expirato per ejus obitum usufructu, Capitale dicti Cambii sc. 25 mil. libere, & absque ullo onere spectare deberet ad Olympiam ejus Filiam; nil sanè clarius exprimi posse visum fuit ad effectum ostendendi, quod ex voluntate ejusdem Principissę Olympiæ cambium usque ab initio aquirebatur Olympię cum onere, & servitute ususfructus, quousque Mater viveret, ea vero defuncta, libere, & absque ullo onere, nam sicuti nulla civilis, aut naturalis ratio
3 patitur, ut quis in re propria formalem usumfructum, aut aliam servitutem contrahere sibi possit §. *Ruer. Institut. de usufr. l. uti ff. si ususfr. pet.*, ita consequens est, ut dum
4 Hypolita usumfructum Cambii sibi reservavit, proprietatem ejus, & dominium non sibi, sed Filiæ usque ab initio quæsitum esse voluerit, ut bene animadversum fuit in secunda Decisione Causæ. § *Et hic sensus in fine.*

Sed non solum Hypolita eum Cambium à principio stipulata fuit, & renovavit, sed Ducem quoque Ursinum ejusdem Cambii debitorem, & Olympiam ipsam hoc animo
5 fuisse manifesto est argumento insigne eorumdem factum; quamvis enim Principissa Hypolitta sibi hæredes pro æquali scripsisset memoratam Olympiam ejus Filiam ex primis nuptiis cum Principe Joanne Georgeo susceptam, & Ducem Flavium Ursinum ejus secundum virum, cambi que debitorem; nihilominus controversum Cambium non fuit inter eos ęquis portionibus divisum, prout dividi omnino debuisset, si jure hereditario censendum erat, sed integrè assignatum fuit, & quasi per antiparrem eidem Olympię una cum fructibus præteriti temporis vigore dicti pacti in Instrumento appositi, quod illud post Matris obitum ad ipsam Olimpiam libere, & absque ullo onere spectare deberet, ut propterea in hisce circumstantiis nullus omnino superesse pos-

sit ambingendi locus, quod cambium usque
à principio ex communi placito, & volun-
tate contrahentium non Hypolitæ, sed Olim-
piæ quæsitum fuerit sub onere, & servitute
ususfructus, quousque Mater superesset, ut
hoc pacto cautum esset hæreditati Principis
Joannis Georgei viri per Investimentum fa-
ctum favore Olympiæ; & una simul eidem
6 Hypolitæ per reservationem ususfructus, in
quo dumtaxat quartum superlucrata fuerat,
ut alias in simili casu firmavit *Rot. in Rom.
quarti dotalis, seù locorum Montium 20.
Januarii 1715. ferè per tot. cor. Me, & la-
tiùs firmatum fuit in d. secunda decis. §. Ita-
que cum duobus seqq.*
7 Cognita difficultate, respondebant De-
fensores DD. de Pamphiliis, quod Princi-
pissa Hypolita voluerat quidem cambium
usque à principio in proprietate acquiri
Olimpiæ Filiæ, sed uti Filię, & ex ejus priva-
ta, & particulari Persona pro argumento
ejus maternæ prędilectionis, non etiam uti
vocatę ad Primogenituram aut in figura hæ-
redis Principis Joannis Georgei. Sed subtili
ejusmodi, & emendatę interpretationi re-
8 sistere nimis videbantur tum verba utrius-
que Inventarii, tum verisimilis contrahen-
tium voluntas: & quod ad verba attinet, li-
cèt in neutro ex dd instrumentis expressa
fuerit respectu Olympię qualitas Primoge-
nitæ, aut hæredis Principis Joannis Geor-
gei, fuit tamen alterutra ex eis satis clare,
ac virtualiter indicata sub illis verbis ibi
*Spectat ad D. Olympiam Aldobrandinam
ejus Filiam ad formam Statuti Urbis* - cum
enim ex dispositione Statuti Urbis quartum
solutum Principissæ Hypolitæ, finito per
ejus obitum usufructu, redire deberet ad
eandem Olympiam, non uti Filiam d. Prin-
cipissę, sed uti vocatam ad Primogenituram,
sive uti heredem Principis Joannis Georgei
Patris, idem est, quod Principissa Hypoli-
ta dixerit, *juxta formam Statuti Urbis, &
non aliàs*, ac si nominatim dixisset *spectet ad
Olympiam tamquam Primogenitam, aut
tanquam Patris hæredem*: Quippe quia in-
doles, & naturalis efficacia ejusmodi rela-
tionis talis est, ut quę in Statuto disposita
sunt perinde haberi debeant, ac si ad litte-
ram in utroque ex dd instrumentis transcri-
pta fuissent, ut bene ad rem presentem expé-
dit. *Rot. dec. 281. n. 9. & seq. par. 14., & in
Romana quartę dotis, seu Locorum Mon-
tium 20. Januarii 1713. §. Obiectam cum
seqq. cor. Me.*
9 Ultrà verba, hunc etiam sensum suadet
verisimilis intentio contrahentium. Cum
enim Primogenituræ, aut hereditati Princi-
pis Joannis Georgei pro restitutione quarti,
& respective Hypolithæ pro ejus liberatio-
ne non aliter cautum esse posset, nisi qua-
tenus investimentum fieret pro Olympia,
tanquam Hærede, aut Primogenita, nemo
sanè sibi suaserit, quod Olimpia considera-
rata fuerit uti Filia, aut privata Persona,
dum eo nomine Partes propositum sibi fi-
nem consequtæ minime fuissent, ut ad rem
votavit secunda decis. Causę §. *Finali*, &
10 bene confert receptissima illa Juris regula,
qua docemur, ut in interpretanda contra-
hentium voluntate, ita semper inter eos
actum censeatur, ut illis erat magis profu-
turum, ad ea, quæ tradit *Rot. dec. 100. n. 17.
cor. Cerr., & dec. 618. n. 6. cor. Emer., & in
Romana seù Ianuen. assignamenti 24. Api-
lis 1716. §. Nec est cor. R. P. D. meo de
Gamechet.*
11 Ad hæc accedit factum, & declaratio
ipsius Olimpiæ, a qua DD. de Pamphiliis
resilire non possunt, cum sint ejus hæredes;
12 defuncta enim Hypolita Matre, hæc inter-
pellavit Ducem Flavium cohęredem pro le-
gitima sibi debita, pro portione hęredita-
tis Maternæ, & pro cambio controverso,
una cum fructibus ab obitu Matris decursis,
cum autem in dd. interpellationibus non so-
lum nomen proprium, & nomen hæredita-
rium Matris, sed etiam nomen hęreditarium
Joannis Georgis Patris expenderit, singula
singulis congrue referendo, prout juris est,
nemo non videt, quod cum nomen hęredi-
tarium Patris, neque ad legittimam in bo-
nis Maternis, usque ad portionem hęredita-
13 tis ejusdem Matris pertinere ullo pacto
posset, omnino superest, ut referatur ad
Cambium, quod unice ad ipsam, tanquam
Patris Hęredem, juxta dispositionem Statu-
ti, spectare poterat, ac debebat, juxta
*Glos. in l. si negotium 16. §. gestorum C. de
negoc. gest. Rot. cor. Merl. dec. 829. n. 9. &
cor. bon. mem. Ansald. dec. 90. n. 24.*
14 Atque hinc nihil urget, quod sicuti quartũ
solutum fuerat ex pecunjis provenientibus
à permutatione Casalium Primogenituræ
subiectorum, ità investimentum fieri debuis-
set pro ipsa Primogenitura, non verò pro
Olympia tanquam hærede Principis Joannis
Georgei. Quidquid enim sit, an jura Pri-
mogenituræ considerata tunc fuerint tam-
quam cadentia in hæreditate dicti Prin-
cipis, submovetur, quecumque difficultas
ex ea animadversione, quod licet pecuniæ
in origine provenerint ex permutatione Ca-
salium, illæ tamen solutæ fuerunt Principis-
sæ Hypolitę ad effectum investiendi pro
quarto, non jam ab ipsa Primogenitura, aut
alio quovis sub qualitate Primogeniti, sed
ab ipsa Olympia tamquam hærede Princi-
pis Joannis Georgei ejus Patris, mediante
Persona Cardinalis Hypoliti ejus Patrui, &
Curatoris, undè quidquid sit, an dictæ pe-
cuniæ censeri possent hæreditariæ, & pro-
priæ D. Principis, de quo videndus *Text.
in l. sed & si 28. §. item, l. de petit. hered. Rot.
cor. Seraph. dec. 540. n. 1. & cum Dunozzet.
dec. 154. n. 1., & 2., & in rec. dec. 125. n. 7.
p. 11., & dec. 355. n. 15. p. 17.*
15 Illud utique certum est, quod quartum
non aliis, quam hæredi D Principis restitui
debebat, cum ab eo fuisset directè solutum,
juxta regulam *Text. in l. p* de facto restitu-
tum, seu verius pro hærede dicti Principis
in-

investitum fuit, *juxta regul. Text. in l. nihil tamen naturale ff. de reg.*, *de qua Rot. dec.* 1204. *n. 22. cor. Emer.*, & nihilominus utrovis nomine investimentum fieri debuerit, aut factum fuerit, semper idem sequitur effectus, dum virtute transactionis non minus Jura Primogenituræ, quam hæreditaria Principis Joannis Georgei in D. Principe Burghesio coaluerunt.

16 Quod dicebatur de bona fide, quod DD. de Pamphiliis obstendebant ad effectum sese eximendi à restitutione controversorum Fructuum, nullo pacto congruere poterat casui presenti, cum pecuniæ per eos exactę nomine fructuum ex dicto cambio decursorum, non aliter exactæ fuerint, quam sub expressa obligatione *de restituendo prioribus, & potioribus ad omne mandatum Congregationis Baronum*, hujus autem obligationis ea virtus est, ut pecuniæ per inde ha-
17 beantur, ac si exactæ non fuissent, itaut qui illas hoc pacto exegerit, nullum bonæ fidei colorem, aut posessionis privilegium allegare possit, *Salgad. in Labyrint. Credit. p. 1. cap. 10. n. 68.*, *Rot. cor. Dunoz. Jun. decis.* 250. *n. 33.*, & *Avinionen. concursus 23. Februarii* 1711. §. *Præterea cor. bo. me. Melines, & in Romana pecuniaria 26. Aprilis* 1720. §. *Praterea coram R. P. D. meo Cerro.*

Et ita DD. una mecum suffragantibus, responsum fuit utraque &c.

SQUILLACEN. JURISDICTIONIS SUPER BONO JURE.

Luna 7. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Jurisdictio Episcopi ut dicatur quoad certas Ecclesias, virtute privilegii, resecata, privilegium debet esse clarissimum, cum illa pro se juris habeat assistentiam quoad omnes Ecclesias in sua Diecesi existents. Imo in dubio pro illius extensione, etiam ad privilegiatas, standum est, neque læditur ex actibus sine ejusdem Episcopi scientia, vel consensu initis.

Loca pia, Ecclesiæ, Hospithalia, & similia in Solo Lateranensis Basilicæ sita, secundum Constitutionem Sixti V., Episcopi jurisdictioni non subjacent.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus fundatam in jure habet intentionem pro libero exercitio omnium actuum ad ordinariam jurisdictionem pertinentium super omnibus Ecclesiis, & Cappellis suæ Diecesis*; & n. 3.

3 *Limita, quando aliqua Ecclesia Apostolico exemptionis privilegio gauderet, per quod ab Episcopi jurisdictione eximeretur.*

3 *Assistentia Iuris, in dubio favet Episcopo, scilicet in casu, quo dubitaretur, an Ecclesia sita intra suam Diecesim esset exempta, vel ne ab ejus jurisdictione virtute Privilegii.*

4 *Ecclesiæ, & cetera Loca Pia sita in solo Basilicæ Lateranensis sunt exemptę à Iurisdictione Episcopi ex Constitutione fa. me. Sixti V.*

5 *Privilegium concessum Ecclesię sitæ in Territorio Lateranesi non lædit Iurisdictionem Episcopi, quoad Ecclesias, seu Cappellas sitas in illo, sed super fundo alieno*, & n. 6. ac amplia, ut in n. 8.

6 *Privilegium prædictum non est applicabile, deficiente qualitate fundationis, & constructionis, quas illud requirit.*

6 *Dominium Ecclesię super uno prædio probatur ex decreto Capitulari.*

8 *Privilegium ad alienum tendens præjudicium, stricte intelligendum est*; amplia, ut in n. 10.

9 *Ædificium in Solo Ecclesiastico constructum, & non completum, quando possit in profanos usus converti*; intellige, ut in num. 10.

10 *Ædificium cæptum vel habetur pro completo in iis, quæ à Iure communi, vel Sacrorum Canonum recedunt; vel tamquam casus diversus ab expresso in privilegio Ecclesiastico sub eo contineri non potest.*

11 *Iurisdictio Episcopi non læditur ex actibus exercitis absque ejus scientia, & tollerantia*; & nn. 13. & 14.

12 *Neque ex actibus initis sub erroneo supposito.*

14 *Neque ex actibus Visitationum, Decretorum, & similium æconomicam administrationem excedentibus, qui non probarentur exequtione demandati*, & n. 15.

15 *Iurisdictio Episcopi, circa Ecclesiam quæ exempta prætenderetur, probatur, ex quo istius Vicarius processum contra Parochum fecisset, quod posteà per recursum ad illum, nullum declaratum fuisset*; amplia, ut in nn. 16. 17. & 18.

17 *Visitationes non alio, quam ad ordinariam jurisdictionem possunt referri*: & n. 18.

18 *Semper Ordinaria Iure facta censentur.*

DECISIO MCCCLXXXV.

Contendentibus de Jurisdictione super antiqua Ecclesia S. Nicolai Oppidi Stiniani Reverendissimo Capitulo Sacrosanctæ Basilicæ Lateranensis, & Reverendissimo Episcopo Squillacen. una cum Parocho ejusdem Oppidi, duo hodie peoposui dubia; alterum nempe respiciens petitorium sub consueta formula *An, & de cujus bono Iure constet*, & alterum super manutentione, *An* scilicet, *& cui sit danda manutentio*; & respectu ad primum, de quo in præsenti decisione, responsum fuit. *Constare de bono jure Episcopi, & Parochi.*

1 Ratio decidendi desumpta fuit ab illo in hac materia elementari principio, quod in omni-

omnibus Ecclesiis, & Cappellis, quæ sitæ
sint intra ambirum Diœcesis, Episcopus habet
fundatam in jure intentionem pro libero ex-
ercitio omnium actuum ad ordinariam Ju-
risdictionem pertinentium, *ut per Text. in
cap. conquerente de Off. Ord.*, & *in cap. 1.
eod. tit. in. 6.* millies dixit *Rota*, *& præser-
tim in Caputaquen. Iurisdictionis 4. Maii
1708. §. Ex hoc autem coram bon.mem. Caf-
farello, & in Burgen. Iurisd. 19. Februarii
1714. §. At quia, & in Militen. Iurisdi-
ctionis 1. Aprilis 1715. §. Quibus, & 27.
Februarii 1716. §. Pro certo coram R.P.D.
mea Falconerio Almæ Urbis Gubernatore.*
2 Et quamvis hæc Juris dispositio conquie-
scat, quoties nempe in contrarium exhibea-
tur Privilegium Apostolicum, quo Ecclesia
exempta fuerit à Jurisdictione Ordinarii,
cum Papa sine dubio possit Jurisdictionem
ab Episcopo in alium transferre: hoc tamen
Privilegium debet esse clarum, & minime
3 dubium, alias in quacumque dubietate as-
sistentia Juris pro Episcopo militans, & il-
lum quoque operatur effectum, ut nempe
censeatur Papa, vel in nihilo, vel quanto
minus voluisse à Juris, & Sacrorum Cano-
num dispositione deflectere *Rot. dec. 534. n.
1. par. 19. rec.*, *& in d. Caputaquen. Iuris-
dictionis §. Et licet coram bon. mem. Caffa-
rella, & in Constantien. Iurisdictionis super
bono Iure 4. Ian. 1717. §. Ast semper, & 1. Iu-
lii 1718. §. Sentientes coram bon. mem. An-
salda.*
4 Hujus autem generis visum minimè fuit
Privilegium san.mem. Sixti V., cui Capitu-
lum unicè innitebatur; licet enim per illud
exemptæ fuerint à Jurisdictione Ordinario-
rum quæcumque Loca pia, Hospitalia, Con-
fraternitates, & Ecclesiæ, quę in Solo Sa-
crosanctæ Lateranen. Basilicæ constructa,
& fundata fuerint, ut latius constat ex ejus
Constitutione, quæ incipit *Si cuncta la* 19.,
per quam restituta, & renovata fuerunt, sub
certis tamen modificationibus, antiqua In-
dulta Bonifacii IX., quæ Pius IV. revoca-
verat per ejus Constitutionem *La* 57.; ejus-
5 modi tamen Privilegium utpote restrictum
ad Ecclesias, & Loca Pia fundata, & con-
structa in Solo Lateranensi, nullam tribuere
potest exemptionem respectu Ecclesię San-
cti Nicolai, de qua in præsenti sermo est;
quia ista fundata, & constructa fuit, non in So-
lo Lateranensi, sed in fundo proprio Confra-
ternitatis, sub invocatione, & protectione
ejusdem S. Nicolai longè prius erectæ: &
6 sic deficiente qualitate fundationis, & con-
structionis, quam Privilegium requirit in
Solo Lateranensi, Privilegium ipsum appli-
cari nullo pacto potest, ut generaliter fir-
mat *Felin. in cap ex parte n. 25. de rescript.
Rot. coram Cocein decis 117. n. 5. & in rec.
dec. 195. n. 3., & 5. par. 11.*, & in terminis
præcisis hujus Privilegii *Rot. in Anconita-
na Cappellę coram Emerix. Iun de 228. n. 7.,
& dec 460. n. 3.*
7 Quod autem Solum, in quo Ecclesia con-
structa fuit non pertineret ad Capitulum
Lateranense, sed ad Confratres, manifestum,
certumque faciunt documenta per ipsum
Capitulum in actis producta, nempe decre-
tum quoddam Capitulare editum *sub die 6.
Maii* 1546. & publicum Instrumentum eo-
dem anno celebratum *sub die 28. Octobris*
cum enim ex utroque illorum, & maxime
ex dicto Instrumento ad literam habeatur,
Confrates Capitulo donasse ædificium con-
structum, fundatum, erectum, & fabrica-
tum in, & super quodam petio terrarum
eidem Confraternitati præcedenter inter
vivos donato per quamdam Piam mulierem
Donnam Franciscam de Rucani, nemo non
videt, quod ipse primordialis titulus acqui-
sitionis, cui innititur Capitulum, expressè
probat contra ipsum, quod ante donationem
ejus favore factam de dicto fundo à Confra-
tibus, jam super eo fundatum, & constru-
ctum reperiebatur Ædificium, seu Ecclesia
8 controversa; quodque consequenter ad eam
extendi nequit prædictum Privilegium ex-
emptionis, sub quo minime compræhen-
duntur Ecclesiæ jam constructę, & postea
cum fundo, super quo constructæ sunt Ca-
pitulo donatæ, *ut declaravit Sac. Congre-
gatio Concilii in una Regien. exemptionis
15. Novembris 1598. Et Sac. Congregatio
Episcoporum in una Aquilana Iurisdictionis
23. Iunii, & 4. Augusti 1690., & in Re-
gien. Iurium Parochialium 5. Iunii 1699.*,
& alias in his terminis firmavit *Rot. coram
Emerix. d. dec. 228. nu. 6., & 7 & dec 260.
num. 3., & 4. repetit in recen. dec. 383., &
530. par. 18.*
9 Nil turbante, quod ante donationem factam
Capitulo, esset quidem super fundo jam
constructum, & erectum Ædificium, sed
non etiam completum, & perfectum, itaut
in prophanos usus redigi tunc potuisset, ut
dicitur in prædicto decreto Capitulari.
Quidquid enim sit de statu d. Ædificii, circa
quem deferri minimè potest simplici enun-
ciativæ ad proprium favorem emissæ in di-
cto decreto Capitulari, cum presertim ex
eodem habeatur, quod jam tunc Ædificium
denominabatur sub titulo Sancti Nicolai de
sui natura incompatibili cum usu prophano;
cessat in hac parte omnis difficultas, quia
privilegium loquitur de constructione, &
erectione in solo Lateranensi, non vero de
10 complemento, & summa perfectione: unde
quamvis ædificium de tempore donationis
nondum fuisset omnino completum, & ab-
solutum, adhuc privilegium applicari nequi-
ret, cum sine dubio jam tunc esset fundatum
constructum, erectum & fabricatum: In iis
enim, quæ à Jure communi, & Sacrorum
Canonum dispositione recedunt, vel opus
cœptum haberi debet pro completo *An-
char. cons. 69. n. 8. Cyriac. controv. 312. n. 44.
Racc. disp. Iur. cap. 1. n. 13. Sperell. dec. 16.
n. 20.*, vel saltem tamquam casus diversus
ab expresso in Privilegio, sub eo contineri
nequit, cum de sui natura sit strictè inter-
pre-

pretandum, ut de illo dixit *Rot. dicta dec.*
260. *n.1. cor. Emerix*.
11 Minùs etiam obstant actus Jurisdictionis,
qui dicuntur per centum, & ultra annos a
Capitulo, & ejus Vicariis exerciti in Eccle-
sia controversa; aut enim sermo est de reno-
vationibus Investituræ, decretis Capitula-
ribus, solutionibus Canonum, & deputa-
tionibus Cappellanorum, ac Vicariorum;
& ultra quod ejusmodi actus non probantur
exerciti cum scientia, & patientia Episcopi,
sine qua nullum eidem præjudicium irroga-
ri potuit; urget insuper ea inevitabilis re-
12 sponsio, quod cum omnes prædicti actus
expressè innitantur erroneo supposito, quod
Ecclesia constructa fuerit in Solo Latera-
nensi, nullum præstare possunt fomentum
pro ejusmodi exemptione adstruenda, sed
tamquam editi super Ecclesia jam fundata,
& constructa in fundo ad Confratres perti-
nente, alium operari nequeunt, quam sim-
plicis Aggregationis effectum, in solum præ-
judicium, & respectivè favorem Confra-
trum, ad hoc nempè, ut ipsi participes sint
Indulgentiarum, & aliorum hujus generis
fori interni privilegiorum, prout de facto
denotat inscriptio apposita subtus insignia
Sacrosanctæ Basilicæ depicta super Porta
13 majori; Capitulo verò Jus sit exigendi an-
nuum Canonem, & deputandi Cappellanos,
& Vicarium, salva tamen, & illæsa in om-
nibus manente Jurisdictione Episcopi, & Pa-
rochialis Ecclesiæ, sicuti in his terminis alias
respondit *Rota* contra ipsum Capitulum *in
Surrentina Iurisdictionis dec. 31. nu. 12. 13.
14. & per tot. cor. bon. mem. Ansaldo*.
14 Aut vero sermo est de Visitationibus,
Decretis, & aliis hujus generis actibus a
Vicariis Lateranensibus pro tempore exer-
citis; & illi pariter nihil obstant, quia non
probatur, quod in iis, quæ æconomicam
administrationem excedunt, ullam postea
exequutionem habuerint; immò verò ex
15 opposito constat, quod occasione certi
Processus per quendam Vicarium fabricati
contra Parochum, Capitulum, & ejus Vi-
carium, recursum habuit ad Episcopum; hic
verò noluit eum Processum ratum habere,
sed Testes ex integro repetiit, tamquam nul-
liter, & sine Jurisdictione à Vicario Late-
ranensi examinatos; quo sanè facto nullum
exhiberi potest clarius documentum ad ef-
fectum ostendendi, quod tota Jurisdictio
etiam ex agnitione Capituli penes Episco-
pum resideat, ut in simili alias notavit *Rota
ab in Derthusen: Iurisdictionis 6. Februa-
rii 1696. §. Tum etiam cor. bon. mem. Pio,
& in Essendica. Iurisdictionis super bona
Iure 28. Iunii 1707. §. Cum igitur*, & *seqq*,
cor. R. P. D. mea Cerra.
16 Quod si solus iste actus sufficeret ad præ-
servandam Jurisdictionem Episcopali Digni-
tati de Jure commissam, etiamsi contra plu-
res numero concurrerent pro Capitulo, ut
pluribus adductis concordantibus, dixit in
specie *Rot. d. dec. 31. n. 3. coram bon. mem.
Ansaldo*; Potiori sanè Jure prætensa hæc
exemptio excludenda est in præsenti casu,
in quo non prædictus tantùm unicus actus,
sed plures, atque plures, & quoties usus fuit,
ab Episcopo, & ejus Vicariis in Confratres,
& Ecclesiam exerciti fuerunt, sicuti depo-
nunt Testes, & melius probant, tùm Man-
data contra Procuratorem Confraternitatis
relaxata de Anno 1617. ad instantiam Cap-
pellani, qui Ecclesiæ inservierat; tùm ere-
ctio Cappellaniæ de Jurepatronatus Laico-
rum in controversa Ecclesia; tum denique
continuatæ Visitationes ab Anno 1657. usque
in præsens, cum primus ex dictis actibus ad
contentiosam; secundus vero ad volunta-
riam Jurisdictionem manifeste pertineant;
17 & denique Visitationes, non alio, quam ad
Ordinariam Jurisdictionem referri possint,
cum ita ad literam præseferant verba illa
*Visitavit Ecclesiam &c, uti Ecclesiam pleno
Iure subiectam Episcopo Squillacen*; & in
eumdem sensum consonet ea certissima Juris
18 propositio, qua cavetur, ut Visitationes
semper factæ censeantur Jure Ordinario,
quoties constat, ut in casu, Ecclesiam sitam
esse in Diœcesi, & non docetur de exem-
ptione, ut omissis generalibus respondit in
specie *Rot* contra Capitulum *dicta dec.* 228.
n.9. cor. Emerix.
Et ita utraque &c.

EADEM CORAM EODEM SUPER MANUTENTIONE.

Lunæ 7. Iunii 1723.

ARGUMENTUM.

Est in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio danda illi est, cui jus opitulatur, & assistit.*
2 *Amplia, quando Possessor haberet pro se actus plures numero univocos, & Iuris assistentia roboratos.*

DECISIO MCCCLXXXVI.

Consecutivè ad declarationem boni Juris
Episcopi, & Parochi, de qua in contem-
poranea Decisione, responsum quoque fuit
super Dubio Manutentionis, de quo in præ-
senti agitur, *eam dandam esse Episcopo, &
1 Parocho*, cùm nihil magis in hac materia
exploratum, certumque sit, quam quod il-
li danda sit manutentio, cui Jus opitulatur,
& assistit, *cap. Cùm Persona §. final.*, ubi
*Doctores omnes de privileg. in 6. Rot. coram
Zarat. dec. 10. n.9.*, & *dec. 655. sub n.2. par.
3. Recentior.*, & in specie contra Capitulum
Sacrosanctæ Basilicæ Lateranensis *cor. Eme-
rix dec. 228. n.11.* & *dec. 260. sub n.4.*, & *co-
ram bon. mem. Ansaldo dec. 31. n.2.*

2 Non

2 Non obstant actus, qui dicuntur exerciti per Capitulum, & ejus Vicarium, quia illi non subsistunt, ut late probatum fuit in dicta contemporanea Decisione super bono Jure, & in omnem casum præferendi sunt actus per Episcopum exerciti, tanquam numero plures, univoci, & habentes pro se Juris assistentiam, ut in specie, & ad hunc ipsum effectum Manutentionis prosequitur *Rota d. decis. 228. nu. 12.*, & *dec. 260. n. 4. coram Emerix*, & *dicta dec. 31. n 6. coram bon. me. Ansaldo.*

Et ita utraque &c.

GALAGURITANA CANONICATUS.

Veneris 11. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Electus dicitur a majori parte Patronorum, qui unico tantum suffragio coæqualiter electum superasset.

In electionibus collegialiter explendis, si quis sit absens, suam vocem non potest Laico committere, sed uni ex vocalibus, neque Laicus ad sustinendas vices Ecclesiastici Electoris aptus est.

Simplex Clericus potest ad Beneficium institui, quando Fundator onus celebrandi *per se ipsum* non iniunxerit, ac favore Clericorum longæva adesset observantia cum ultimo etiam statu, qui in beneficiali materia semper attendendus est,

SUMMARIUM.

1 *Sententia notoriè iniusta etiam per lapsum cujuscumque temporis in rem judicatam non transit.*

2 *Major Pars Capituli, ut dicatur constituta ad effectum nominandi ad Beneficium, sufficit unius tantum suffragii exuberantia.*

3 *Electus a majori parte quis dicitur, etiam si unico tantum suffragio voces ejus favore alteram partem superassent.*

4 *Electio Beneficiati non potest committi a persona Ecclesiastica Procuratori Laico, cum Laicus dicatur inhabilis ad eligendum* amplia, ut in nn. 6., & 7.

5 *Elector absens, quando electio est collegialis, non aliis potest electionem committere, quam alteri de eodem Collegio, seu Capitulo.*

7 *Inhabilis ad eligendum in Capitulo non potest substituere Clericū habilem in sui locum, cum non possit eam in aliam potestatem transferre, qua ipse non gaudeat.*

8 *Mandatum Procuræ posterius ad eligendum ad Beneficium derogat antecedenti.*

9 *Mandatum Procuræ speciale præfertur generali.*

10 *Procurator substitutus perdit facultates, eo ipso, quod istæ cessant per revocationem mandati Procuratori substituenti.*

11 *Amplia, quando Procuratori substituto fuisset per constituentem intimata revocatio mandati.*

12 *Beneficiatus, sive Canonicus non possunt nominari ad Beneficium per Epistolam, presertim si scribentis legittimus Procurator alteram personam servitio Dei utiliorem elegerit.*

13 *Amplia, si Constituens ab electione facta per Procuratorem post habitam notitiam, non reclamasset.*

14 *Status ultimus in materia beneficiali attendendus est.*

15 *Amplia, si reperiatur per sententiam, & rem judicatam approbatus.*

17 *Sacerdos habitu potest institui ad Beneficium Sacerdotale, quando Testator specialiter onus celebrandi* per se ipsum *non iniunxit.*

17 *Amplia, quando qualitas Sacerdotalis requisita non fuit in actu electionis, sed potius in prosequtione sermonis supposita.*

18 *Subamplia, si concurrat observantia centenaria, ex qua erueretur, quod simplices Clerici ad illud fuissent instituti, &* num. 19.

20 *Petitorium absorbet possessorium, quando illud est adeo clarum, ut nulla possit exceptione obumbrari.*

DECISIO MCCCLXXXVII.

Adversus Sententiam Metropolitani Burgen. revocatoriam alterius Ordinarii Calaguritani, interposita per Franciscum appellatione, sed non trasportatis actis, nisi post lapsum secundi fatalis: dubitavi hodiè, *An constet de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum*, & DD. secundum petitionem ejusdem Francisci informantis, *negativè quoad primam, & affirmativè quoad secundam, dubij partem responderunt*, attenta iniustitia dictæ secundæ Sententiæ, quæ sicuti operatur, ne illa per lapsum cujuscumque temporis assumere unquam possit auctoritatem rei judicatę, ita latam viam sternit pro obtinendo beneficio restitutionis in integrum, juxta vulgatum *Textum in L. 4. §. Condemnare ff. de re judic.*, de quo passim *Rota*, & signanter *in Æsina Collectarum 7. Decemb. 1714. §. Modernis coram Emo Scotto, & in Pampilonen. altiùs tollendi 9. Maii 1718. § Quandoquidem ieram R.P.D. meo Falconerio.*

Clara autem, & minimè dubia visa fuit
2 iniustitia d. Sententiæ: Cum enim ad Canonicatum controversum Franciscus electus fuerit cum suffragio trium ex quinque vocibus universum Capitulum componentibus, Antonius vero collitigans, non amplius, quàm reliqua duo suffragia obtinuerit, de jure autem ad constituendam majorem partem Capituli sufficiat unicum tantum superare suffragium, ad *Text. in cap. Cum in Jur. de election.* & tradita per *Rot. in Comen. Archipresbyteratus 17. Iunii 1715. §. Quan-*

Quamobrem, & 12. *Junii* 1716. §. *Et Ju-*
re cor. R.P.D. meo Falconerio, & 5. *Mar-*
tii 1717. §. *Firmum coram Rm̃o Ravenna-*
3 *ten.* ; Hinc de plano consequitur, eum-
dem Canonicatum, excluso Antonio, adju-
dicandum fuisse Francisco tamquam electo
à majori parte Capituli, & pleniori nume-
ro suffragiorum suffulto, juxtà *Text. in cap.*
quoniam de Jurepatron., & aliàs respondit
Rota dec. 129. *n.*7. *p.*19. *rec.*, & *in Pisto-*
rien. Beneficii 27. *Martii* 1716. §. *Quinim-*
mo cor. R.P.D. meo Cerro.

Absque eo quod obstare possit, quatenus
opponatur, quod duo suffragia ad Abba-
tem pertinentia numerari potiùs debeant
pro Antonio, tamquam eo nomine electo à Ca-
nonico substituto per Paulum fratrem ejus-
dem Abbatis, & una simul generalem ipsius
Procuratorem cum libera facultate substi-
tuendi : Objectio enim facile corruit ex du-
4 plici animadversione, altera nimirum quod
Paulus erat Laicus, atque idèo nequibat
validè constitui Procurator ad eligendum,
cum in materia electionis actus eligendi
committi nequeat subjectis inhabilibus, cu-
jusmodi Laici de jure reputantur, juxta
Text. express. in cap. Quisquis in cap. Mas-
sana, & *in cap. Sacrosancta de electionibus*,
ubi communiter Scribentes, & tradunt *Lot-*
*ther. de re benefic. lib.*2. *q.*6. *n.*59, & *seqq.*
*Selva eod. tract. p.*2. *q.*35. *per tot.*, & *q.*23.
nu. 5.

Et altera, quod cum electio ista collegia-
5 liter fieri deberet, Elector absens, non alii
committere poterat vices suas, quàm alteri
de eodem Collegio, seu Capitulo, juxta
dispositionem *Text. in cap. quia propter* §.
Illud autem de elect., *ubi Fagnan. nu.* 62.,
Lambertin. de jurepatron. p. 1. *lib.* 2. *q.* 4.,
*artic.*1. *n* 5., *Tamburrin. de Jur. Abbat.*
*tom.*4. *disput.*5. *q.*3. *n.*2., *Lotther. lib.*2. *q.*19.
*n.*23. ; *Barbos. de Jur. Eccles. lib.*1. *cap.*19.
6 *n.*104, atque ideo cum Paulus esset Laicus,
& non de gremio Capituli, sicuti inhabilis
prorsus erat, cui Abbas facultatem eligen-
di posset committere, ita quoque consequi-
tur, ut metiendo voluntatem à potestate,
juxta regulam *text. in cap. cum in generali*
de offic. Vicarii in 6., mandatum quantum-
vis generale per Abbatem Paulo traditum,
comprehendere nunquam censeatur actum,
& facultatem eligendi, quam conferre in
illum non poterat, *Rota cor. Coccin. decis.*
1621. *n* 10., & *dec.* 466. *n.*24. *p.*19. *rec.*

Nil urgente, quod Paulus virtute facul-
7 tatis sibi traditę, alium de Capitulo habilem
ad actum eligendi substituerit, quippe quia
cum inhabilitas, qua ille afficiebatur, non re-
sideret in aliqua exceptione, qua nõ opposi-
ta, remansisset habilis, sed ipse, vel tãquam
Laicus, vel extra gremiũ Capituli, esset ip-
so Jure penitus inhabilis ad suffragium fe-
rendum in eodem Capitulo ; neque etiam
poterat alium cęteroquin habilem validè
substituere, cum de jure non posset in alium
transferre eam potestatem, qua ipse Pro-
curator Principalis omnino carebat. Tex-
tus est in hoc singularis in *Clement. religio-*
sus de Procuratoribus, ubi ita distinguit
Rota verb. commissum, & latissime firmat
*Pax Jordan. tom.*3. *lib.*14. *tit.*2. *de Procu-*
*rat. n.*123., & *seq.*

8 Sed quomodocumque se res habeat, ces-
sat in hoc passu omnis difficultas, quia cum
dictum generale mandatum expositum fuis-
set per Abbatem favore Pauli fratris sub
die 13. Novembris 1716., eo ipso, quod
postea idem Abbas die 6. Martii 1717. aliud
exaravit speciale mandatum ad hunc præ-
cisum finem eligendi ad Canonicatum, de
quo agitur, in personam Canonici Josephi,
qui Franciscum eo nomine elegit, inefficax
omnino remansit substitutio facta ab eodem
Paulo sub die 24. Maii subsequentis, sive
quia per mandatum Procuræ posterius de-
rogatum ipso jure censetur cuicumque ante-
cedenti *cap. non injuste de Procurat.*, *L. si*
quis §. *Julianus ait ff. eodem tit.*, *Rota*
cor. Cerro dec. 142. *n.*3., & *in rec. dec.* 367.
9 *n.* 15. *p.* 9., sive etiam quia hoc sibi pro-
prium adscribit mandatum speciale, ut sem-
per in concursu præferendum sit generali
cap. Studuisti de offic. Legati cap. 1., & *cap.*
Pastoralis §. *Quoniam de rescript.* cum aliis
apud *Golin. de Procurat. p.*2. *cap.*4. *n.* 42.,
10 & *seqq.* ; corruente autem mandato prin-
cipali, jam quisque videt, nullam haberi
posse rationem de Procuratore post revoca-
tionem substituto : Et si ita juris esset, tamet-
si revocatio, nec Paulo, nec substituto inno-
tuisset *cap. Procurator de Procurat. in* 6.
Costren. cons. 361. *n.*4., & *seqq. lib.*1. *Lam-*
11 *bertin. p.*1. *lib.*2. *q.*4. *artic.*4. *per tot.*, mul-
to sanè magis hoc recipi debet in casu præ-
senti, in quo revocatio pręcedentis manda-
ti generalis fuit personaliter intimata ; &
notificata substituto in ipso actu electionis,
ut benè ad rem observat *Tondut. p* 1. *cap.*26.
*nu.*9., & *seq*, *Card. de Luc. de jurepatr.*
*disc.*62. *n.*13.

Prout etiam minus urget epistola quędam
12 qua mediante, dicitur Abbas voluntatem
suam declarasse, ut in Canonicum eligere-
tur Antonius ; quidquid enim sit de rele-
vantia hujus Epistolæ, circa quam viden-
dus est *Textus in cap. si quis* §. *Absent*, *ubi*
gloss., & *Geminian. nu.* 5., *de elect. in* 6.,
& maximè postquam per d. speciale manda-
tum Abbas Procuratori commiserat liberam
potestatem eligendi personam, quam idem
Procurator ex sui Sententia ratus fuisset pro
Dei servitio utiliorem, ad ea, quæ tradunt
*Lambertin. p.*2. *lib.*2. *q.*7. *art.*15. *n.*5., *Rot.*
in Comen. Parochialis 10. *Februarii* 1713.
§. *Quocirca coram Rm̃o Aldrovando*. De-
13 ficit in radice objectio, quia asserta Epi-
stola suspecta adeo falsitatis visa fuit, ut Or-
dinarius putaverit, neque etiam locum es-
se recognitioni caracteris, ac proinde de
ea nulla ratio haberi potest, cum maximè
Abbas postquam rescivit, electum ab ejus
Procuratore fuisse Franciscum, nunquam

ic-

reclamaverit, aut adversus ejusmodi electionem conquæstus fuerit, ut in simili notavit *Rota in d. Comen. Parochialis §. Validiut cor. Rm̃o Aldrovondo, & in alia Comen. Archipresbyteratus* 12. *Iunii* 1716. *§. Nec expungendum cor. R. P. D. meo Falconerio.*

Ab alia obiectione, quod Franciscus de tempore electionis esset solum constitutus
14 in decimo octavo suæ ætatis anno, facili negocio DD. sese expediverunt, quia, attento ultimo, & penultimo statu, qui in hoc Judicio Institutionis est omninò attendendus *cap. consultation. de Jurepatr.*, *Rota in Melevitana Beneficiorum* 10. *Jun.* 1712. *§. si ali cor. Rm̃o Aldrovando*, & sæpe alibi, præclare constat, hunc Canonicatum non esse, neque actu, neque habitu Saeerdotalem, cum tàm de anno 1691., quàm rursus in ultima vacatione anni 1714. electus, & admissus fuerit simplex Clericus, qui etiam in contradictorio Judicio sententiam Institutionis obtinuit in exclusionem Sacerdotis, qui sub hoc ipso fundamento tunc se oppo-
15 suit, unde fit, ut prædictus ultimus status eo magis attendi debeat, tamquam approbatus per sententiam, & rem judicatam, ut aliàs in his terminis respondit *Rota in Cremonen. Beneficii* 4. *Februarii* 1715. *§. Et ubi etiam cor. R.P.D. meo Cerro.*

Minime obstante antiqua Constitutione
16 Episcopi Gundisalvi, qui erigendo hanc Ecclesiam in Collegiatam, inter alia statuit, quod ibidem adessent quinque Portionarii, seu Canonici, qui essent Sacerdotes perpetui, quodque de facto Clerici in Canonicos pro tempore electi petierint, & obtinuerint dispensari adversus d. Constitutionem: ultra quod enim sufficit, quod in ea non fuerit Canonicis iniunctum onus celebrandi per se ipsum, ut distinguendo magistraliter firmavit, *Rota dec.* 825 *cor. Merlin.*, *& in Melphiten Beneficii* 21 *Junii*, *&* 5. *Decembris* 1712. *cor. Me*, *& in Cremonen. Beneficii* 4. *Februarii* 1715. *§. Ex Instrumento cor. R.P.D meo Cerro*; cum
17 præsertim qualitas Sacerdotalis requisita non fuerit in actu electionis, sed potius supposita in prosequutione sermonis, ut etiam observat *Rota in Gerunden. Beneficii* 3. *Iunii* 1712. *§. Obiectum cor. R.P.D. meo Falconerio*

Pro remotione obiecti exuberat, quod in
18 concordia successivè inita anno 1599., & per lapsum plusquam centenarium iugiter observata, expressè constitutum fuerit, ut Canonicatus isti conferri possent etiam Clericis minoribus prima tantum tonsura initiatis; quidquid enim tenuerint aliqui, qui ad maiorem cauthelam post iam secutam electionem, & adeptam actualem Canonicatus possessionem dispensari petierunt super defectu qualitatis Sacerdotalis, cum istorum timor, aut opinio qualitatem Sacerdotalem Canonicatui impingere nequeat, ut prosequitur *Rota in d. Cremonen. Beneficii* 9. *Martii* 1714. *§. Quin urgeat coram Me*, *&* 4. *Februarii* 1715. *§. In cujus cor. R.P.D.*
19 *meo Cerro*; illud utique certum est, quod Constitutio memorati Episcopi Gundisalvi nunquam talis dici potest, ut absorbere valeat possessorium, dum contra eam militat nedum observantia memoriam hominum longè excedens, sed etiam d. intermedia
20 Transactio, & Concordia, cum ad effectum, ut possessorium à petitorio absorbeatur, titulus debeat esse adeo clarus, ut nulla exceptione obumbrari possit, *Rota cor. Emer. dec.* 224. *n.* 2., *& in Mediolanen. Cappellaniæ* 20. *Februarii* 1699. *§. Atque hinc*, *& in Melphiten. Beneficii* 5. *Decembris* 1712. *§. Minus obstat cor. Me*, & alibi passim.

Et ita unica &c.

ARIMINEN FIDEICOMMISSI BANDI DE BANDIS QUOAD INVESTIMENTUM SUPER RESERVATIS IN STATU ACTIVO.

Lunæ 14. *Junii* 1723.

ARGUMENTUM.

Coniecturæ ad probandam solutionem, quam quis de proprio absque ulla cautione de ea repetendo adversus debitorem, se fecisse prætenderet, non admittuntur, quando per eumdem staret, quominus veritas per legalis documenti exhibitionem eliceretur, cum nemo aliena debita solvere præsumatur.

Fructus Vrbanorum prædiorum secundum Populi affluentiam in loco vigentem, taxantur, quia taxa legalis, tamquam suppletiva, non habet locum, quando minoritas fructuum aliunde probatur, & reliqua secumfert præsens.

SVMMARIVM.

1 *Hæreditas gravanda non est debito semel soluto.*

2 *Solutio semper præsumitur facta ab illo, ad quem pertinet, cum nemo æs alienum solvere præsumatur*, & nn. 2. 5., & 8.

3 *Occultatio scripturarum præsumitur facta ab illo, contra quem probant, & faciunt.*

4 *Coniecturæ ad probandam solutionem, etiam si urgentes, non admittuntur, quando stat per eum, qui illas adducit, quominus veritas ex publico instrumento eliciatur*, amplia, ut in n. 8.

5 *Solvens alienum debitum de proprio, semper præsumitur sibi cavisse, quod appareret pecunias solutas suas proprias fuisse.*

6 *Discretiva loqutio non habet locum, quoties concurrit ratio disparitatis, propter quam non opportuit, quem ita se obligasse in uno casu sicut in altero.*

7 *Alienatio de bonis Minoris non admittitur, quando cessisse appareret pro dimittendo debito evanido, vel altero, cujus solutionis dies adhuc non cessisset.*

9 Solu-

9 *Solutio pro debito communi non præsumitur in totum facta à fratre, quando reperiretur, quod ab altero fratre repetiisset ratam illi tangentem de aliis debitis, & ratam controversi debiti non postulasset*, amplia, ut in n. 21.

10 *Partita non deducta, nec coram Perito, nec coram Judice, si ex post deducatur, præsumenda est insubsistens*, & n. 11.

12 *Venditio ineffectuata, in quo deficiat certitudo rei, pretii, & effectiva traditio nil operatur*.

13 *Ad investimentum favore fideicommissi hæres gravatus non tenetur; secus verò si illud fideicommittens fieri demandasset*.

14 *Compensatio cessat, quando eam opponens non est creditor ex una, simulque debitor ex altera partita, vel causa*.

15 *Decisio, de cujus viribus non revideatur, præsupponenda est*.

16 *Redditus bonorum hereditariorum semper de Jure præsumantur pares oneri investimenti à Testatore demandati, & contrarium asserenti inest onus probandi*, amplia, ut in nn. 19., & 20.

17 *Fructus prædiorum Urbanorum æquiparantur fructibus rusticorum in iis locis, in quibus Populi affluentia non est admodum grandis, & ad rationem duorum pro centenario taxantur*.

18 *Fructus prædiorum Urbanorum probantur ex locationibus, licet illa tempus controversum non percutiant, quando prædia sunt posita in loco, ubi Populi affluentia non adest*.

20 *Inexigibilitas censuum, & fructuum hereditariorum ab hærede gravato allegata in causam non facti investimenti à Testatore demandati, quomodo sit probanda*; & n. 21.

22 *Fructus censuum, qui non probantur extincti, nequeunt ad rationem scutorum quatuor pro centenario calculari, sed præsumuntur vigere, & juxta impositiones debentur, & vide casum*.

23 *Fructus prædiorum rusticorum in montaneis ad rationem scutorum duorum pro centenario, & in planitie ad rationem trium taxantur*.

24 *Fructus liquidari nequeunt juxta sensum peritiæ, quæ tempus controversum non percutiat*, amplia, ut in n. 26.

25 *Taxa legalis est præsumptio, contraria præsumptione elidibilis*.

DECISIO MCCCLXXXVIII.

IN examine partitarum respicientium statum activum hæreditatis Comitis Bandi habito in Rota diei 23. Aprilis proxime præteriti, cum quinque ex eis in notula coram Me concordata primum, secundum, undecimum, duodecimum, & ultimum locum occupantes ob suffragiorum scissuram tunc resolvi nequiverint, reassumpta fuit hodie videntibus quintò, & sextò ex D.D. illarum discussio sub originali dubio *An, & quæ partitæ sint admittendæ in statu activo, it aut sit standum. vel recedendum à decisis*, & responsum fuit, *partitas esse admittendas juxta modum infra exprimendum*.

Et primam quidem ex dictis partitis reservatis respicientem census hæreditarios Bandi pro summa scut. 1263. in solutum traditus Juliæ de Bandis pro solutione residui dotis eidem constitutę in summa scutorum 3750., Domini censuerunt esse in statu activo calculandam. Quamvis enim pro parte Comitis Galeatii diceretur hanc partitam non esse admittendam, prout de facto Peritus illam rejecit, ex quo Bandus occasione, qua emit à Fratribus ejusdem Juliæ originariis debitoribus d. dotis Prædium quoddam in vocabulo *della Colombara*, loco numerandi pretium eius Prædii conventum in summa scutor. 1863., accollavit in se pro dicta rata debitum d. dotis, quo Venditores gravabantur, & nihilominus hoc nomine nihil ultra solvit, quam scut. 600., unde inferebatur, quod pro reliqua summa scut. 1263. bene potuerit Æneas junior tot census hæreditarios in solutum tradere Juliæ creditrici.

Tota tamen moles hujus ratiocinij facile evertebatur ex eodem publico instrumento quietantiæ expositæ à Julia anno 1625. super quo Comes Galeatius unicè innitebatur, cum enim in eo post obitum Bandi, & ad instantiam Æneæ junioris illius hæredis Julia fassa fuerit ultra scut. 600., de quibus non est controversia iamdudum habuisse, & recepisse scut. 1300., se referendo ad instrumentum desuper rogatum per quemdam Notarium Bartolinum, nemo non videt, quod juncta hac summa scut. 1300. cum alia præcedenter soluta sc. 600. jam Bandus integrè solverat pretium pro d. Prædio conventum, & respectivè debitum dotis pro intranti ejusdem pretii quantitate accollatum, unde nulla Juris, aut æquitatis ratio

1 patitur, quod pro debito jam semel integrè soluto, iterum gravetur ejus hæreditas, *leg. bona fides ff. de reg. jur.*

Minime urgente, quod in d. Instrumen-

2 to quietantiæ non fuerit expressum, quod Julia receperat eam summam scut. 1300. ab ipso Bando: Quoniam cum Bandus reverà esset ejus summæ debitor propter accollationem de ea factam occasione emptionis dicti Prædii, præsumptio Juris est, quod ab ipso, & non ab alio soluta fuerit, donec plenè, & concludenter de contrario doceatur, *Rota coram Otthobon. decis. 170. n. 28., & coram Emerix dec. 905. n. 3., & in Ferrarien. Locationis, seu Pecuniariæ 26. Junii 1716. §. Nec obstant coram Emo*

3 *Altban.*; cum præsertim Comes Galeatius facile admodum veritatem facti, quatenus aliter se habeat elucidare possit, exhibendo nimirum Instrumentum rogatum à Notario Bartolino, ad quod Julia relativè se habuit; dum interea quo illud non exhibet

fieri debet eatenùs ab eo occultari,quia facit contra ipsum, *Rota dec.* 228. *n.* 8. *cor. Beniacasa, & in Romana multiplicarum* 19. *Junii* 1693. §. *Eumque cor. clar. me. Card. Caprara, & in Romana Pecuniaria super exhibit.* 21. *Junii* 1694. §. *Sextum coram bon. me. Muto, imprest. penes Albit de inconst. decis.* 34.

4 Frustra autem loco exhibendi dictum Instrumentum Bartolini recurrere visus fuit ad aliquot conjecturas,quibus Judices,etiam si graves, & urgentes videantur, deferre, nunquam debent, quando, prout in casu stat per eum, qui illas adducit, quominus veritas ex publico Instrumento eliciatur, sed quæ in præsenti adducebantur, neque etiam erant adeo graves, & urgentes, ut juris præsumptionem elidere possent; quod enim d. quietantia exposita fuerit ad instantiam Æneæ junioris ibidem præsentis nedum non probat solutionem scut. 1300. factam fuisse ab Ænea, sed potius contra retorquetur, quia si Æneas præsens revera solvisset, non fuisset utique contentus, quod quietantia simpliciter exponeretur ad ejus instantiam, sed impensè exprimi curasset, quod ea summa soluta fuerat per ipsum, & ex ejus pecuniis, ut cautum ipsi eo pacto remaneret, tùm contra hæreditatem Bandi, tùm contra cæteros duos fratres pro dicta dote æqualiter obligatos; undè cum de hoc sollicitus non fuerit, multò magis confirmatur præsumptio Juris, quod Julia eam summam jamdudum recepisset à Bando illius debitore, quodque eatenus Æneas institerit, ut d. quiet antia per Juliam exponeretur etiam de summa soluta perBandum, quia ejus intererat illam habere, & tamquam

5 quam hæredis ejusdem Bandi, & tamquam unius ex originariis debitoribus, juxta regulam, de qua *Gobb. consult.* 43. *n.*42.*b.m. Ansald. de commerc., & mercatur disc.*54. *n.*28., *Rot. dec.* 31. *n.*16. *p.*17. *rec.*, & sæpe alibi.

Simili modo retorquetur potius alia cir-

6 cumstantia, quod in d. Instrumento quietantiæ respectu summæ scutor. 600. expressè dictum fuerit, quod à Bando soluta fuerat; inde enim bene quidem infertur contra Galeatium, quod Notarius, qui recepit prædictum Instrumentum non erat adeò solitus uti illa clausula *ad instantiam*; quod nesciret exprimere, cum in aliis pluribus Instrumentis ad hunc effectum adductis, tùm verò, & præcisè in hoc ipso, de quo agitur à quo solutio facta fuerat. Præterea contra ipsum Galeatium bene quoque infertur, quod sicuti expressum fuit, quod dd. scuta 600. erogata fuerant à Bando, ita & multo fortiùs Æneas ibidem præsens exprimi curasset, quod controversa scut. 1300 ab ipso soluta fuerant, si revera de propriis pecuniis soluta fuerant per ipsum, & non a Bando fuissent; sed non etiam duci potest contra hæreditatem ipsius Bandi argumentum ullum discretivæ locutionis, quia respectu scut. 1300. satis erat se referre ad aliud præcedens Instrumentum rogatum à Bartolino, & non sic erat respectu scut. 600., pro quibus solum aderat privata quietantia; undè diversa inter utramque summam urgente ratione, cessat consequenter omnis jus discretivæ locutionis, ex adductis per *bon. mem. Ansald. decis.* 12. *n.*8.

Quod autem, retento hoc sensu, Æneas pius debito solvisset scut. circiter 500. nihil confert ad casum, quia quicumque is fuerit, à quo Julia receperit controversa scut. 1300. Bandus videlicet, aut Æneas, semper idem resultat excessus, qui Æneæ imputari debet, dum pro residuo dotis redacto ad scut.1359. erogavit in tot censibus summam scut. 1858., non enim suaderi potest, quod d. summa scut. 1300. componatur ex scut. 500. solutis ab Ænea in actu conjiitutionis dotis, & ab aliis sc. 600., quæ pariter præsumi debeant ab eodem Ænea soluta pro prima rata, cujus dies cedebat de mense Septembris 1620., sicuti subdebatur à Comite Galeatio, nam ultra quod dd. duæ partitæ non componunt controversam summam scut. 1300., sed aliam longè minorem scut. 1100., cessat omnis dif-

7 ficultas, quia si ab Ænea soluta fuisset prima rata scut. 600. maturata in mense Septembris, nequivisset de mense Februarii immediatè sequentis devenire ad alienationem d. Prædii *della Colombara*, quia rata solutionis tunc maturata jam fuisset soluta, alterius verò ratę maturandæ de mense Septembris 1621. non adhuc cessisset dies, & sic pro neutra distrahi citè potuissent bona minorum, *leg. magis puto* §. *Nec passim ff. de rebus eorum*, *Gobb. consult.* 56. *n.*13., *Altograd. controv.* 7. *n.*33., *Rota cor. Merlin. decis.* 444. *n* 6., & 7.

8 Cum itaque argumenta isthæc essent in se nimis levia, & æquivoca, imò potiùs retorquerentur contra Comitem Galeatium, jure meritoque DD. sub eorum obtentu recedendum minimè censuerunt a juris præsumptione militante pro hęreditate Bandi, quæ fortiùs reddebatur nedum ex quo Com. Galeatius non exhibebat instrumentum rogatum a Bartolino, ut supra dictum est, sed etiam ex quo inverisimile nimis erat, quod Æneas junior, qui una cum fratribus vendere coactus fuit dictum Prædium *della Colombara*, ad præcisum effectum, ut Bandus emptor debitum dictę dotis dimitteret pro intranti quantitate pretii, aliundè habuerit undè solveret summam sc. 1300., & magis

9 etiam inverisimile erat, quod si dictam summam re vera solvisset, postea illam repetere neglexerit contra Guidonem ejus fratrem pro tertia parte ipsum taugente, dum in transactione inter eos inita anno 1639. non omisit contra illum repetere tertiam partem alterius summæ sc. 1858., quam revera solvit dictæ Juliæ sorori pro residuo ejus crediti dotalis mediante assignatione tot censuum, ad notum *Tex. in l. cum de indebito Cod. de probat., de quo Rot. in Romana* Cam-

Cambii 13. *Novemb.* 1722. §. *finali coram R. P. D. meo Gamaches*, & sæpè alibi.

10 Quod igitur attinet ad hanc primam partitam scut. 1263., non subsistente supposito, quod Bandus remanserit debitor dictæ dotis Juliæ pro residuo pretii conventi in emptione Prædii *della Colombara*, prout perperam supposuerat Peritus, meritò dictum fuit, eam esse in statu activo ejus hæreditatis admittendam, quod enim hodiè de novo adducebatur, Bandum nempè remansisse debitorem si non pretii *della Colombara*, saltèm pretii quorumdam aliorum bonorum *Caisantini*, una cum dicto Prædio venditorum, ultra quod videri poterat omninò futile, & insubsistens ex eo solum, quod talis prætensio nunquam hactenùs, neque coram Perito, neque in tot disputationibus in hoc Sac. Tribunali habitis audita fuit, facile in-
11 super confundebatur, ex quo venditio dictorum bonorum nullum unquam habuit effectum, dum non probatur, quod Venditores posteà devenerint ad effectivam eorum traditionem, imò constat ex Inventario hæreditario Bandi non ampliùs, quam biennio post defuncti, quod talia bona nunquam ab
12 eo possessa fuerunt, undè nulla ratio haberi potest de venditione, quæ effectum fortita non fuit, & in qua deficit tùm certitudo rei, & pretii, tùm quoque effectiva traditio, *Rota decis.* 220. *n.* 6. *& ibi Adden. lit. A. & dec.* 372. *n.* 2. *& per tot. cor. Buratt. & decis.* 379. *n.* 34. *cor. Bichio, & dec.* 395. *n.* 11. *par.* 4. *tom.* 2. *& dec.* 281. *n.* 7. *par.* 12. *rec.*

Sed non solùm primam partitam, de qua hactenùs sermo habitus fuit, sed etiam secundam consistentem in censibus retrovenditis in manibus Æneæ junioris usque ad summam scut. 4112. DD. admittendam esse
13 censuerunt in statu activo: Quamvis enim dicti census fuerint minutatim, & in diversis partitis restituti, non ideò tamen licere potuit Æneæ pecunias in eam causam acceptas in proprios usus erogare, sed post factum sufficientem illarum acervum, vel debebat extingnere census passivos, quibus hæreditas gravabatur, vel honesto lucro iterum investire, dùm regula illa, quod hæres gravatus non tenetur investire pro fideicommisso, cessat in præsenti casu, quo Testator demandavit investimentum annuorum sc. 200., *Bart. in leg. qui negoeiationem ff. de administr. Tut. Molin. de Primogen. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 39. *Rot. decis.* 413. *n.* 5. *&* 6. *cor. Cerro, ubi concordan.*

14 Neque verò dictæ summæ contraponi poterat creditum, quod Æneæ adscripsit Peritus etiam in majori quantitate pro censibus, & annuis præstationibus, de quibus actum fuit in Rota diei 26. Aprilis proximè præteriti, nam cum Sacra Rota declaraverit dictos census, & annuas præstationes constituentes septimam, & nonam ex partitis, quę tunc discussæ fuerunt adscribi non posse debito Bandi, nec respectivè credito Æneæ, ut ex decisione dicta die edita super statu passivo §. *Quoad sextam, & seq. cor. Me*, cessat consequenter omnis contrapositio, aut compensatio, quæ alias opponi nequit, nisi quatenùs quis sit creditor ex una, & debitor ex alia partita, vel causa, *leg. ejus C. de compen-*
15 *sat. l. in rem verso ff. eod.*, cum namque dicta decisio hodiè minimè revideatur, est omninò juxta stylū supponenda, spretis omnibus exceptionibus, quæ extra dubii limites contra illam adducuntur.

Indè igitur succedebat tertia ex partitis reservatis, & in ordine notulę concordatę la 11. respiciens pensiones Prædiorum Urbanorum à Perito calculatas juxta taxam legalem ad rationem quinque pro centena-
16 rio, sed quamvis Domini existimaverint hujusmodi pensiones adscribendas esse statui activo, quia stante præsumptione Juris, quod redditus bonorum hæreditariorum pares censeantur oneri investimenti à Testatore ejus hæredibus injuncti, onus est ipsorum hæredum contrarium concludenter probare, & sic, quod domus locatæ non fuerint, aut quod pensiones non fuerint ab
17 ipsis perceptæ; Nihilominus hanc partitam non aliter admittendam censuerunt, quam ad rationem sc. 2. pro centenario, moti potissimum ex eo, quod Prędia Urbana in Civitatibus, in quibus Populi affluentia non est admodum grandis reddere, minimè soleant fructum, quem reddunt Prædia rustica ex eorum natura fructifera. Cum igitur Sacr. Tribunal in similibus Civitatibus taxare censueverit pensiones domorum ad rationem duorum pro centenario, ut notavit *Pacion. de locat. cap.* 19. *n.* 35 *& Adden. ad Gregor. dec.* 553. *n.* 16. *ad Ubald. dec.* 64. *in fine, Rota deisc.* 459. *n.* 1. *cor. Emerix, & in Firmana Immissionis super Fructibus* 25. *Novemb.* 1705. §. *penult. cor. bon. mem. Omanna, & in Urbevetana Salviani* 8. *Martii* §. *Ve-*
18 *rumtamen cor. cl. mem. Card. Priolo*, longè potiori jure ità videbatur in præsenti judicandum, dū constat ex pluribus locationibus datis ab anno 1679. usque ad 1707. domos Arimini non fuisse pluris locatas: Dictæ enim locationes, quamvis non percutiant præcisè tempus, quo investimentum fieri debebat, negari tamen nequit, quin plurimum roboris addant prædictæ præsumptioni orienti ex qualitate Civitatis Populo non ità multò affluentis, ut in similibus terminis de affictibus, & relatione Peritorum nuper dixit *Rota* post alios Concordantes in *Romana, seù Portuen. Terrarum super fructibus* 5. *Maii proximè præteriti* §. *Hæc igitur cor. Me.*

19 Quoad quartam ex partitis reservatis consistentem in fructibus censuum a Perito calculatis in scutis annuis 408. 68., dictum fuit, esse admittendam favore hæreditatis Bandi, retento enim principio illo, quod Comes Galeatius, qui conatur excusare ejus Auctores ab omissione investimenti sub obtentu, quod vires hæreditatis Bandi illi faciendo impares essent propter hanc, vel il-

lam causam, tenetur ejusmodi exceptionem plenè, & concludenter probare, quia præsumptio juris est in contrarium; Hoc inquam retento principio satis non est, quod ipse dicat
20 fructus census non esse adscribendos, vel saltem non in tanta quantitate, quia fuerint inexigibiles, aut quia reducti fuerint processu temporis ad minores usuras, debet enim ab eo probari ejusmodi inexigibilitas, aut reductio, & quidem non per vagas, & generales conjecturas, cujusmodi sunt illæ deductę a numero, & paupertate Debitorum, vel ex quo pauci alii consimiles census comperti fuerint inexigibiles, sed per claras, & concludentes probationes, ostendendo scilicèt respectu reductionis instrumenta eam comprobantia, & respectu inexigibilitatis diligentias oportuno tempore adhibitas contra Debitores, & Fideiussores, necnon contra eorum bona, ac fundos censitos, cum iste sit modus in jure receptus ad probandam censuum inexigibilitatem, *Rosa consult.2. n.37. Pacion. alleg.124. n.13. Rota dec.231. n.2. & 3. par. 17. & decis. 302. n. 13. par.19. & in Calaritana Evictionis 27. Febr.1721. §. Quibus cor. Eminentiss. Scotto,*
21 cum præsertim in præsenti casu crescat necessitas hujus concludentis probationis ex ea notabili circumstantia facti, quod si revera census fuissent inexigibiles, aut reducti ad minores usuras, non omisisset Æneas primus hæres hoc deducere contra Bandum ejus fratrem Legatarium, quo tempore, & ipse quoque ad se eximendum a prçstatione Legati opponebat vires hæreditatis tantùm oneris ferre non posse, ut latiùs dictum fuit in decisione hujus Causę super statu passivo 26. Aprilis proximè preteriti §. *Sed Domini cor. Me.*
22 Nil turbante, quod Sac.Tribunal in Ariminen. Fideicommissi Bandi de Bandis super fructibus 25. Januarii 1715. cor. R.P.D. meo Cerro ex æquitate quadam aliàs censuerit fructus censuum liquidandos esse ad rationem sc.4. pro centenario; eatenùs enim tunc Sac. Rota in eum sensum descendit, quia hæres gravata providè duxerat pro censibus tot bona fructifera à Debitoribus in solutum recipere, ut constat ibi ex §. *Tota igitur*, hæc autem æquitatis ratio minimè congruit casui præsenti, in quo agitur de censibus, qui non probantur ullo pacto extincti, & ideò vigere præsumuntur, juxtà primævam eorum impositionem; ut supra probatum fuit.
23 Supererat quinta, & postrema ex partitis reservatis, sub qua in controversiam revocabatur usumfructus Prędiorum rusticorum admittendum esse juxta taxam legalem scu. 5. pro centenario eo tempore vigentem, & cum qua processerat Peritus, reservato tamen tùm in hac, tùm in duabus antecedentibus partitis meliori judicio Sac. Tribunalis. At verò Domini super hac partita animadvertentes hinc urgere prçsumptionem taxæ legalis, indè verò vim facere relationem Peritorum, qui in alio judicio liquidationis fructuum à Comitissa Julia restituendorum fructus Prędiorum in Montaneis taxarunt ad scuta duo, eorum verò, quę in Planitiè sunt, taxarunt ad scuta tria pro quolibet centenario, mediam viam, quæ semper tutior est, & veritati propior, eligentes censuerunt dictus fructus liquidandos esse pro omni genere bonorum rusticorum ad ratio-
24 nem scu.3., cum de rigore juris neque omninò attendi posset dicta relatio Peritorum tamquam non percutiens præcisè tempus, quod cadit in controversiam, sed longè posteriùs, neque etiam taxa legalis, quæ est
25 simplex præsumptio contraria probatione, vel prçsumptione elidibilis, & quæ in casu elidebatur ex dicta relatione Peritorum,
26 quę utcumque respiceret tempus posterius, magnam tamen conjecturam faciebat etiam pro tempore antecedenti, cum maximè plures annos continuos complecteretur ex deductis in *Ferrarien. Fideicommissi super fructibus 2. Julii 1706. §. Respectu, & §. Eadem verò, & 1 Julii 1707. §. Minimè cor. bon. mem. Kaunitz, & 27 Aprilis 1708. §. Illorum cum seqq. cor. Emo Scotto.*

Et ita utraque &c.

EADEM CORAM EODEM SUPER PARTITIS RESERVATIS IN STATU PASSIVO.

ARGUMENTUM.

Est hæc decisio *juxta modum* confirmatoria alterius sub die 26. Aprilis proximè prçteriti emanatæ.

Donatio de bonis fideicommissariis ab hęrede gravato futuris post se Vocatis facta, quoad usumfructum tantum sua vita durante, non verò quoad proprietatem intelligitur, cum hæc in libero illius dominio non fuisset, sicque illius voluntas est cum donatione concilianda; & reliqua secum fert sequens.

SUMMARIUM

1 *Donatio potest esse restricta ad certum tempus, & post illud gerere figuram dationis in solutum,* & n.3. ac vide casum.
2 *Factum ex mera liberalitate, & nullo cogente jure, ad meram donationem referri potest.*
4 *Voluntas hominum semper à potestate metienda est.*
5 *Donans simpliciter donando, videtur tantum donare jus, quod in re donata habet.*
6 *Donatarius non potest consequi bis prædium donatum, scilicet una vice titulo donationis, & alia vice titulo fideicommissi ad se delati.*
7 *Hęres fideicommissarius tenetur esse sollicitus de recuperandis bonis fideicommissariis.*

8 No-

8 *Nomen debitoris antiqui præsumendum est fuisse obæratum, vel saltem difficilis exactionis, si reperiretur, quod hæredes illius fideiussoris fuissent pro eodem debito pulsati.*

DECISIO MCCCLXXXIX.

EX duodecim partitis concernentibus statum passivum hæreditatis Bandi de Bandis in Rota diei 26. Aprilis proximè præteriti reservata fuit prima pro medietate fideicommissi Æneæ senioris obventa in Æneam juniorem, respectu cujus dictum fuit *iterum proponatur, & videant quintus, & sextus*, prout quoque reservata fuit tertia pro summa scut. 300. erogata ab Ænea juniore in extinctionem quorundam censuum, pro quibus Bandus fideiusserat mediante rescripto *iterum proponatur, coadiuventur probationes, & videant quintus, & sextus*. Quoad quartam, sextam, & ultimam responsum fuit *dilata*, reliquæ verò omnes resolutæ fuerunt juxtà modum expressum in decisione coram Me desuper extensa.

Repropositâ hodie causâ super reservatis cum suffragio 5., & 6. sub originali dubio *an, & quæ partitæ sint admittendæ in statu passivo, ita ut sit standum, vel recedendum à decisis*, scribentes non ritè cumularunt etiam eas partitas, super quibus in præcedenti propositione dilata tantum, & non etiam reservata fuerat resolutio, quamobrem DD. stylo Tribunalis, ut par erat, inhærendo, solum responderunt quoad duas partitas reservatas. Primam nempè ex eis non esse in statu passivo admittendam, & esse admittendam secundam, quæ in præcedenti decisione erat tertia, & *juxta hunc modum standum esse in decisis*.

Ratio decidendi quoad primam desumpta fuit ex eo, quod Bandus jure paterni fideicommissi non ultrà tenebatur, quam post ejus obitum bona illi subiecta restituere nepotibus ad idem fideicommissum vocatis. Cum itaque adhuc vivens in eos transtulerit Prædium *Monte Tauro* eidem fideicommisso subiectum, & implens medietatem Æneæ juniori debitam, non est cur hoc nomine conveniri amplius possit pro reinte-
1 gratione fideicommissi. Quamvis enim ipse ad d. restitutionem processerit per viam simplicis, & puræ donationis, Domini tamen dicebant eam esse congruè accipiendam, ut nempe idem actus habeatur pro donatione, quousque Bandus superstes fuit, cum per
[cum translatum fuit in nepotes jus, quod habuisset Bandus, tam respectu proprietatis, quam fructuum usque ad ejus obitum,
2 idque ex causa meræ liberalitatis, & nullo jure cogente, quod non nisi donationem so-
3 nare potest *l. cujus ff. de Reg. Iur.* Post obitum verò Bandi remaneat in causa restitutionis, quam Bandus facere tenebatur Æneæ juniori pro medietate fideicommissi eidem debita: cum nulla sit implicantia, quod eadem res pro certo tempore dicatur donata, pro alio verò tradita in solutum, ut bene probat *Tiraquell. de nobil. cap.* 28. *n.* 13.

4 Et hunc fuisse sensum, tam Bandi donantis, tum Æneæ donatarii manifesto est argumento utriusque in hac re potestas, à qua vo-
5 luntas hominum semper metiri debet. Quod enim attinet ad Bandum donantem, licèt ipse prohibitus non esset rem fideicommissariam alienare in successive vocatos, nil aliud tamen in eos transferre poterat, quam jus, quod ipse in ea re habebat ad ejus vitam duraturum, *Gomez var.* 60. 2. *cap.* 2. *sub n.* 36. *de empt. & vendit. Mangil. de evict. q.* 68. *n.* 12. *Rota in Romana Pennuariæ, seù Cessionis* 27. *Novembris* 1722. §. *Nil propterea*
6 *cor. Me*. Æneas autem Donatarius post obitum Donantis, & una simul hæredis gravati non poterat idem Prædium bis petere, & habere semel ex causa donationis, & iterum ex causa fideicommissi, nam traditum est duas lucrativas causas in eundem hominem, & eandem rem concurrere non posse, ut inquit *Text. in* §. *Si res aliena instit. de legat.* & firmat *Fontanell. de pact. nupt. cl* 5. *gl.* 8. *par.* 14. *num.* 40. & *seqq. & post Donellum*, & alios plures concordantes *Rota cor. Penting. dec.* 350. *n.* 15. *& seqq. repetit. in rec. dec.* 281. *par.* 10.

7 Hactenus de prima partita, quo verò ad secundam ex reservatis, & tertiam respectivè ex propositis in Rota diei 26. Aprilis consistentem in sc. 300., Domini censuerunt esse admittendam in statu passivo, quia constat in facto fuisse ab Ænea juniore eam summam persolutam in extinctionem tot censuum, pro quibus Bandus fideiusserat non obstante dilemmate, quod nempè, aut Æneas obtinuit postea reintegrationem à principalibus debitoribus, & non potest hanc partitam debito Bandi adscribere, aut verò non obtinuit, & sibi imputare debeat, si negli-
8 gens fuit in illa obtinenda. Hoc enim argumenti genus facile corruit, quia ex hoc ipso, quod creditores coacti fuerunt pro satisfactione obtinenda convenire hæredem fideiussoris satis colligitur, & maximè in tanta temporis distantia, quod Principales Debitores solvendo non erant, aut saltem valdè difficilis, ac propemodum desperatæ excussionis ad tradita per *Rot. in Romana Redditionis Rationis* 14. *Decemb.* 1708. §. *Quin immò cor. bon. mem. Ansaldo, & in Ravennaten. Bonorum* 16. *Iunii* 1710. §. *Et hinc cor. Rmo Aldrovando, & in Romana, seù Tudertina Census* 13. *Maii* 1720. §. *Idem cor. R. P. D. meo Falconerio*. Et dum post rescriptum, quod coadjuvarentur probationes ex parte actorum nullum deductum fuit documentum, quo probata dici possit, aut relevatio per Æneam obtenta, aut negligentia in illa obtinenda, hoc sufficit ut pro nunc contra eos pronunciari debeat.

Et juxta hunc modum utraque &c.

TOLETANA DECIMARUM DE CAPILLA SUPER CONGRUA.

Veneris 18. *Iunii* 1723.

ARGUMENTUM.

Congrua super decimis debetur Parocho de Jure naturæ, & Divino; itaut nulla immemorabili consuetudine, vel privilegio favore Principis tolli possit; neque etiam ex mutatione Ecclesiæ in Titulum.

SUMMARIUM.

1 *Congrua assignanda est Parocho, & non merces, seu salarium, quando Dignitas Ecclesiastica in titulum ei collata est.*

2 *Congrua ex decimis deducenda est*; amplia ut in n. 11.

3 *Res judicata ut constituatur, non attenditur quid in primis, aut intermediis sententiis, etiam si plus numero fuerint, judicatum appareat, sed quid in ultima, à qua non fuisset provocatum.*

4 *Decimę cum non sint quid indivisibile, sed èmo commodam patiantur divisionem in quotas, seu partes non implicat, quod pars uni, & relìquum alteri adjudicetur.*

5 *Immemorabilis adversus vim rei judicatæ in contrarium allegari non potest.*

6 *Res judicata orta super pertinentia decimarum in genere operatur, ut solum circa majorem, vel minorem quantitatem illa contendi possit.*

7 *Immemorabilis non potest allegari adversus Parochos petentes congruam post incardinationem reportatam, juxta* præscriptum Sac. Concilii Tridentini.

8 *Erectio nova Parochialium in titulum novum omninò Jus Parochis tribuit*; & vide casum.

9 *Immutatio status Ecclesiarum secum trahit etiam immutationem juris quoad decimas.*

10 *Præscriptio immemorabilis sicuti non impedit, quominus Parochiales ad proprium, & legittimum statum redigantur, ita nec vetat, quo minus circa decimas novum jus coherenter ad mutationem status earundem, inducatur.*

11 *Congrua semper assignagnda est Parocho, cujus dignitas in Titulam esset erecta, licet jus universale decimandi ad Loci Ducem, & non ad alios pertineret.*

12 *Fictio in casu ficto plus non operatur, quam veritas in casu vero*, & vide casum.

DECISIO MCCCXC.

Duas illas exceptiones rei judicatæ, & immemorabilis à Ducibus de Bexar semper contra Parochos oppositas, & per quatuor Judicata conformia à Sacro Tribunali semper rejectas, etiam hodiè D. Dux coram Me regerebat in devolutivo sub congruo regulari Dubio -- *An constet de causis restitutionis in integrum*, sed DD. utraque earum maturè, ac diligenter ponderata, cum neutram subsistere, aut relevare, & consequenter quamcumque læsionis rationem penitus abesse compererint, facile responderunt -- *Non constare de causis*.

Et quod attinet ad primam exceptionem rei judicatę, acta hujus Causæ accuratè relata in omnibus Decisionibus, & præsertim in ultima R. P. D. mei Falconerii 17. Aprilis 1722. §. *Quod enim*, *& seqq.* omnem in hac parte difficultatem submovebant. Constans enim in facto est, quod post plures hujus Causę vicissitudines cum Parochi, qui usque ab anno 1591. fuerant perpetuò incardinati à clar. mem. Card. de Quiroga tunc Archiepiscopo Toletano cum assignatione tertiæ partis Decimarum pro eorum congrua, succubuissent in lite contra Duces tam respectu Juris universalis decimandi, quam respectu validitatis eorum incardinationis cor. bon. mem. Matthejo, Ursino, & Benincasa, causam in devolutivo super utroque puncto delegari obtinuerunt bon mem. Ansaldo, coram quo, cum duę prodiissent Decisiones, favorabiles quidem Ducibus quoad Jus decimandi, sed contrarię quoad validitatem incardinationis Parochorum, fuit hincindè
1 petita expeditio: at vero Sacrum Tribunal, nè super cohærentia unius partis cum altera dictarum resolutionum aliqua ullo tempore suboriretur difficultas, non aliter expeditionem decrevit, quam extensa brevi Decisione, qua declaratum fuit, quod eo ipso, quod firmabatur validitas dictæ incardinationis, seu erectionis in titulum perpetuum, non poterat amplius respectu Parochorum procedi cum terminis mercedis, & salarii, prout antea processum fuerat, cùm Animarum Cura exercebatur per Cappellanos manuales, & amovibiles; sed omninò opus erat illis assignare, & stabilire propriam Congruam, reservata ulteriori cognitione super ejus quantitate, ut latius patet ex eadem brevi Decisione edita sub die 13. Maii 1701.

Prout etiam constans in facto est, quod iidem Duces à dicta brevi Decisione edocti, quod à declaratione validitatis dictæ incardinationis manifesta contrà eos sequebatur diminutio quoad Jus universale decimandi,
2 quia nempè admissa incardinatione, Congrua Parochorum non aliter de jure, quam in ipsis Decimis constitui poterat pro rata in posterum à Sacro Tribunali stabilienda, non solùm abstinuerunt ab expedienda causa in dicta parte ipsis favorabili, sed insuper quia Parochi illam expedire curarunt quoad validitatem incardinationis mediante publicatione sententię ad formam dictæ brevis Decisionis, Duces ab ea solemniter appellarunt, causaque in secunda instantia commissa Eminentissimo Scotto, & deindè in tertia R.P.D. meo Cerro, quamvis ipsi semper opposuerint, quod validitas dictę incardinationis juxta memoratam brevem De-

Decisionem bon. mem. Ansaldi tribuebat Parochis jus certum, & fixum super Decimis, quæ erant in lite; nihilominùs semper succubuerunt usque ad actualem taxationem expensarum, etiam io gradu recursus ab excessiva; itaut satiùs tandem duxerint litem ejusmodi penitùs derelinquere, & solum prosequi aliam subalternam super taxatione pracisę quantitatis dictę Congruę, quæ eli illa, de qua modo agitur.

His igitur in facto pnsitis, non benè Dux hodiè opponebat, quod adiudicationi tertiæ partis Decimarum pro Congrua Parochorum resistat antiqua res judicata Martini Andreæ, per quam adjudicatum fuit Ducibus jus universale decimandi; quamvis eoim verum sit, Sacrum Tribunal alias censuisse per tres sententias conformes coram bon. mem. Matthęio, Vrsino, & Benincasa, quod prædicta res judicata Martini Andreæ afficeret, & exequenda esset etiam contra Parochos; quinimò verum quoque sit, quod eędem sententię actuali quoque exequutioni contra eosdem Parochos commissæ fueruot, æquè tamen verum est, quod eatenus Tribunal ità censuerat, quia eo tempore putavit propter factum non benè dilucidatum, quod incardinatio Parochorum esset oulla, & attentata; at verò statim, atque in gradu appellationis in devolutivo delegatę boo. mem. Ansaldo recognita fuit ex nnvo facto validitas dictæ incardinationis, consequenter ad hanc non aliter Sacrum Tribunal approbavit dictas pręcedentes sententias, quam juxta modum com dicta incardinatione compatibilem, idest deducta Congrua io ipsis Decimis favore Parochorum taxanda, & in hoc seosu constanter permansit usque ad extremum complementum rei judicatæ super incardinatione, itaut Duces litem in hac parte dereliquerint.

Quod igitur attinet ad assignationem quotæ Decimarum io genere pro Congrua Parochorum, nedum illi minimè resistit res aliqua judicata, sed imò ex opposito ea fundatur in re judicata orta super incardinatione Parochorum coram R. P. D. meo Cerro; hęc enim accipi solùm potest pro vera re judicata, & noo ultima ex tribus sententiis cooformibus, per quas præcedenter declaratum fuerat, quod antiqua sententia Martini Andreę lata contra Archiepiscopum super jure universali decimandi afficiebat, & exequenda esset etiam contra Parochos:
3 Cum enim contra ultimam ex eis impetrata fuerit à Parochis nova commissio in gradu restitutionis in integrum directa bon. memor. Ansaldo, & coram eo primùm, & deinde coram Eminentissimo Scotto, & tandem coram R. P. D. Cerro dicta ultima sententia lata per boo. mem. Benincasa constantèr modificata fuerit coosequenter ad declarationem super validitate iocardinationis etiam quoad assignationem Decimarum in genere pro Congrua Parochorum, iuhac sanè parte res judicata dicitur stare pro Parochis, & non pro Duce, cum ad eam constituendam oon attendatur quid in prima, aut intermediis sententiis, etiamsi plures oumero fuerint, judicatum sit, sed quid in ultima, à qua non fuerit provocatum: ultima autem in toto hoc judicio quoad partem Decimarum assignandam Parochis pro Congrua, non est illa bon. mem. Benincasa, sed alia R.P.D. mei Cerri, quæ validam, & legitimam declaravit memoratam antiquam incardinationem, secùm necessariò trahentem assignatiooem alicujus partis Decimarum pro Congrua; cùm judicium istud ultimo loco agitatum in gradu restitutionis in integrum coràm bon. mem Ansaldo, Eminentissimo Scotto, & R.P.D. meo Cerro, oon sit diversum, & distinctum ab illo, quod agitatum fuit coram bon. mem. Benincasa, sed omninò idem, & ejus sequela, & prosecutio, *Rot. coram Cassador. dec. 2. sub nu. 2. de Procur.*, *& coram Bich. decision. 263. num. 17.*, & inter has easdem Partes dictum fuit *dec. 142. in fin. coram bon. mem. Benincasa*.

Absque eo quod substineri ullo pacto possit, quod reservatio Congruæ taxandæ prò Parochis incardinatis, de qua in dicta brevi decisione, & subsequenti senteutia bo. mem. Ansaldi non respiceret quotam aliquam Decimarum, sed solùm majorem, vel minorem pecuniæ quantitatem pro Congrua Parochis assignanda, prout probari dicebatur, ex eo, quod lis inter Ducem, & Parochos tota esset super tertia parte Decimarum istis assignata pro Congrua io decreto antiquę incardinationis factæ per Cardinalem de Quiroga, undè si Sac. Rota coram bon. mem. Ansaldo reverà censuisset consecutivè ad validitatem incardinationis sibi reservare ulteriorem cognitionem super taxatione dictæ Congruæ in Decimis, nequivisset eodem tempore sinè manifesta contradictione decernere expeditionem causę favore Ducis pro hac eadem tertia partę Decimarum.

Tùnc enim obiectio vim faceret, quando subsisteret suppositum illud, quod tota Lis inter Ducem, & Parochos versabatur quoad Decimas super ea tertia parte, quam illis assigoaverat Card. de Quiroga, sed hoc suppositum minimè regit in facto, nam controversia intèr eos erat, non super sola tertia parte, sed super omnibus Decimis ad Parochiales Ecclesias Status de Capilla nativo jure
4 spectantibus, undè nihil implicat, quod Sacra Rota consecutivè ad incardinationem quotam aliquam Decimarum Prochis adjudicaverit posteà taxandam, & eodem tempore in reliquis confirmaverit præcedentes sententias latas favore Ducis. Cùm enim Decimæ, de quibus erat lis non essent quid de sui natura indivisibile, sed imò commodam paterentur divisionem in quotas, & partes, benè poterat, justitia ita exigente, una pars uni, & reliquum alteri adjudicari, ut latiùs animadversum fuit in Decisione

Can-

Causæ cor. R.P.D. meo Falconerio §. *Quod enim*.

Hactenus quod attinet ad exceptionem
rei judicatæ, quod verò spectat ad imme-
morabilem, juxtà quam dicebant Desenso-
res D. Ducis, ipsos allegare posse privile-
gium præsumptum super jure universali exi-
gendi omnes Decimas privativè quoad om-
nes alios Ordinarios, & nativos Decimato-
res, & sic etiam in exclusionem Parocho-
5 rum; Domini ex supra deductis primo lo-
co advertebant non posse Ducem super hoc
audiri propter obstaculum rei judicatę con-
tra ipsum exortæ in judicio incardinationis
coram R.P.D. meo Cerro; cum enim in eo
judicio usque ad rem judicatam confirmata
fuerit sententia bon. mem. Ansaldi, in qua,
ut toties dictum fuit, consequutivè ad incar-
dinationem Parochorum, fuit istis in gene-
re adjudicata quota Decimarum pro eorum
Congrua, non obstante, quod Dux in om-
nibus propositionibus hanc eandem imme-
morabilem contrà obtenderet, licere illi
amplius non debet hanc ipsam quæstionem
refricare, sed supposita favore Parochorum
6 pertinentia Decimarum in aliqua quota,
nihil ultra illi superest, quàm jus impugnan-
di taxationem dictæ quotæ potiùs in tertia,
quam in aliqua alia minori parte, *Rota coram
Priolo dec 416. n.6., & coram Bich.dec.370.
n.10.*, cum aliis in dicta Decisione R. P. D.
mei Falconerii §. *Imò verò*.

7 Sed ulterius ad removendam super hoc
quamcumque difficultatem, & illud quoque
animadversum fuit, quod nulla contra Pa-
rochos incardinatos reverà obiici potest im-
memorabilis, cùm usque ab anno 1591., quo
per Cardinalem Archiepiscopum Parochiæ
Status de Capilla erectæ fuerunt in titulum,
Parochi in eis incardinati semper exegerint
Decimas controversas pro eorum Congrua
usque ad annum 1692., quo ab earum pos-
sessione deturbati fuerunt per Exequutoria-
les Rotales, per contrariam rem judicatam
postea revocatas: undè quidquid sit de illa
immemorabili, quam Duces acquisiverant
contrà Cappellanos manuales ab ipsismet
Ducibus sinè consensu Ordinarii ad curam
animarum intrusivè antiquitus deputatos,
aut contrà Archiepiscopum Toletanum
tunc temporis Parochum habitualem, ea
profectò allegari nequit contra Parochos ex
post incardinatos, juxta præscriptum Sac.
Concilii Tridentini, cùm per ejusmodi in-
cardinationem antiquius, & abusiuus rerum
statùs omninò immutatus fuerit, & redactus
8 in legitimam, ortumque ex tùnc cū erectio-
ne Parochialium in titulum nouum omninò
jus, quod præcedens immemorabilis nec
impedire, nec afficere potuit, ut latè pro-
bant omnes Causæ Decisiones, & signanter
ultima coram R.P.D. meo Falconerio §. *Sed
9 discursus, & §. seqq.*. Immutatio namque
status Ecclesiarum secum necessario traxit
immutationem juris etiam quoad Decimas;
10 Et sicuti immemorabilis prę̄scriptio impe-
dire non potuit, quominùs Ecclesiæ Paro-
chiales ad proprium, & legitimum statum
reducerentur, ità consequenter, neque im-
pedire potuit, quominùs circa Decimas no-
vum jus induceretur cohærenter ad muta-
tionem status ipsarum Ecclesiarum, ut dixit
*Rota in Decis. Causæ 3. Iulii 1702. §. Eli-
minata, & seqq.; & 12. Martii 1703. §. Mi-
nus urget coram Em̃o Scotto, & 14. Maii
1717. § fin. coram R.P.D. meo Cerro, & in
alia Toletana Decimarum de Cepilla super
Novalibus 3. Iulii 1722. §. Neque jus coram
eodem R.P.D. Cerro*.

Neque vero præjudicium illud, quod Du-
ces ex dicta immutatione passi fuerunt circà
Decimas, ullam in hoc debet ingerere dif-
11 ficultatem: nam sicuti privilegium expres-
sum, quo Decibus concessum fuisset jus uni-
versale decimandi privativè quoad omnes
alios, impedire nequivisset, quominus fa-
cta postmodum erectione Parochialium in
titulum, portio aliqua Decimarum assigna-
retur Parochis pro eorum Congrua, per
*Text. express. in cap. 2. §. Vbi autem de De-
cim.*, ità, & longè minus assignationem ejus-
modi impedire poterat privilegium præ-
12 sumptum ratione immemorabilis: fictio
enim in casu ficto plus operari nequit, quam
veritas in casu vero, ut latius ponderant
præcedentes Decisiones, & præsertim *ulti-
ma R. P. D. mei Falconerii §. Eandem, &
§ seq.*, & dictum quoque fuit *in dicta alia
Toletana super Novalibus dicto §. Neque
jus in fin. cor. R.P.D. meo Cerro*.

Hæc igitur cum in causa essent, inquiren-
dum unice fuisset in pręsenti ad formam, &
limites commissionis, non de pertinentia
Decimarum in genere pro Congrua Paro-
chorum, contra quam non ritè Defensores
D. Ducis conatus omnes dirigebant, sed so-
lum de earum taxatione in tertia parte, sed
quia super hoc iidem Defensores D. Ducis
nihil omninò deduxerunt contra firmata in
præcedentibus Causæ Decisionibus, meritò
DD. tùm in aliis, tum vero, & multo ma-
gis in hac parte ad eas remissivè se habue-
runt.

Et ita *videntibus omnibus* resolutum fuit
utraque &c.

ROMANA DOMORUM SUPER NEGOCIO PRINCIPALI.

Veneris 25. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Procurator specialiter constituitur à Domino
directo pro contrahenda ejus nomine inve-
stitura, de dolo non potest redargui, ne-
que contractus rescissio prætendi, si illæ
personæ investiendæ nomen eidem Consti-
tuenti reticuisset, ex quo propria fuisset
uxor, quando mandati fines non excessis-
set, omnique bona fide, qualibetque remo-

ta

ta fraude, talem iniisset contractum, in quibus terminis etiam se ipsum inuestire potuisset.

SUMMARIUM.

1 *Procurator, qui intra mandati fines se diligenter in contrahendo nomine alterius continuit, Constituentem validè obligat, ac si ipsemet contraxisset.*

2 *Amplia, etiam si contractum investituræ favore propriæ Uxoris iniisset, attenta bona fide acquirentis*, & num. 3. ac amplia, vt in num. 8.

3 *Procurator constitutus ad vendendum non prohibetur, concurrente bona fide, omnique dolo remoto, sibimet ipsi acquirere.*

4 *Amplia, etiam si acquireret per interpositam personam.*

5 *Acquisitio cedit personæ veræ, & non fictæ quando simulatio est in persona, & veritas in re.*

6 *Limita in contractibus investiturarum, in quibus simulatio locum non habet, & solum dicitur* Emphytheuta, *ille, quem Dominus directus investivit*, amplia, vt in num. 7.

7 *Vir Jus non habet super bonis extradotalibus, & parapherenalibus uxoris.*

8 *Procurator etiam si gerat contractum investituræ nomine alterius in persona, ex qua lucrum sentire ipse posset, non irritatur ex hujus eventualitatis capite, quando bona fide se gessisset.*

Pater habet usumfructum super bonis filii aventitiis.

9 *Procurator ad investiendum constitutus, dolose se gessisse non dicitur, ex quo scripsisset Domino directo*, onestam adesse mulierem, quę investituram receptura fuisset, *reticendo hanc esse suam uxorem*; Et quare? Vide in num. 17., ac amplia, ut in num. 12. 14. & 16.

10 *Contractus etiam bonæ fidei ex causa dolosa vitiatur, & corruit.*

11 *Dolus, & fraus, sicuti non præsumuntur, sunt ab allegante probandi.*

13 *Dolus ex falsa assertione, ac suppositione ejus, sine quo quis non contraxisset, arguitur.*

14 *Procurator, aut alter negotiorum gestor notam facere non tenetur suo Principali qualitatem personæ, cum qua contractus in vim procuræ fieri debet.*

15 *Amplia, ut ignorantia talis qualitatis à constituente post effectuatum contractum proposita apta non sit ad annullandum actum citra dolum, & fraudem gestam, nec potest de istis redargui.*

17 *Actus, ubi suam præseferat rationabilem, & peculiarem causam, numquam præsumitur factus animo fraudandi.*

18 *Investitura inita per specialem Procuratorem maxima cauthela, & maturitate non potest sub prætextu ignorantiæ qualitatis personæ investitæ irritari*, & n. 19.

19 *Amplia, ut talis notitia præsumatur data ab eodem Procuratore.*

20 *Subamplia, ut talis ignorantia si adesset, imputanda foret ipsi Constituenti, qui de scientia personæ investienda neglexisset.*

21 *Contractus perfectionatus, ut ex capite læsionis rescindatur, læsio debet esse enormissima, & ultra dimidiam.*

22 *Contactus gestus per Procuratorem bona fide non irritatur ex dolo aliunde desumpto, præter quam ex eodem contractu, præsertim si contrahens figuram tertij gessisset.*

DECISIO MCCCXCI.

NOnnullas Domos, quas in Vrbe possidebant Baro Alexander, & Camillus germani Fratres del Nero Florentiæ degentes, mediante opera Philippi Nigroni eorum Procuratoris opportunis, ac specialibus, Procuræ mandatis instructi, in emphyteusim perpetuam dederunt pro annuo Canone scutorum 200. Mariæ Magdalenæ de Cavalerijs Uxori dicti Philippi acceptanti pro se, hæredibus, & descendentibus, tàm masculis, quàm fœminis; Verùm sub motivo, quod dictæ concessiones emphyteuticæ nullæ, & irritæ fuissent, judicium in summarijssimo possessorio instruxerunt coràm A.C. pro manutentione in earundem Domorum possessione; Cùm autem succumbere coacti fuerint, relaxato per A.C. mandato de manutenendo favore ipsius Mariæ Magdalenę, una cum sententia adversùs exceptiones, causa ascendit ad nostrum Auditorium, mihique directa Commissione cum clausula facultativa *manutenendi quem de Jure*, in hodierna audientia, unà cum Dubio manutentionis, de quo in contemporanea Decisione, ad instantiam Annæ Ceciliæ, & Lauræ Filiarum, & hæredum dictæ Mariæ Magdalenæ interim defunctæ, proposui Dominis meis etiam aliud super meritis Causæ, ac negotio principali, nempè -- *An concessiones in emphyteusim Domorum substineantur* -- & responsum habui affirmativum.

Ratio resolutionis stetit in eo. quod agitur
1 de concessionibus in emphyteusim factis à Philippo Nigrono vigore specialium mandatorum Procuræ fratrum del Nero, à quibus non solùm data fuit facultas deveniendi ad dictas Concessiones favore Mariæ Magdalenæ investitæ sub annuo perpetuo Canone scutorum 200., sed etiam expressa habentur omnia, & singula pacta, conditiones, & conventiones, sub quibus stipulatio erat ineunda; cum autem idem Philippus intra mandati fines diligentèr se continuerit, adamussim reportata omnium pactorum, conditionum, & conventionum obligatione favore dictorum Fratrum del Nero, quemadmodùm dicendum est, quod rectè egerit, ac validè contractum stipulatus fuerit pro Principalibus, ità præfatæ in emphyteusim concessiones substineri omninò debent, nec sunt

 in qua-

in quæstionem revocandæ à dictis Fratribus,
quia perindè habeantur, ac si directè, & im-
mediatè ab ipsis factæ fuissent, *Cap. Qui facit
de regul. Jur. in 6., leg. Si Procuratorem §. Si
quis mandaverit*, vbi *Bartol. ff. mandat.*,
*Roman. consf. 94. sub n. 6. vers. Ea enim, Rot.
in Rom. Affictus 27. Maii 1712. §. Ad septi-
mam cor. Rm̃o Aldrovando, & in Romana
Pecuniaria 29. Ian. 1714. §. Itaque cor. Me-*
2 Quamvis Contractus stipulatus fuerit favo-
re dictæ Mariæ Magdalenæ Uxoris dicti
Philippi Procuratoris, quia de jure hoc non
prohibetur, attenta bona fide eiusdem mu-
lieris acquirentis, juxtà *Text. expressum in
leg. Cùm ipse Cod. de contrahen. emption.*

Absque eo quod obstare visa fuerit exce-
3 ptio Fratrum dei Nero, quod Philippus Procu-
rator concessiones emphyteuticas sibi acqui-
siverit sub palliato, ac simulato nomine
Vxoris.

Ultra quod enim Procurator etiam gene-
ralitèr constitutus ad vendendum, & contra-
hendum, concurrente bona fide resultante ex
justitia prætij, non prohibetur sibi met ipsi
acquirere, ad *Text. in leg. Pupillus §. Ultimo,
ibique Bartol. num. 4. ff. de Tutor. dicta leg.
Cum ipse Cod. de contrahen. empt., & ven-
dit., Soccin. Sen. consf. 87. sub n. 5. volum. 1.*,
cum aliis per *Rot. in Rec. decis. 223. num. 3.*
4 *par. 10.*, Etiamsi acquirat per interpositam
personam ex congestis per *Mantic. de tacit.
lib. 4. tit. 23. num. 21., Bertazol. de clausf.
clausf. 5. glosf. 2. num. 6., & seqq. vers. Et
tenendo, Rota cor. Coccin. decis. 1346. nu-*
5 *mer. 10. cum duobus seqq.*; Obiectum facilè
removeri visum fuit, quidquid enim esset de
aliis contractibus, in quibus quando simula-
tio est in persona, & veritas in re, jus, & do-
minium Rei quæritur personæ veræ, non
fictæ, ad *Text. in leg. Si quis gestum Cod.
plus valere quod agitur, Gratian. disc. 878.
num. 19., Rot. cor. Bichio decis. 65. num. 8.*,
cum aliis *in Romana 22. Junii 1708. §. Cam-
bium cor. Eminentisf. Scotto.*

In hisce Contractibus emphyteuticis longè
6 exulant termini impictæ simulationis, quia
ille solus dicitur Emphyteuta, quem Domi-
nus expressè investivit, omnesque alij non
comprehensi in Investitura, nullum jus ex
facto tertij acquirere possunt super bonis
emphyteuticis in præjudicium Domini, qui
Instrumentum concessionis restrinxit ad cer-
tas, ac determinatas personas, vt optimè
firmat *de Ponte consil. 45. num. 16. lib. 2.,
Cardinalis de Luca de Feud. disc. 7. nu. 19,
disc. 24. n. 2. de regal. disc. primo sub num. 3.
vers. Alter Regens, Galeott. controv. lib. 1.
cap. 28. num. 17., Capyc. latr. dec. 168. n. 45.*,
7 *& seqq.*; Et propterea quatenùs etiam præ-
tensa simulatio probaretur, adhùc attenden-
dum esset quod simulate gestum supponitur,
vt concludunt *auctoritates mox allegatæ*, &
sic tantùm favore dictæ Mariæ Magdalenæ,
ex cujus bonis paraphrenalibus Philippus
Maritus nullum jus, nullamque actionem
acquirere potuisset, vt probant tradita per
*Menoch. consil. 56. num. 4., & seqq., Urceol.
de Transact. quæst. 29. num. 54., Rot. coram
Celso decis. 289. sub num. 13., & seqq. cor.
Ubald. decis. 482. num. 1., & decis. 658.
num. 14.*

Etiamsi ex comprehensione filiorum in In-
8 vestitura aliqua posset resultare utilitas dicto
Philippo Procuratori ob vsumfructum, qui
acquiritur Patri super Bonis adventitijs filij,
quia istud secundarium, & remotum inte-
resse dependens à futura eventualitate, qua-
tenùs nempè Vir Uxori supervixisset, adeò
efficax reputari non debet, ut inficiat Con-
tractum cæteroquin bona fide, & cum sin-
ceritate stipulatum ut in fortioribus termi-
nis Tutoris, vel Curatoris disponentis de re
Pupilli, vel Minoris firmant *Jov. de Con-
tract. Minor. gloss. 22. §. 3. num. 4. Rot. cor.
Ludovisf. dec. 473., ibique Adden. num. 23.,
& in Romana Fideicommisf. Christophori de
Cajetanis anni 1581. 27. Februarii 1719.
§. Recurrente cor. Rev. Ravennaten.*

Eiusque irrelevantię apparuit exceptio nul-
9 litatis earumdem concessionum ratione doli,
& fraudis, ex quo Philippus Procurator, re-
ticita qualitate propriæ Uxoris in Maria
Magdalena investienda; scripserat Fratri-
bus del Nero, quod reperierat nobilem,
ac honestam mulierem easdem Domos rece-
pturam.

Quamvis enim contractus etiam bonæ fi-
10 dei ex causa dolosa vitientur, & corruant,
juxtà *Text. in Leg. Et eleganter, ubi Glosf.
ff. de dol. mal., leg. 1. ff. de dol. exception.,
Castald. consult. 45. num. 12* nihilominùs
11 cum dolus, & fraus non præsumatur, *Leg.
Merito ff. pro Socio, Leg. Quoties §. Qui do-
lo ff. de probation.*, regula est undique
certa, quod dolum, & fraudem allegans
tenetur suam intentionem concludenter
justificare *Leg. Qui dolum Cod. de dol.,
Corn. consil. 178. sub num. 21. lib. 2., Cra-
vett. consil. 8. num. 1., Barz. dec. 62. num. 39.,
Rot. coram Ubald. decis. 393. num. 9. coram
Gregor. decis. 169. num. 2., & coram Cerro
decis. 38. num. 18.*

In casu autèm præsenti dolus, & fraus ma-
12 lè argui videbatur ex dicta reticita qualitate
Uxoris, quam in Epistolis Philippus Procu-
rator investire proposuerat Fratribus del
Nero; Cùm enim neque in dictis Epistolis,
neque in mandatis Procuræ successivè tran-
smissis à Civitate Florentiæ reticitum appa-
reat nomen personæ, cui Domus erant
concedendæ in Emphytheusim, nempè *favo-
re Mariæ Magdalenæ de Cavaleriis*, profe-
ctò ex sola reticentia qualitatis personæ in-
vestiendæ, quæ per Fratres del Nero non
fuit requisita ab eorum Procuratore, nulla
13 desumi potest ratio doli, fraudis, & ma-
chinationis, quæ in hac materia oriri solet
ex falsa assertione, ac suppositione eius, sinè
quo quis non contraxisset, non autem ex sim-
plici omissione qualitatis, quę in casu dictos
Fratres ad contractum Emphyteusis non in-
duxit, vt probat *Surd. consil. 15. num. 14.,
& con-*

& consil.149. num.6., Rocc. respons.69 n.2., & 3. tom.2., Caitald. consult. 45. num. 8., & 10., Rot. cor. Baratt. dec.361. num. 11., & in Rec. dec. 791. num.21. par.18.

Quod eo magis procedere censuerunt Do-
14 mini, quià cum nullo jure præscriptum reperiatur, quod Procurator, aùt alius negociorum gestor notam facere teneatur suo Principali qualitatem Personæ, cum qua in vim specialis mandati Procuræ Contractus sunt ineundi, asserta ignorantia ejusdem qua-
15 litatis proposita post sequtam Contractus effectuationem, influere apta non est ad nullitatem actus, qui cùm citrà fraudem, ac dolum fieri potuerit, nec de dolo, nec de fraude valet redargui, *ad Text. in Leg. Qui autem in princip. ff. de his, quæ in fraud. credit., Leg. cum Pater 77. §. Titio in fin., ibique Gloss. verb. Excluseris ff. de legat.3., Rot. cor. Gregor. decis. 195. sub num. 10., & 11., coràm Bich. decis.69. num 13., & in Rec. decis.226. num.18., & seq. par.17.,*
16 Unò enim Philippus Procurator in Epistolis reticere potuerit, dictam Mariam Magdalenam de Cavalerijs investiendam esse suam Uxorem ad effectum, ut sui Principales absque ullo respectu liberè suis rebus consulerent, id sufficit, ut ex reticentia dictæ qualitatis excludi debeat omnis doli, ac fra-
17 udis suspicio, quià ubi actus suam præsefert rationabilem, & peculiarem causam, nunquam facienda venis interpretatio illum fuisse factum animo fraudandi, *Vermigliol. consil.397. num. 11., Rot. in rec. decis. 226. num.18., & 19. par. 17., cor. Emerix Jun. decis.1337. num.17., & in Albanen. Donationis 9. Martii 1711. § Minusque fraudis cor. Reverendiss. Aldrovando.*

Potissimè quia res est de contractibus omni
18 maturitate gestis à personis ætate majoribus quæ de rebus suis liberè poterant disponere, & quidèm prævia diligenti inquisitione per ipsos Fratres del Nero, commissa Nobili Consanguineò in Urbe tunc degenti, ac Perito legali super hisce Investituris, ac super qualitate Domorum, quæ erant in Emphyteusim concedendæ, conveneto certo, ac perpetuo Canone in scutis 200., ut constat ex Epistolis earumdem Fratrum, quorum principale interesse non versabatur super eo, an persona investienda esset Uxor Philippi, vel potiùs extranea, sed residebat in concordatione conditionum, & in conventione annui Canonis, cæterisque pactis, quæ possunt se habere ad majus, vel minus lucrum, ac emolumentum ipsorum fratrum investientium. Cùm autèm circa hæc nec latum unguem excesserit Philippus, imò nec excedere potuisset, quià omnia erant descripta in mandatis Procuræ, in his terminis irrationabile prorsùs visum fuit, quod Fratres del Nero, qui cum maxima cauthela, & maturitate contractus ineundi executionem Procuratori præscripserunt, valeant hodiè retractando assensum solemnitèr præstitum allegare dolosam inductionem ad contrahendum sub prætextu ignorantiæ qualitatis personæ in-
19 vestitæ: Tùm quià ista dici potest sufficientèr habita à dicto Nobili Consanguineo, & Perito Legali, cui litteræ pro negotij instructione datæ fuerant, proùt ad sustinendum Contractum de jure præsumitur, ex traditis per *Rot. in Camerinen. Electionis super Renunciatione 15. Junii 1708. §. Nam hujusmodi coràm bon. mem. Molines*; Tùm quià
20 supposita etiam ignorantia ejusdem qualitatis potiùs dictis Fratribus debet imputari, si de illa non fuit diligentèr inquisitum, *Text. in Leg. Qui cum alio ff. de regul. Jur.*, ubi Scribentes, *Alexand. in Leg. Si Procurator num.4., & 5. ff. de condit. indebit., Rot. apud Zacch. de obligat. Cameral. decis. 37. num. 7., & in Recent. decis. 73. num. 15. par. 15.*

Hisque positis respectu reticitæ qualitatis Mariæ Magdalenæ investitæ, nil profuit Fratribus del Nero dolum arguere, vel ex læsione resultante à præfatis concessionibus, vel aliundè ex aliis contractibus gestis per dictum Nigronum.

Siquidèm respectu læsionis, quæ tractan-
21 da esset in suo congruo Judicio, animadversum fuit, quod Domus, de quibus agitur, in numero *decem*, & *novem*, locabantur in annuis scutis 461., à qua summa deductis dislocationibus, quæ de facili contingunt in parvis Domibus, deductisque etiam expensis, quas ex calculo per Sorores exhibito, non in modica summa constitit ascendere, habitaque etiam ratione aliorum onerum, quæ ex Instrumento stipulato suscepta dignoscuntur per emphyteutam, ultra annuum perpetuum Canonem scutorum 200., in his terminis excludi potiùs visa fuit asserta læsio, quæ pro arguendo dolo, ac rescissione contractus absque dubio esse deberet enormissima, & ultra dimidiam, ad *Text. in leg. 2. Cod. de rescind. vendit., Urceol. consult. 3. num. 32., & seqq., Gratian. discept. 461. num.29., Rot. in rec. decis. 226. num.5. par.16.*

Quod verò respicit assertum dolum ex ad-
22 ministratione Nigroni, aliisque Contractibus per eum gestis, Domini immorandum esse non censuerunt, quia, quidquid sit de hoc, ad effectum de quo agitur placuit responsio, quod in præsenti contractu concessionum in emphyteusim nulla intercessit fraus, dolus, ac machinatio, quod sufficit, ut non attento asserto dolo aliunde desumpto, pro validitate contractus sit pronunciandum favore dictæ Mariæ Magdalenæ, quæ in stipulatione gessit figuram tertii, ut in proximis terminis optimè respondit *Rot. coram Coccin. dicto dec.1346. num.24.*

Et ita resolutum fuit utraque &c.

EADEM SUPER MANUTENTIONE.

Veneris 25. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Manutentio semper datur possidenti, cui bonum jus, ac continuata assistit possessio.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio datur possidenti de tempore motæ litis*; ampla, ut in n.4.
2 *Clausula* Constituti, *manutenibilem transfert possessionem*.
3 *Manutentio competit hæredi eodem modo, quo competebat defuncto, mediante judicio per istum incepto*.
4 *Amplia, quando eidem hæredi assistit continuata possessio*.
5 *Subamplia, si idem etiam bonum Jus foveret*.

DECISIO MCCCXCII.

PRætendentes Fratres del Nero nullas, & irritas fuisse concessiones in emphytheusim, quas fecerat de quibusdam eorum Domibus Philippus Nigronus eorum Procurator favore Mariæ Magdalenæ ejus Uxoris, & filiorum, petierunt coram A.C. manutentionem super ipsis met bonis in emphytheusim concessis, sed hæc ipsis denegata fuit, atque ex opposito concessa dictæ Mariæ Magdalenæ, quæ interim obiit, relictis Anna Cęcilia, & Laura Filiabus; Cumque Causa mihi commissa fuerit ex rescripto Signaturæ cum facultate manutenendi quem de Jure, in istius sequelam, præter Dubium super negotio principali, de quo in contemporanea Decisione, proposui in hodierna audientia etiam alterum -- *An, & cui sit danda manutentio* -- & responsum habui -- *Dandam esse manutentionem Annæ Caeciliæ, & Lauræ*:

Siquidem cum manutentio danda sit Possi-
1 denti de tempore motæ litis, juxtà vulgatum
§. *Retinendæ Instit. de Interdict.*, ea utique
in casu præsenti non poterat denegari Sororibus de Nigronis non solùm ex persona propria, tanquam compræhensis in Investituris
2 munitis clausula Constituti, cujus vigore
possessio transfertur manutenibilis, ut notant
Doctores in leg. Quod meo ff. de acquirend. possess., *Rot. coram Pamphil. dec.361. n.13.*, *in Romana Dotis super manutentione 21. Junij 1715. §. Fortiùs coram bon. mem. Ansaldo, & in Romana, seù Verulana manutentionis 27. Februarii 1719. §. Hæc tamen coram Rev. P. D. meo Gamacher*;
3 Sed etiam ex persona Mariæ Magdalenæ
earum Matris interim defunctæ, cui tanquam actualiter possidenti, A.C. manutentionem concesserat, prosequendo enim dictæ Sorores Judicium à Matre inchoatum, obtinere debent manutentionem, quam earum Mater legitima posseditrix, si viveret, obtinere debuisset, *Rot. coram Cels. dec. 48. num.4., & dec.109. num.1., & 2.*

Potissimùm quia eisdem Sororibus assistit,
4 tùm actualis possessio Domorum continuata
post obitum Matris, ob quam semper manutentio conceditur *Post. de manut. observat. 55. num.46.*, *Rot. in dicta Romana, seù Verulana manutentionis 27. Februarii 1719. §. Fratribus, & 3. Junii 1720. §. Prece enim coram Reverend. P. D. Gamacher*;
5 Tùm clarius titulus boni Juris plenè con-
stabilitus in contemporanea Decisione, ex quo fit, ut in illius sequelam eò minùs denegari valeat dictis Sororibus possidentibus manutentio, *Rot. in Pisauren. Molendinorum, seù Vallatorum super manutentione 16. Martii 1714. §. Tanto magis cor. Eminentissimo Scotto, in Romana Dotis super manutentione 21. Iunii 1715. §. Cum in contemporanea coram bon. mem. Ansaldo, & in Perusina manutentionis 21. Martii 1718. §. Non ità coram Me.*

Et ità utraque &c.

PAMPILONEN. ALTIUS TOLLENDI SUPER EXPENSIS.

Veneris 25. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Stylus Rotæ in taxandis expensis in præsenti Decisione refertur.

SUMMARIUM.

1 *Excessus de Iure non præsumitur*.
2 *Expensæ Iudiciales usque ad obulum taxantur, quæ sunt rubricatura, traductio processus, regestrum actorum, citationes, & sportulæ*.
3 *Extrajudiciales pro qualibet instantia in scutis decem taxantur, & in hac taxatione numquam cadit excessus*.
4 *refectio expensarum facta pro actis ultimæ Instantiæ per succumbentem, qui liti cessit, non secumfert refectionem expensarum præcedentium Iudicatorum ab eodem non factam*.

DECISIO MCCCXCIII.

APpellantibus Monialibus Discalceatis S. Theresię ab excessiva expensarum taxatione, eaque mihi commissa, dedi hodiè dubium, *an constet de excessiva taxatione expensarum*, & DD. *negativè* responde-
1 runt: quia cum excessus de jure non præsu-
matur, *Rot. dec. 265. cor. Celso, & dec. 1. cor. bon. mem. Ansaldo, utrobique n. 8.*, & sępe alibi, preclarè etiam in præsenti excluditur, quia expensæ, de quibus ratio habita fuit

ta fuit in taxatione facta per R. P. D. meum
Crispoltum, aliæ sunt judiciales, nempè ru-
2 bricatura, & traductio processus, regestrum
actorum, sportulæ, & hujusmodi, quę in-
tegrè, & usque ad obulum reficiuntur, *Rot.*
d. dec. 1. n. 2., & 3. cor. bon. mem. Ansaldo,
& in Romana exhibitionis super expensis
5. Iulii 1712. §. expensæ, & in Bononien.
bonorum super expensis 1. Iulii 6. Mart. 1713.
excessus cor. R. P. D. meo Falconerio Almę
Vrbis Gubernat.
3 Aliæ vero sunt extraiudiciales: Et istæ
taxatæ fuerunt in scu. decem pro qualibet
instantia, juxta inconcussum laudabile sty-
lum nostri Sacr. Tribunalis, qui quamcun-
que excessus umbram penitus removet, ut
dixit *Rot. d. dec. 1. n. 6. cor. Ansald., &*
in Lauretana legati super expensis 28. No-
vembris 1712. §. de altero cor. eod., & in d.
Bononien. bonorum §. respectu cor. R. P. D.
meo Falconerio.
4 Absque eo quod obstare possit, quod Mo-
nasterium liti renunciaverit, & in actu re-
nunciationis jam persolverit regestrum
actorum: quod enim tunc solvit Monaste-
rium, fuit solum pro actis ultimæ Instantiæ
coram R. P. D. meo Crispolto; in notula
autem taxatæ fuerunt non jam expensæ pro
actis dictæ ultimæ, sed aliæ pro actis præ-
cedentis instantiæ coram R. P. D. meo Fal-
conerio, pro quibus Monasterium nihil un-
quam solvit. Undè non est de quo conqueri
jure possit.

Et ità altera &c.

BURGEN. PRÆEMINENTIARUM.

Lunę 28. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Superpelliceum super humeros revolutas habens manicas per Canonicos Cathedralis Ecclesiæ gestari solitum in proprii gradus distinctivum, nec Parochis, nec Beneficiatis, aliisque Clericis inferioribus permittendum est, quamvis illud omnibus Clericis esset commune, si tamen disparitas, licet modica, in forma ejus delationis versaretur.

SUMMARIUM.

1 *Capitulum Cathedralis Ecclesię, sive Metropolitanæ in omnibus Ecclesiasticis functionibus ab aliis Beneficiatis Cleri inferioris distingui debet;* amplia, ut in n. 4. & 6.

2 *Subamplia, ut liceat Parochis, aliisque inferioribus Beneficiatis gestare superpelliceum cum manichis super humeros revolutis, privative, uti illius distinctivum ad Canonicos Cathedralis pertinens.*

3 *Dignitates Ecclesię Metropolitanæ distinguuntur à reliquis de Clero inferiori.*

4 *Amplia, ut idem corpus cum Episcopo constituere dicantur, & obid ab aliarum Ecclesiarum Dignitatibus inferioribus distinguuntur.*

5 *Dignitates Ecclesiæ Cathedralis, seu Metropolitanæ non debent confundi cum Clericis secundi Ordinis in functionibus Ecclesiasticis;* & n. 6.

7 *Capitulum Ecclesię Burgen. ab antiquissimo tempore semper gestavit proprium, & peculiarem habitum ab illo Beneficiatorum distinctum, tam pro tempore hiberno quam æstivo,* & in quo ille habitus consistat, vide hic, & amplia, ut in nn. 9. 10. & 23.

8 *Observantia immemorabilis in materia habitus Ecclesiastici quam plurimum attenditur;* amplia, ut in nn. 11. & 14.

9 *Mozzetta non permittitur Canonicis,* nisi ex *speciali S. Sedis indulto.*

10 *Cappa, Mozzetta, & Rocchettum, quoties à Sancta Sede Canonicis conceditur: solet etiam ab eadem præscribi habitus æstivus.*

11 *Habitus æstivus Capituli Cathedralis, non secus ac hibernus, præcipuus, & privativus debet esse.*

12 *Superpelliceum est indumentum, quod ex consuetudine Ecclesiæ quibuscumque Clericis cujuscumque Ordinis indifferenter competit,* declara, ut in n. 13.

13 *Superpelliceum, licet omnibus conveniat Clericis: si tamen super humeros manicas haberet revolutas, facit distinguere Ordinem Ecclesiasticum sic illud gestantem à cœtu inferiori,* & nn. 14. & 21.

15 *Consuetudo circa gestationem designati habitus favore totius Beneficiatorum Universitatis non inducitur, si uniformitas omnium actuum desit.*

16 *Consuetudo favore Universitatis non inducitur, nisi omnes de ista eosdem actus exercuerint, cum non sufficiat fuisse ab aliquibus tantum exercitos.*

17 *Universitas non representatur à singularibus personis, sed ab universali cœtu.*

18 *Testes electi ab inducente ad effectum respondendi positionibus ei datis non probant cum eorum examine favore ejusdem inducentis.*

19 *Testes informes, & fides simplices pendente lite extorscatæ nil concludunt.*

20 *Consuetudo circa indumenta Canonicorum in una Ecclesia non probatur ex stylo aliarum Ecclesiarum, quando inter unam, & alteram diversa est ratio, & diversæ sunt circumstantiæ.*

22 *Habitus alienus in functionibus Ecclesiasticis à nemine assumi potest propter injuriam, quæ irrogaretur illi, cui talis habitus proprius, & peculiaris esset.*

23 *Clerus inferior sicuti nequit uti Cappa, Mozzetta, & Rocchetto ad Superiorem pertinentibus, ita neque ille potest usurpare usum gestandi manicas superpellicei super dorsum revolutas tempore æstivo.*

24 *Dilatio numquam conceditur, quando non*

non alio tendere dignoscitur, quam ad protrahendam alterius Causam.

DECISIO MCCCXCIV.

POstquam per Sententiam Rotalem prævia Decisione diei 24. Januarii anni 1721. latam à Reverendissimo de Herrera Episcopo Seguntino, tunc nostri Ordinis Collega, definitum fuit constare de bono Jure Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ Burgen., ipsique propterea manutenendum esse in possessione gestandi in quibuscumque Ecclesiasticis Functionibus superpelliceum cum manicis elevatis super humeros, privativè quoad alios Beneficiatos inferiores: Petierunt illi Beneficiati remissoriam, ad effectum probandi modum deferendi manicas superpelliceorum ad humeros revolutas, non præseferre aliquod signum præeminentiale, & distinctivum Capitali à reliquis de Clero inferiori, aliaque hujus generis ab eisdem articulata; Eaque non solum ex benignitate nostri Tribunalis concessa, ast plures etiam prorogato termino in litteris remissorialibus præfixo, cum tamen visum fuerit, plus æquo differri compilationem, & transmissionem Processus remissorialis, Sac. Auditorium, rejecta tandem Instantia facta pro ulteriori prorogatione, Causam proponi demandavit. Quamobrem in obsequium talis rescripti roganti mihi DD. in Audientia hodierna super confirmatione, vel infirmatione Sententiæ Rotalis, ipsi minimè hæsitarunt pro *confirmatione* respondere, quamvis Beneficiati dilationem postularent ad aquas.

Motivum resolutioni præbuit dictæ Sententiæ validitas, de qua dubitari nequit, & Justitia plenè constabilita in Decisione præcedentis Instantiæ, pro cujus ulteriori comprobatione DD. in præsenti animadvertebant momentum Causæ ad tria præcipuè
1 reduci, quod videlicèt Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, sivè Metropolitanæ debita sit in omnibus Ecclesiasticis Functionibus distinctio supra alios Beneficiatos de Clero inferiori: quod hæc distinctio tempore æstivo in Ecclesia Burgen. præ cæteris consistat in modo deferendi manicas superpelicei ad
2 humeros revolutas: & quod deniquè his stantibus, non liceat Parochis, & aliis Beneficiatis inferioribus gestare superpelliceum cum manicis tali modo elevatis, eo quod modus iste, per quem distinguitur Capitulum à Beneficiatis inferioribus, debet esse præcipuus, & privativus ejusdem Capituli, & non universo Clero communis.
3 Quod Canonici, & Dignitates dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ distinguendi sint à reliquis de Clero inferiori, satis probat Decisio Reverendissimi de Herrera §. *Quod profectò, & seq.*, & confirmatur ex eo, quod tàm de jure, quàm de consuetudine universali cuicumque Ordini superiori constituta sunt propria, & peculiaria insignia, per quæ ab Ordine, & Cętu inferiori discriminetur, ut per *Text. in l. ut gradatim ff. de muner., & bonor., & in l. 1., & 2. Cod. ut dignit. Ordin. lib. 11., & in Can. principium de pænit. distin. 89., & tot. tit. de majorit. & obed.*, tradunt *Ermosil. ad Lopez par. 5. Gloss. 2. n. 129., & seqq. tom. 6., Franc. de Eccles. Cathedr. cap. 33. n. 7., & seqq., Zaul. de Republ. Christ. cap. 2. n. 1., Pignatell. consult. Canonic. 104. n. 2. tom. 4., Rot. in Romana Juris honorifici super petitorio 24. Martis 1702. §. 2. coram bon. memor. Molines.*
4 Quamobrem pari Jure affirmandum esse videbatur, Canonicos, & Dignitates in functionibus Ecclesiasticis distinguendos esse à Clero inferiori, cùm illi nedùm constituti sint in Ordine superiori, verum etiam adeò cæteros gradu, & dignitate præcellant, ut Clerici primi gradus nuncupentur, dicantur fratres, & Collaterales Episcopi, & unum, atquè idem Corpus cum eo constituant, repræsentando, quotiès insimul conveniunt, Ecclesiam Cathedralem, vel Metropolitanam, ad *Text. in cap. Novit de iis, quæ fiunt à Prælatis, Ricc. in prax. tom. 2. par. 2. resol. 392. n. 3., Pasqualig centur. 1. q. 76. n. 6.*, & cum aliis pluribus cumulatis in decisione præcedentis Instantiæ §. *Quod profectò*, ut
5 proindè minime congruat eos confundi, aut in habitu, sessione, vel incessu exequari Clericis secundi Ordinis, qui nullam obtinent ex dictis prærogativis, ad tradita per *Felin. in cap. Pastoralis n. 12. de Offic. Deleg., Barbos. in summ. Apostol. dec. Collect. 181. n. 4., Tondut. quæst. benefic. par. 2. cap. 2. nu. 23., Manriquez. de præced. Cleric. quæst. 10. n. 2., Rot. in recen. dec. 252. n. 13., & dec. 288.
6 n. 18., & seqq. par. 6.*, & comprobat experientia rerum magistra, & universalis consuetudo totius Orbis Catholici, juxtà quam Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, vel Metropolitanæ, à Cætu aliorum Beneficiatorum distinctos ubiquè videmus.
7 Hanc verò distinctionem in Ecclesia Burgen potissimùm constitutam esse in modum gestandi manicas superpellicei ad humeros revolutas, satis etiã hodiè probari visum est ex testimonio plurium usquè ad decem formiter examinatorum super articulis à Capitulo exhibitis, qui deponunt à tempore cujus initii memoria non extat, Capitulum dictę Ecclesię habere consuevisse habitum proprium peculiarem, & distinctum ab illo Beneficiatorum inferiorum, nimirùm Cappam, Rocchettum, & Mozzettam tempore hiberno; Æstivis autem diebus superpelliceum cum manicis revolutis elevatis, & humero affixis, Clerumque inferiorem non aliter superpellicei manicas gestare, quàm vel oblongas, & usque ad humum dimissas, ac defluentes, vel brachiis circumvolutas: quan-
8 ti autem valeat longæva, & immemorabilis consuetudo in hac materia, nemo est, qui non sciat, & patet ex deductis in priori decisione §. *Gestationem verò*.

8 Quem-

9 Quemadmodum igitur distinctiuum Ca-
pituli tempore hiberno est delatio Cappæ,
Rocchetti, & Mozzettæ, quę permissa non
est, nisi ex speciali Indulto Sedis Apostoli-
cę, ut advertunt *Germon. de Sac. Immun.*
lib.3 cap.6., *Corrad. in prax. benef. cap.14.*
n.1., & *15.*, *Rot. in Ianuen. Insignium su-*
per negocio principali 4. Februarii 1705.
§. *Quod autem*, & §. *Tantoque coram bon.*
10 *mem. Muto*, ità simile distinctiuum tem-
pore æstivo præseferre debet delatio mani-
carum superpellicei super humeros revolu-
tarum propter mutuam correlationem,
quam habet Habitus æstivus cum hiberno,
utpotè qui illius vice, & loco subrogatur,
& de facto Sedes Apostolica, quoties conce-
dit Cappam, Mozzettam, & Rocchettum,
solet etiam in eodem Indulto Habitum ęsti-
vum prę scribere Teste *Thomas. de vet., & nov.*
& *Eccles. disciplin. to.1. par.1. lib.2. cap.52.*
n.4., & notat præterita Decisio §. *Fundata*:
11 Æstivus itaquè habitus non secus ac Hy-
bernus pręcipuus, & privativus Capituli es-
se debet, cum uterque pari privilegio, &
prærogativa donatus censeatur; quod qui-
dem privilegium, & si realiter non osten-
datur, illud tamen satis præsumitur ex ob-
servantia plusquam centenaria, & immemo-
rabili, *Rota in Salisburgen. Vicariæ super*
bono Jure 31. Januarii 1714., & *in Luca-*
na Vnionis 1. Aprilis 1718. §. Deindè, et
11. Decembris 1719. §. Et tamen. coram
R.P.D. meo Falconerio.
12 Nec satisfaciebat responsio alias data pro
parte Beneficiatorum, quod videlicèt super-
pelliceum sit indumentum ex consuetudine
Ecclesiæ indifferenter competens quibus-
cumque Clericis: tunc enim illa urgere pos-
se videretur, quando Capitulum pretende-
ret privativam super mera delatione super-
pellicei, quæ verè communis est, & indif-
ferens pro Clericis cujuscumque Ordinis,
Thomasin. de vet., & nov. Eccles tom.1 lib.
2. cap.52 n.54. circa finem; at longè aliter
13 se res habet, quoties, prout hic, Capitu-
lum privativam sibi asserit non in mera de-
latione superpellicei, quam reliquis Bene-
ficiatis minime contendit, sed in modo ge-
standi illius manicas, videlicèt revolutas su-
per humeros, in quo sanè modo dubium
non est, quin constitui possit distinctiuum
unius Ordinis ab alio, & superioris ab in-
feriore, per *Text. in cap. ut Apostol. de*
privil. in 6., ubi scribentes omnes, & præ-
sertim *Franc., & Geminian. n.2.*, & *Pas-*
serin. n.2. Barbos. de Episc. par.3. alleg. 93.,
Cassaneus in Catalog. glor. Mund. par.1.
consil. 38. conclus. 48. n.9. Thomasin. loc.
mox cit. sub n.3. §. Minimè.

Rectè idcircò Capitulum sibi confirmari
petebat jus istud privativæ delationis super-
pellicei cum manicis super humeros revolu-
tis, quia modus iste est ei veluti proprium,
& peculiare distinctiuum quæsitum aut ex
peculiari privilegio, aut ex consuetudine
14 immemorabili, quæ non minorem ac pri-
vilegium ipsum sortitur in Jure auctorita-
tem, ut ratiocinatur decisio præcedentis
Instantiæ §. *In minimo*, & *seqq.*, ubi præte-
reà optimè animadvertitur, modum præ-
dictum gestandi superpelliceum non esse
proprium, & naturalem, ideoque dici non
posse communem omnibus Clericis indistin-
ctè, cum de facto etiam ipsi Beneficiati non
prætendant uti modo prædicto semper, &
quandocumque, & in omnibus functioni-
bus Ecclesiasticis, sed solum in Processioni-
bus Rogationum, & quidem à tempore,
quo egrediuntur ab Ecclesia Cathedrali usq;
dum perveniunt ad aliam Ecclesiam, in qua
facienda est Rogatio, & non ultrà; unde
perspicuè fateri videntur, illam manicarum
revolutionem super humeros non esse for-
mam propriam, & naturalem gestandi su-
perpelliceum, sed aliquod peculiare præse-
ferre, quià alioquin non in his tantum fun-
ctionibus, sed in omnibus aliis indistinctè
uti prætenderent.
15 Minusque Beneficiatos juvari posse visum
fuit consuetudine, quæ allegabatur eorum
favore circà delationem manicarum super-
pellicei eodem modo, quo utuntur Canoni-
ci, & Dignitates: Testes namquè adducti ad
probandam ejusdem consuetudinem, illam
satis concludere non videbantur: quatuor
enim ex eis, de quibus loquitur præterita
decisio §. *Allegata*, deponunt, aliquos dum-
taxat Beneficiatos, & quidem paucos in
Processionibus Rogationum detulisse mani-
cas supra dorsum alligatas, cæteris illas ge-
stantibus prolixas, vel brachiis circumvo-
lutas, juxtà præscriptum Cæremonialis Ro-
mani, & universalem Ecclesiæ consuetudi-
nem; quapropter stante hac disformitate,
nulla induci potuit consuetudo favore totius
Vniversitatis Beneficiatorum, tùm quia
deest uniformitas actuum, *Rot. cor. Ottbo-*
bon. dec 4. n.36., & *cor. Mellin. decis. 251.*
n.26., & *seq.*, & *coram Emer. Jun. dec.34.*
16 *n.28*, & *dec.194. n.12.*; tum quia consue-
tudo favore Universitatis non inducitur, nisi
omnes de Universitate eosdem actus exer-
cuerint, cùm non sufficiat, illos fuisse ab
aliquibus dumtaxat exercitos, *Posth. de*
mann observ. 16. n.9. & *seqq. Rot. cor. Emer.*
17 *dec.158. n.1.*, quia Universitas non repræ-
sentatur à singularibus personis, sed ab om-
nium Cætu, & Congregatione *Rot coram*
Mantic. dec. 259 n.6., & *in rec. dec. 772.*
paritèr n.6. p.3.
18 Rursus quatuor illos Beneficiatos, qui
alias dicebantur inducti, & examinati pro
parte Capituli, ut illis plenissima fides adhi-
beretur, compertum est in facto, non à Ca-
pitulo inductos, sed ab Universitate Cleri
inferioris deputatos fuisse, ad effectum de-
clarandi, & respondendi ejus nomine Posi-
tionibus datis per Capitulum, prout de fa-
cto declararunt, & responderunt, unde pa-
lam est, illos nihil probare favore d. Uni-
versitatis, cujus nomine talem declaratio-
nem, & responsionem emiserunt, *Ridol-*
phin.

phin. in prax. p.1. cap.8. per tot., *& cap.11. n.2.*, *& seqq.*

19 Nullius denique ponderis recognitę fuerunt attestationes ultimo loco productæ Magistrorum Caremoniarum nonnullarum Ecclesiarum Hispanię, ajentium, superpellicea in dd. Ecclesiis eodem modo, videlicèt cum manicis prolixis, vel brachio involutis deferri à Parochis, & Beneficiatis, quo deferuntur à Canonicis, & Dignitatibus: quoniam ultra quod istæ sunt simplices, & in-
20 formes fides, pendente lite, expiscatæ; Animadversum præterea fuit, id ex eo procedere forsan posse, quia nimirum in dd. Ecclesiis signum distinctionis inter Clerum primi Ordinis, & alium inferioris gradus constituitur in aliis indumentis, ideòque nil mirum, si superpelliceum uniformiter deferebatur; quæ quidem ratio, cum locum sibi vindicare nequeat in hypotesi, in qua sublata ista, licè modica, & levi differentia, in modo deferendi manicas superpellicei, nullo alio medio distinguerentur Canonici à reliquis Beneficiatis, remanet proindè extraneus stylus aliarum Ecclesiarum ad effectum probandi, vel inducendi similem consuetudinem in Ecclesia Burgen. propter diversitatem rationis, & circunstantiarum, *Rot. cor. Cavaler. dec.172. n.5.*, *& in rec. dec.227. n.7. par.19.*, *& in Romana Assentistatus 7. Martii* 1719. § *Citrà quod cor. R.P.D. meo Cerro*, & sæpè alibi.

21 Constito autem ex his præcipuum, & peculiare distinctivum Canonicorum, & Dignitatum Ecclesiæ Burgen. tempore æstivo consistere in modo gestandi manicas superpellicei ad humeros revolutas; indè veluti ex necessario antecedenti sequitur, modum hunc esse debere privativum ejusdem Capituli, nec ab aliis de Clero inferiori promiscuè usurpari posse, per ea, quæ notant *Guglielm. de Benedictis in cap. Rainut.* 49. *de testam.*, *Barbos. collect. dec.60. n.7.*, *Pignatell. consult. 69. n.2. & 3. tom. 3.*, *Card. de Luca de Regular. disc.1. n.7.*, *& in Miscell.*
22 *disc. 72. n. 7.*, *& seqq.*; nemini quippè licet, præsertim in functionibus Ecclesiasticis, alienum Habitum assumere, tùm propter injuriam, quæ irrogaretur illi, cujus talis Habitus proprius est, & peculiaris, ad *Text. in l. minimè Cod. de Episcopal. Audient.*, *Gratian. cap.852. n.23.*, *Rot. dec.399. n.10. & per tot. par.12.*, *& in Caraconen. Insignium* 11. *Decembris* 1702. §. *Ponderata*, *coram bon. mem. Muto*, tùm propter damnabilem confusionem, quæ indè orire tur in ordine, & Hierarchia Ecclesiastica, ut bene observavit Decisio præcedentis Instantiæ §. *Sed ulterius*.

23 Eoque minus permissus videri poterat in hypothesi supradictus modus Parochis, & aliis de Clero inferiori; quoniam ille virtute immemorabilis competere dicitur Capitulo ex speciali privilegio Apostolico in sequelam usus, quem habet hiberno tempore Cappæ, Mozzettæ, & Rocchetti; sicuti enim Clerus inferior istis uti nequit, ita nequè usurpare debet usum gestandi manicas superpellicei suprà dorsum revolutas tempore æstivo, ad tradita per *Pignatell. consult. 54. n.1. tom.6.*, *Romaguer. ad Constit. Synodal.*, *Bacchin. lib.6. tit.5. cap. 9. nu.7.*, *Francesc. de Eccles. Cathedr. cap. 1. nu. 26.*, *Rot. dec.28. n.17. post Antonell. de Jurib. et onor. Cleric.*

24 Ex his itaquè meritò DD. responderunt pro confirmatione Sententiæ Rotalis, non attenta Instantia, quæ ex parte Beneficiatorum fiebat pro dilatione ad aquas, ea quippè visa fuit potius calumniosa, & non alio tendere, quàm ad finem ulterius protrahendi litem, dùm Beneficiati pluries hactenus obtinuerunt prorogari terminum, ad effectum conficiendi, & transmittendi Processum remissorialem, & nihilominus hodiè loco producendi testimonium saltem Judicis remissorialis, quo fides fieret de d. Processu jam terminato, nil aliud exhibuerunt; quam simplicem quandam Epistolam Corresponsalis penitùs informem, & à nemine recognitam, quæ proindè omninò nullam meretur animadversionem.

Et ita altera &c.

COMEN. REINTEGRATIONIS.

Lunæ 28. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Ecclesiæ, ad exemplum minoris, præstanda est evictio, quæ super re in Beneficii dotem assignata super accessisset, licet molestiæ ad earum assumptionem Obligato denunciatæ non apparerent; præsertim si evictionis prę statio à Juris dispositione descenderet, imo eam passus, ad eos etiam fructus, quos de re evicta percipere non potuit, actionem habet.

Transactio super rebus Ecclesiasticis sine Superiorum consensu non substinetur.

SUMMARIUM.

1 *Evictio debetur de Jure, si acidat super prędio pro Beneficii dote assignato, etiā in istius Fundatione Testator dicatur onerose contrahere.*

2 *Amplia, si præstationem evictionis in casu talis eventus iste suis hæredibus commiserit.*

3 *Subamplia, si isti de ea, in exequtionem præcepti illius, sese obligassent.*

4 *Dos Ecclesiæ non potest super re emphitheutica constitui.*

5 *Dominus directus cogi nequit ad præstandum consensum, quod sua res emphitheutica ad Manus mortuas pertranseat.*

6 *Evictio pręstari debet, etiam si denunciatæ non appareant molestiæ illi, qui eas tenebatur assumere, quando ex ejus culpa promanant*, & quomdo?

7 Am-

7 *Amplia, quando res sit cum Ecclesia, cui ad exemplum Minoris sine ulla denunciatione molestiarum pro evictionis praestatione agere licet.*

8 *Evictio, quando descendit à Jure, non attenditur defectus conditionis, sub qua sit promissa, ut debeatur.*

9 *Transactio inita inter Canonicum pro tempore, & haeredem Fundatoris nimis lesiva super Canonicatu, sine Superiorum beneplacito, ac ipsi Ecclesiae damnosa, non substinetur.*

10 *Evictionem passus, ultra rei evictae aestimationem, habet actionem ad damna, & interesse, ac ad eos fructus, quos de re evicta percipere non potuit.*

DECISIO MCCCXCV.

IN augumentum dotis unius Canonicatus per Aloysium Castelium, dùm adhuc viveret fundati in Collegiata Ecclesia Morbinii ejus Patriae, assignavit, & aggregavit in ejus ultimis Codicillis nonnulla alia Bona, & praesertim Praedium quoddam nuncupatum *delli Serragli*. Verum quia Praedium illud erat emphytheuticum, & de directo dominio Cappellaniae Pigotiae, quod propterea, si Dominus sese opposuisset, transire nequibat ad manus mortuas, hinc proindè providus Fundator, quatenus aggregratio istius Praedii subsistere non posset, expresse mandavit, ut eo casu haeredes alia Bona aequivalentia eidem Canonicatui aggregarent, ut latius constat ex tenore eorundem Codicillorum.

Sicuti Fundator veritus fuerat, res post ejus obitum contigit, nàm sese opponente Cappellano dictae Cappellae Pigotiae, obtentaque sententia super devolutione ob transitum ad manus mortuas, oportuit, ut Gaspar de Castellis de dicto Canonicatu provisus, renunciando possessioni dicti Praedii emphytheutici ad favorem Rosae Schinardae mediatae haeredis Aloysii Fundatoris peteret aggregationem totidem Bonorum aequivalentium, quae de facto ab eadem Rosa promissa fuit, sed postmodum effectum non habuit, ex quo Partes convenerunt, ut idem Praedium Canonico retrocederetur, facta obligatione per Rosam de illum reintegrando in casu molestiarum; Hae tamen molestiae multo post iterum supervenerunt, licèt enim Canonicus sese viriliter defenderit, adhuc tamen impedire nequivit executionem dictae sententiae super devolutione in judicatum transactae, cujus vigore expulsus à possessione Predii, coactus quoque fuit pro restitutione fructuum perceptorum solvere Cappellano Cappellae Pigotiae scuta 360.

Pro consequenda igitur emendatione evictionis, & damnorum passorum, obtinuit quidèm Canonicus contra memoratam Mariam Rosam opportunam sententiam, sed quia ista successivè per alium Judicem revocata fuit, interposita per illum appellatione, causaque Mihi commissa, proposui hodie dubium -- *An sit facienda subrogatio, et danda reintegratio pro fructibus, et in qua quantitate* -- & DD. in omnibus pro Canonico informante responderunt.

1 Quod enim attinet ad primam dubii partem, eo ipso, quod Praedium à Fundatore aggregatum pro augumento Praebendae evictum fuerat, sequebatur in necessariam consequentiam, ut eadem evictio ab haeredibus Assignantis, seù Fundatoris per subrogationem aliorum Bonorum emendari deberet; in fundatione enim Canonicatus, seù Praebendae ineil quidam contractus onerosus, in quo de jure praestari debet evictio *Lambertin. de Jurepatron. lib. 1. par. 1. quaest. 5. art. 8. nu. 12 Paulus de Cittadin. eodem tract. par. 3. conf. 2. n. 45., Guzman. de evict. quaest. 16. nu. 66., et seqq., Mangil. eodem tract. 2 quaest. 64. nu. 3.* Haec autem juris dispositio longè potiori ratione recipienda est in praesenti casu, tùm propter explicitam Testatoris voluntatem, ut quatenus casus evictionis contingeret, ea praestari à suis haeredibus deberet, *Rota dec. 62. n. 10. par. 11., et 3 dec. 364. n. 8. par. 18.*, tùm quoque propter expressam obligationem dictae Mariae Rosae haeredis, quae in sequelam eorum, quae gesta fuerunt de anno 1698. expressè promisit totidem Bona subrogare, ut bene ad rem firmat *Rota in Tuden. Evictionis 22. Martii 1715. §. Etenim coram bon. mem. Muto, et in Asculana Evictionis 19. Februarii 1714. §. Quo enim coram Me.*

Nil turbante, quod reintegratio non aliter promissa fuerit, quàm sub ea conditione, ut nempe Canonicus molestias eidem 4 haeredi denunciare teneretur; ultra quod enim denunciatio molestiarum nihil profuisset, cum res emphytheutica pro dote Ec-5 clesiae dari non possit, neque cogi valeat Dominus directus assensum suum praestare transiationi in manus mortuas, *Gob. consult. 82. num. 15., Falgin. de emphyt. tit. de alienat. quaest. 1. n. 221., & 267., Lopez. de quinden. cap. 2. n. 2., et n. 39., et cap. 37. n. 23. Panimol. 6 dec. 24. n. 3.*, & propterea omissio dictae denunciationis impedire nequit, quo minùs evictio ab haerede praestanda sit, *Rota cor. Bich. dec. 315. n. 15., et in Romana Evictionis Locorum Montinm 11. Decembris 1713. §. Qua sanè coram R. P. D. meo Falconerio, et 25. Novembris 1715. §. Altera cor. Rmo 7 Crispo*, cum maxime res sit cum Ecclesia, cui ad exemplum minoris, & illud quoquè peculiari jure indulgetur, ut etiam sinè ulla denunciatione pro evictione agere possit *Hermosil. ad Lopez. par. 5. tit. 5. leg. 32. glos. 4. n. 88.*

8 Cessat penitus objectum, quia actio pro evictione non minus oritur ex promissione Mariae Rosae, quàm à dispositione juris, & positivo praecepto Testatoris; unde quatenùs etiam contra dictam promissionem opponi posset defectus conditionis, semper nihilo-

nihilominus superesset alia obligatio descendens à jure ex præcepto Testatoris dictę conditioni minimè alligata, *Rota coram Pamphil. dec.*279. *nu.*5., *et in rec. dec.*501. *n* 4., *et seqq.*, *et in Viterbien. Pecuniaria* 8. *Februarii* 1715. § *fin. coram Eminentiss. Scotto*.

9 Similii modo minus obstare potest concordia quædam, quæ asseritur inita anno 1717. inter Canonicum Gasparem, & memoratam Rosam; quidquid enim sit de legalitate dictæ concordię, quam Canonicus impugnabat etiam ex defectu mandati, illud Domini pro explorato habuerunt, quod utcumque facta fuerit eadem conventio, nullum exindè præjudicium irrogari poterit Præbendę, aut Canonico, cum sit enormissimè læsiva, tum propter pactum prosequendi litem contra Cappellam Pigoziam expensis communibus, quando molestiæ erant unicè assumendæ per Mariam Rosam, tum, & certius propter aliam conditionem, qua conventum fuit, ut quatenùs dictum Prædium evinceretur, reintegratio Canonicatus pro tota medietate ejus valoris fieri deberet in aliis Bonis hæreditariis, alterando hoc pacto, nedum juris dispositionem, sed etiam contraveniendo expressè voluntati Fundatoris, qui eo casu, non in parte tantùm, aut in medietate, sed pro integro valore dicti Prædii Canonicatum, & Præbendam reintegrari mandavit; undè in his terminis clariùs est quamquod dici valeat conventionem ejusmodi, Ecclesiæ damnosam, & nullis solemnitatibus, aut beneplacito Superiorum communitam, perindè habendam esse, ac si facta non fuisset, *Vreeol. de transact. quest.*23. *n.*17, *Rota coram Veral. dec.* 106 *n.* 1., *et seqq. par.* 1., *et in* Cracovien. *Decimarum* 22. *Februarii* 1712. §. *Pro coronide coram Emo Scotto*.

Et per hæc, absoluta prima dubii parte,
facilis admodum, & plana reddita fuit reso-
lutio secundę, quoad reintegrationem fru-
10 ctuum; ex ipsa enim natura evictionis cer-
ti, & explorati juris est, quod qui illam
passus fuit ultra æstimationem rei evictæ,
consequi etiam debet damna, & interesse,
quorum restauratio præcisè verificatur nedum in restitutione ejus, quod evictionem passus solvere evincenti coactus fuit, verum quoque in reintegratione omnium fructuum quos ex re evicta percepisset, tanti enim ejus interest evictionem secutam fuisse *l. Venditor hominis*, *et l Evicta ff. de evict.*, *Mangil. eodem tit. quæst.* 179. *n.*2., *et seq.*, *Guzman. eodem tract. quæst.*13.*n.*79., *et seq. Rota dec.*285. *n.*10., *et seq. par.* 19., *et in Tuden. Evictionis super Fructibus* 10. *Martii* 1715. §. *Debitar*, *et* §. *Transeuntes cor. Emo Scotto*, *et in Romana Pecuniaria* 24. *Aprilis* 1722. §. *Stetit coram Reverendiss. Herrera*.

Et ita altera &c.

COLONIEN. CANONICATUS SECUNDÆ GRATIÆ.

Lunæ 28. *Junii* 1723.

ARGVMENTVM.

Hæc est confirmatoria alterius emanatæ sub die 26. Junii 1722.

Ad Canonicum Turnarium Jus nominandi ad Beneficium pertinet, si vacet de tempore, quo in Turno reperitur; Turnus autem, ejusque ordo ex materiali descriptione in Tabella non oritur; bene vero à Capitularium numero, inter quos Juris nominandi exercitium penes universum Capitulum residentis pro æquali rata temporis, & dierum dividitur.

SVMMARIVM.

1 *Nominatus ad Beneficium à Canonico Turnario, instituendus est.*

2 *Institutio, ut sit legittimè facta, solum inspici, & attendi debet Status Turni de tempore vacationis.*

3 *Turnus, & ordo Tabellæ non oritur ex ejus materiali descriptione, sed à numero Capitularium, inter quos dividitur Jus nominandi penes universum Capitulum resident pro æquali rata temporis, & dierum* & n. 5.

4 *Amplia, ut nil intersit, quo tempore lecta, & approbata fuerit tabella; imo etiam composita, cum ejus approbatio retrotrahatur ad diem, qua numerus Capitularium per alicujus exclusionem ad pauciores fuit redactus*; & declara, ut in n. 5.

5 *Subamplia, ut ejus descriptio, & si ex post appareret facta, habenda esset, ac si usque ab initio fuisset confecta.*

6 *Statutum Ecclesiæ Colonien. demandat, quod si Canonici discedant ab Ecclesia absque licentia Decani, illico à Turnaria Tabella decadant.*

7 *Deletio Canonici à Turno à fortiori non potest à tertio impugnari, quando Canonicus reus, & principale habens interesse eam non impugnasset.*

8 *Exceptio de jure tertii non admittitur.*

9 *Sors, quam secundam sui favore quis vellet; sic favore alterius ab eodem est desideranda, nec de ea alteri invidere quis debet.*

DECISIO MCCCXCVI.

EXaminatis iterum Juribus per Collitigantes hinc inde deductis, Domini persistentes in sensu decisionis coram Me editæ 26.
1 Junii superioris anni denuò censuerunt Canonicatum adjudicandum esse Arnoldo, utpotè legitimè nominato à Canonico Sommagne, qui de tempore, quo Canonicatus vacavit per obitum illius ultimi Possessoris reperiebatur in Turno, & ejus jure gaudebat,

bat, ut sæpe aliàs in similibus circumstan-
tiis respondit *Rota*, & presertim *in unaCo-
lonien. Canonicatus S. Andreæ 17. Februa-
rii 1713. §. Constitit coram Me*, & *15. Fe-
bruaris 1715. §. Longè coram R. P. D.meo
Cerro*.

Quod autem memoratus Soumagne de
tempore vacationis reperiretur in Turno,
præclare probari visum fuit ex TabellaTur-
naria præscripta, & ordinata pro anno 1719.
virtute decreti editi in Capitulo generali
sub die 14. Januarii ejusdem anni. Cum
enim in ejusmodi Tabella excluso propter
legitimas causas Canonico Holthausen.,
Turnus divisus fuerit inter reliquos Ca-
pitulares, & secundum hanc divisionem
dies 17 Maii, quo Canonicatus vacavit, ob-
tigerit inter illos septem pro suo Turno assi-
gnatos Canonico Soumagne, nil utique su-
2 perest ultra inquirendum, cum ad effectum
institutionis inspici solum, & attendi debeat
status Turni, qui vigebat tempore vacatio-
nis, *Garz. de Benefic. p.5. cap.1. n.241.*, & *
seqq., *Gonzalez ad reg.8. Cancellar. gloss.
45. §. primo n.14.*, & *seqq.*, *Rota divers.
decis. 616. n.1.*, & *seqq. p.4.*, cum aliis in
decis. Causæ §. Supposito, & *seqq.*

Minime urgente responsione, quod Ta-
3 bella, in qua Soumagne pro suo Turno as-
signati fuerunt predicti septem dies non an-
tea lecta, & approbata fuerit à Capitulo,
quam sub die 13. Junii, & sic longè post
tempus secutę vacationis, ut enim DD.di-
cebant, vis non stat in approbatione, & ra-
tihabitione Capituli, immò neque in mate-
riali descriptione in Tabella, quia descrip-
tio usui quidem est ad faciliorem probatio-
nem Turni. Turnus autem, & ejus Ordo
ab ea minimè oritur, sed bene quidem a
numero Capitularium, inter quos dividi
debet exercitium Juris nominandi penes
universum Capitulum residentis pro ęquali
rata temporia, & dierum. Cum itaque in
casu, de quo agitur, longè antè vacationis
tempus, & usque à principio anni propter
exclusionem Canonici Holthausen. numerus
Capitularium, inter quos facienda erat di-
visio, talia esset, ut necessariò jus nominan-
di, & Turni pro die 13. Maii cum sex aliis
sequentibus obtingere deberet Soumagne,
4 nihil interest, quo tempore Tabella à Capi-
tulo lecta, & approbata, immò etiam com-
posita fuerit, quia semper probatio retro-
trahitur ad diem, quo numerua Capitula-
rium per exclusionem Holthausen. rediit ad
pauciores, & propterea in casu perinde
habetur, ac si Tabella usque à principio an-
ni composita eo pacto, & publicata fuisset,
*ad Text. in cap. Si Beneficium de Præben-
dis in 6.*, *Gonzal. ad regul.8. Cancellar. gloss.
31. n.35.44.*, & *seqq.*; *Card de Luca de Ca-
non. discurs.2. n.8.*, *R.P.D. Petra in Voto
per eum edito in Romana Beneficiatus San-
cti Petri 21. Aprilis 1716. §. Cum itaque*.

Et de facto, licet in Tabella non fuerit a
5 principio anni descriptus Turnua totius an-
ni, sed solum usque ad diem 10. Martii, &
ab inde citra nulla alia habeatur descriptio,
quam quæ publicata fuit sub die 13. sequen-
tis Junii, quia tamen etiam sine tali descrip-
tione, & publicatione pro mensibus, qui ef-
fluxerunt inter Martium, & Junium Tur-
nus de uno in alium ex Capitularibus gra-
darim progressus fuerat, prout de jure pro-
gredi debebat, d. subsequens descriptio non
fuit cępta a d. die 13. Junii, qua in Capitulo
lecta, & publicata fuit, sed à die 11. Mar-
tii, quæ immediatè subsequebatur post diem
ultimo loco adnotatam in prima descriptio-
ne, ut proinde ex hoc ipso describendi mo-
do in comperto maneat subsequentem hanc
descriptionem, nil aliud revera fuisse, quàm
continuationem, & consequentiam necessa-
riam primæ, prout de facto præclarè indi-
cat titulus ille, sub quo à Capitulo approba-
ta fuit, ibi -- *Turnus Capituli SS. Aposto-
lorum continuatus*, & sic utramque descrip-
tionem non aliter censeri posse, quàm si uni-
co contextu usque ab initio anni facta fuis-
set, ad ea, quæ tradit *Parisius cons.39. n.5.*,
& *seq. lib. 1.*, *Adden. ad Pamphil. dec.421.
n.6.*, *Rota cor. Merlin. dec.10. n.13.*, & *cor.
Peutinger. dec.28. n.1.*, & *in Burgen. Visita-
tionis super attentatis 2. Februarii 1716. §.
Et revera cor. Emo Althann.*

Non jure autem controverti visum fuit,
6 quod Holthausen. fuisset usque à principio
anni exclusus à Turno. Veritas enim hujus
facti pręclarè convincitur; tùm ex quo ip-
se propter discessum è Civitate sine prævia
licentia Decani, jam usque à principio anni
in eam pœnam inciderat ex litterali disposi-
tione Statutorum Ecclesiæ; tùm & certiùs,
quia Capitulum usque sub die 27. Martii, &
sic longè ante diem secutæ vacationis illum
de facto declaravit à Turno exclusum, dum
decrevit eidem gratiam fieri posse, quate-
nus illam peteret; tum denique quia idem
Canonicus Holthausen. gratiam reintegra-
tionis postea petiit, nempè sub die prima
sequentis Julii, & acceptata ejus privatione
pro tempore præterito illam obtinuit pro
7 futuris dumtaxat vacationibua; unde in his-
ce circumstantiis vix, ac ne vix quidem au-
diri potest, quod tertius impugnare audeat
prædictam exclusionem, & deletionem à
Turno, quam Reus, & principale interesse
habens impugnare non est ausus, sed immò
bona fide tanquam justam proprii reatus
pœnam æquo animo tulit, & acceptavit,
*Rota in Monasterien. Canonicatus 20. Ja-
nuaris 1708. §. finali coram Emo Scotto*, &
*in Colonien. Canonicatus S. Andreæ 17. Fe-
bruarii 1713. §. Neque cor. Me*, & *15. Fe-
bruarii 1715. §. Hinc inutile coram R.P.D.
meo Cerro*.

Prout etiam neque audiri potest alia si-
8 milis exceptio de jure tertii, quod vide-
licet per exclusionem unius Canonici à Tur-
no jus exclusi redeat ad universum Capitu-
lum, non vero devolvatur ad sequentem
in gradu. Si enim Capitulum jus ejusmodi

qualecumque illud sit, minime curavit, sed immò per ejus decretum voluit, ut, sub ducto Holthausen., nova fieret Tabella turnaria inter reliquos Capitulares; licere utique non debet Canonico Gade, aut nominato ab eo de d. Jure, quod ad Capitulum pertinuisset excipere, cum præsertim ex facto constet, aliàs in similibus casibus exclusionem delinquentis factam pariter fuisse per subrogationem alterius in ordine subsequentis, & semper urgeat animadversio illa, quod sicuti immutatio Turni per exclusionem Canonici Holthausen. cessit comodo, & beneficio Soumagne, ita sortiri potuisset in favorem, & beneficium Canonici Gade, quem propterea congruum est, ut quam sortem sibi secundam evenire posse sperabat, æquo animo gaudeat alteri obvenisse.

Et ità relativè; in reliquis ad præcedentem Decisionem utraque &c.

VICEN. BENEFICII.

Lunæ 28. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Beneficium non dicitur residentiale, ex quo celebrandi onus, & in Choro interessentiam requirat, quibus posset per alium suppleri, præsertim si de eo Perochus olim fuisset provisus, qui eodem tempore animarum curam cum residentia de cetero incompatibilem, exercuisset, & quando onus per se ipsum celebrandi, & interessendi non defesset.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ Apostolicæ in omnibus justificatæ retardari non possunt.*
2 *Descendentiâ de linea Fundatoris ad consequendum Beneficium probatur ex Arbore justificata per instrumenta, & testamenta*, & n. 5.
3 *Amplia, si probaretur, quod auctor d. Beneficiati fuisset ad consimile Beneficium admissus, uti descendens de linea ejusdem Fundatoris.*
4 *Subamplia, quando quæstio non est cum æqualiter qualificato, sed cum extraneo*, & n. 5.
5 *Descendentia de linea Fundatoris levioribus probationibus firmatur, quando quæstio est cum extraneo.*
6 *Beneficium non dicitur præcise residentiale ad hoc, ut Beneficiatus per se ipsum onera illius adimplere teneatur, ex eo quia esset in Cathedrali erectum, & haberet onus celebrandi Missas, & interessendi in Choro*, & n. 7.
7 *Beneficia, quæ personalem non requirunt residentiam, de jure simplicia præsumuntur.*
8 *Beneficium ex quibus dicatur simplex.*
9 *Beneficium non potest dici residentiale residentia præcisa, quando de eo reperiretur, quod fuisset Parochus provisus, cujus cætera ipsi commissa cum residentiali Beneficio implicaret*, & n. 10.
10 *Beneficium non requirit præcisam residentiam, sed causativam, si reperiretur, quod de eo provisus, ob non residentiam, nullam aliam subiisset pænam, quam solutionem quantitatis ceræ quolibet anno.*
11 *Subreptio non inducitur, ex quo qualitas residentialis Beneficiati causativa Pontifici non fuisset expressa.*
12 *Subreptio oritur, quando exprimitur Papæ Beneficium esse liberum, quod certo personarum generi esset ex lege fundationis conferendum.*
13 *Gratia pro qualificato sit subreptitia, quando Provisus non justificat se esse de genere vocatorum.*
14 *Provisus censetur renunciasse Gratiæ* pro qualificato, *eo ipso, quod expedit litteras Apostolicas, tamquam de beneficio libero.*

DECISIO MCCCXCVII.

Beneficium erectum anno 1325. per Raymundum de Benager sub invocatione, & ad Altare B. Pauli in majori Ecclesia Vicen. sub certis quibusdam legibus, & cum reservatione Jurispatronatus passivi favore certi generis Personarum, cum vacaret per obitum Honuphrii Ponsich sequutum de mense Maii anno 1709., collatum fuit à S. Sede Jacobo de Orjnlay Tord asserenti se juxta fundationem debitè qualificatum. Subinde vero consimilem quoque gratiam pro qualificato obtinuit Petrus Paulus, qui tamen forte agnoscens se minimè esse qualificatum, variando titulum, novam ex integro provisionem tanquam de libero reportavit, quam nemine citato, exequutioni demandavit Canonicus Sigismundus executor datus in prædictis ultimis litteris Apostolicis. Instructa exinde lite inter Provisos coram Officiali Curiæ Episcopalis Barchinonen., iste pronunciavit exequendas esse litteras Apostolicas Jacobi. Postmodum vero per appellationem ab ea Sententia per Petrum Paulum interpositam commissa mihi fuit per Signaturam Iustitiæ ulterior cognitio Causæ cum clausula — *Parito litteris arbitrio Rotæ*. Quamobrem proposui hodie dubium, *an intret arbitrium pro retardatione exequutionis Litterarum Apostolicarum, seu potiùs Beneficium adjudicandum sit Petro Paulo*, & DD. *negativè in omnibus* responderunt.

Cum enim Litteræ Apostolicæ Iacobi tàm
1 respectu Clericatus, & idoneitatis, quàm respectu valoris in eis expressi per non excessum sint plenè justificatæ ex depositionibus plurium Testium formiter examinatorum, non est cur hoc nomine illarum exequutio retardari possit, *Cap. Si Capitula de Præbend. in 6.*, *Rota dec. 165. n. 21.*, & *decis. 246. n. 1. cor. Emerix*, & *passim alibi.*

Sed

Sed neque ratardari potest ex alia expres-
sione, quod Iacobus juxta formam funda-
tionis sit debitè qualificatus, super qua resi-
2 det totum gratiæ fundamentum. De verita-
te enim prædictæ expressionis plenissimè
constat ex Arbore descendentiæ de gradu
in gradum exactissimè justificata per plura
instrumenta, & Testamenta, ex quibus
præclare colligitur eumdem Iacobum recta
linea descendere ab ipso Raymundo Testa-
tore per medium Iacobi de Galliners, qui
3 antequam nuptias contraheret cum quadam
Margarita, admissus fuit tanquam qualifi-
catus, & de genere Fundatoris in contra-
dictorio Iudicio ad aliud Beneficium S. Lau-
rentii per eumdem Reymundum sub eadem
lege fundatum, ut proinde in hisce circum-
stantiis nullus omnino superesse possit am-
bigendi locus, quin Iacobus sit de genere
Fundatoris, & juxta legem ab eo indictam
debite qualificatus ad ea, quæ tradunt *Garz.
de benefic. p. 7. cap. 5. n.29., Lotther. lib. 2.
q.11. n.114.*, & dixit *Rota cor. Greg. decis.
349.n.1.*, & *seqq.*, & *in rec.dec 422.n.9.p.18.*
4 cum præsertim quæstio hodie non sit cum
alio, qui contendat se esse æqualiter quali-
ficatum, & de eadem descendentia Funda-
toris, sed cum extraneo, aut cum eo, qui
pro tali se habuit, dum derelicta priori gra-
tia pro qualificato, obtinuit subindè aliam,
5 tamquam de libero; in his enim terminis,
cum sufficeret etiã levior probatio descen-
dentiæ, multo magis admittenda est ea,
quæ probatur per gradus distinctos cum pu-
blicis instrumentis, & mediante Sententia
in judicatum transacta, ut sequitur *Garz. d.
cap.15. n.25.*, & *seqq.*, & firmat *Rota decis.
578.cor.Seraph. dec 333.n.3.*, & *seq.*, & *dec.
346. n.10. cor. Penia*, & *dec.154. n.15. cor.
Bich.*, & *dec.38.n.10.cor.bo.me. Ansaldo ubi
concordantes.*

Absque eo quod urgere possit, quatenus
adduceatur exceptio, quod Papę narratum
non fuerit Beneficium controversum esse
6 residentiale, licet enim agatur de Benefi-
cio erecto in Cathedrali cum onere cele-
brandi Missas, & interessendi in Choro, non
tamen exinde probatur, quod sit precise
residentiale, itaut Beneficiarus, & Missas,
& alia hujus generis onera per se ipsum
adimplere teneatur, ut in similibus circum-
stantiis aliàs respondit *Rota dec. 335. n. 29.
p.19.*, & *in Cremonen. Beneficii 4. Martii
1709.* §. *Pæna cor. Me*, & *14 Februarii 1715.*
§. *Nec Magis cor. R.P.D. meo Cerro*, & *in
Gerunden Beneficii 3. Julii 1722* §. *Prop-
terea cor. R.P.D. meo Crispolto.*

Præsumptio namque Juris est, quod om-
7 nia Beneficia censeantur simplicia, quę de
generali consuetudine personalem residen-
tiam non requirunt, *Rota dec.281.n.8 p.11.
rec.*, *in Nullius, seu Piscien. Beneficii 5. Maii
1719,* §. *Ex his*, & *13. Maii 1720.* §. *Et sa-
ne cor. R.P.D. meo de Gamaches*, & *in d.
Gerunden.* §. *Tantum cor. R.P.D. meo Cris-
8 polto.* Hæc autem Juris præsumptio multo
fortius urget in casu præsenti, quia juxta
amplissimum Testimonium plurium Sacer-
dotum, & Beneficiatorum ejusdem Ecclesię
Vicen. habetur, quod non minus Honuphrius
ultimus possessor controversi Beneficii, quàm
ejus Prædecessor nunquam .resederunt, ta-
metsi per decursum longissimi temporis Be-
neficium possederint, cum ille esset Rector
Parochialis Ecclesiæ Loci de Turia, iste
vero Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Man-
9 resiæ, ex quo sequitur, quod controver-
sum Beneficium nequaquam reputari possit
residentiale residentia præcisa, dum si tale
fuisset, non potuissent Parochus, & Cano-
nicus illud retinere cum Cura, & Canonica-
tu propter prohibitionem notissimi *Textus
in Extravaganti execrabilis de Præbend.*,
*de quo Rota in Monasterien. Canonicatus
23. Aprilis 1706.* §. *Neque cor. Me*, & *in
altera Monasterien. Canonicatus 4. Maii
1716.* §. *Quod sane cor. R. P. D. meo Falco-
nerio.*

10 Præterea ex Testimonio Syndici Anni-
versariorum ejusdem Cathedralis de facto
proprio deponentis, & illud quoque con-
stat, Beneficiatos nempè pro tempore
ex causa eorum non residentię nullam
aliam pęnam unquam subijsse, quàm solutio-
nis duodecim librarum quolibet anno, quod
manifesto est argumento Beneficium non
requirere residentiam præcisam, sed solum
causativam, ut bene distinguit *Rota in Au-
gustana Canonicatus Provinciæ Moguntin.
26. Iunii 1709.* §. *Porro*, & § *Maximè*, &
14. Martii 1710. §. *Exclusa cor. bo.me. Mo-
lines*, & *in d. Gerunden.* §. *Similiter cor.
11 R.P.D. meo Crispo.* Certum autem, ex-
ploratumque est, quod qualitas residentia-
lis causativa si non sit expressa Summo Pon-
tifici, nullam subreptionem inducit, *Rota
dec.441. n.1. cor. Manzaned.*, & *decis. 337.
n.5. cor. Royas*, & *dec. 507. n.8. p. 19.*, & *in
Cracovien. Archidiaconatus 26. Iunii 1698.*
§. *Præterea cor. bo. mem dell' Olmo.*

12 Posito igitur ex hactenus deductis, quod
non sit retardanda exequtio gratię pro qua-
lificato obtentæ per Jacobum, jam inde se-
quitur in necessariam consequentiam, quod
Beneficium adiudicari nequeat Petro Paulo
qui quatenus insistat in postrema gratia tan-
quam de libero, illa est manifestè obreptitia,
cum Beneficium ex lege fundationis debea-
tur certo generi Personarum; quatenus ve-
13 ro insistat præcedenti gratiæ pro qualifica-
to, & multo minus obtinere potest, tum
quia non justificat se esse de genere vocato-
14 rum, tùm etiam quia illi renunciasse vide-
tur per subsequentem expeditionem alia-
rum litterarum tanquam de libero, ut aliàs
respondit *Rota in Vercellen. Cappellaniæ 5.
Iunii 1722.* §. *Quia*, & §. *Minusque coram
R.P.D. meo Foscaro.*

Et ita Jacobo tantum informante, Petro
Paulo autem dilationem frustra petente sub
vano, & insubsistenti fundamento, quod non
habuerit in tempore traductionem Proces-
sus resolutum fuit. FA-

FANEN. IMMISSIONIS.

Lunæ 28. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Mater si per viam transactionis usumfructum bonorum hereditariorum sibi à prædefuncto viro legatum filię superstiti hæredi proprietariæ renunciaverit, in eoque nullum sibi Jus, neque ex defuncti testamento, neque ex quacumque causa necessario exprimenda reservaverit, & correspectivè ad factam cessionem, prætium à filiæ tutore receperit, ista præmoriente, ad cessa ususfructua jura numquam regreditur, sed iste cum proprietate consolidatus ad ulteriores vocatos pertransit, cum ratio de proprietate militans, se etiam quoad usumfructum habere dicatur, præsertim si Mater de filiæ præobitu in transactione cogitaverit, & casus, in quibus de tali regressu sibi cautum esse voluerit, designaverit.

SUMMARIUM.

1 *Vocatus ad fideicommissum sub aliqua conditione, ista purificata illico ad eum Jus acquirit.*

2 *Ususfructus diverso Iure censeri non debet, quam proprietas, & ab ista non est separabilis, nisi ex pacto in contrarium per testatorem illi adjecto.*

3 *Ususfructus consolidatur cum proprietate per renunciationem de eo factum favore proprietarii ab usufructuario, & tamquam morte resecatus censendus est*; amplia, vt in n.7.

4 *Ususfructus favore filiæ à Matre cessus, illa præmoriente, ad ipsum renunciantem non regreditur; præsertim si illum à se abdicaverit ad hoc, ut una cum proprietate consolidatus ad quos de jure transiret*, & num. 12.

5 *Amplia, si correspectivè ad ejus cessionem Mater aliquid à Proprietario hærede receperit*, & n.6. & 7.

7 *Ususfructus cessus cum totali dominii abdicatione, omnem agendi perimit facultatem pro regressu ad illum*; & n.8. 9. & 10.

10 *Ususfructus cum proprietate non consolidatur, nisi jus ad eum penitus remaneat extinctum.*

11 *Amplia, ut ad hunc effectum satis non sit, quod translativè in Proprietarium, vel in alium pertranseat, sed transire debet per cessionem dominii totaliter abdicativam*; Et quare.

12 *Ususfructus à Matre cessus filiæ Proprietariæ ad ipsam per illius prædecessum non regreditur; præsertim si in abdicando à se illius dominium de filiæ præobitu cogitaverit.*

13 *Amplia, quando de regressu in casu diverso pacta fuisset, quod dat intelligere, ut regressui in casu præobitus filiæ, voluerit renunciare*; & n. 14.

15 *Ususfructus, secundum aliquos, extinguitur per cessionem, quando fructuarius cedit illum ei, qui irrevocabiliter est proprietatis Dominus.*

16 *Limita, quando consolidatio cum proprietate à certa dependet conditione, & ære proprio, non hæreditario, aliquid cessionarius cedenti persolvit*; & vide casum, ac in n.17. & 18.

19 *Ususfructus cessus favore illius, qui sublato cedentis jure, proprietatem, & fructus adipiscitur, quibuscumque verbis concipiatur, sive translativis, sive extinctivis, non aliter operatur, quam extinguendo jura cedentis.*

20 *Ususfructus, ut dicatur cessus hæredi proprietario, pro tali considerato, & non uti tertia persona, probatur, ex quo non fructuum commoditas, sed jus ipsum incorporale cessum appareret.*

21 *Ususfructuarius decadit ab usufructu, si illum favore extranei cesserit.*

22 *Actus quilibet semper censetur factus eo meliori modo, quo potest valere.*

23 *Ususfructus non potest cum proprietate consolidari, nisi ille simul cum proprietate in una eademque persona conveniat.*

24 *Transactio inita inter usufructuarium, & proprietarium super rebus, & negociis hæreditariis, quidquid operatur, censetur hæredi quæsitum, præsertim si pretium transactionis de bonis hæreditariis fuisset solutum*; & n.26.

25 *Legatum acquiritur à vidua, quæ ad secunda vota pertransit, nisi sub expressa viduitatis conditione scriptum sit.*

27 *Servitus non potest imponi ab hærede gravato super bonis fideicommissariis in substitutorum præjudicium, qui nullam ab ipso causam habeant.*

DECISIO MCCCXCVIII.

Michael Angelus Borgogelius unicam, quam habebat Filiam nomine Claricem hæredem moriens in proprietate sibi scripsit: Et si in pupillari ætate, vel sine Filiis decederet, substituit illi Filios Comitissæ Camilliæ eius Sororis, verùm si & illi quoque, aut Superstites non essent, aut deficerent, vocavit ad successiones - *di tutta la sua robba* -- tres Sorores jàm tunc nuptas, & illius, quæ præmoreretur Filios Superstites: Cùm autem Maria Clara Malvezia Testatoris Uxor tunc annos esset non ampliùs, quam duos supra viginti nata, & vt homines in more habent, cuperet Michael ne cum alio posteà nuberet, ultrà restitutionem dotis in scut. 3. mil. & nuptialis apparatus in scutis 600. eidem prætereà legavit alia scut. 2. mil. vestes, Jocalia, & reliquum mundum muliebrem cum Jure viduilis, & sub expressa viduitatis conditione puram quoque, & liberam in usufructu hæredem eamdem instituit.

Testa-

Testatore postmodum defuncto, plures intèr Viduam, & Alexandrum Castracanum Pupillæ Tutorem Testamento datum ortæ fuerunt controversiæ, quibus componendis cum impares fuissent duo Advocati in arbitros, hinc indè electi; Opera tandem, & Consilio clar. mem. Cardinalis del Verme tunc Episcopi Fanensis inita fuit intèr Partes solemnis transactio, in qua Maria Clara Vidua accepto sibi tulit omne, & totum id, quod sibi ex quacumque Causa deberet hæreditas Borgogeila, & præsertim usumfructum à prædefuncto Viro sibi relictum, quem idcirco in eodem transactionis actu in ampiissima forma remisit, ac renunciavit, & consolidatum esse voluit cum proprietate, Contra verò Alexander Tutor Pupillæ nomine vltrà nomen quoddam, & argenti in usum muliebrem elaborati uncias 144. quas tunc Mariæ Claræ consignavit, constituit insupèr sese intrà certum tempus, & sub certo modo eidem soluturum scut. 9. mil. in integram, & finalem satisfactionem omnium Jurium illi competentium absque ulla reservatione proprietatis, aut regressus etiam pro casu, quo Vidua contra Testatoris præceptum secundo nuberet, sicuti latiùs habetur ex Instrumento d. transactionis.

Post res ità compositas datamque hinc indè transactioni plenam exequutionem, inverso naturæ ordine Clarix Filia sine liberis decessit, Maria Clara Matre adhùc Superstite. Hinc autèm aliæ duæ ortæ fuerunt controversiæ intèr Comitissam Franciscam Ferrettam nuptam Bajulivo Marcolino, hæredemque in Testamento Michaelis Clarici substitutam, & memoratam Mariam Claram Defunctæ Matrem, atque ab ea hæredem ex asse scriptam; altera videlicèt super usufructu, & altera super detractione Trebellianicæ, Quas quidem Controversias cum Partes post quoddam Judicatum ab A.C. in possessorio latum, mutuo consensu in hoc Sacr. Auditorio compromiserint duabus decisionibus definiendas, hodiè idcircò consului Dominos super geminis Dubijs, altero videlicèt respiciente Trebellianicam, de quo in contemporanea Decisione, & altero super vsufructu sub opportuna formula *An scilicèt, & quomodo sit danda Immissio* cui responsum fuit *affirmatiuè iuxtà modum* nimirùm *tàm in proprietate, quam in usufructu*.

1 Et sanè respectu proprietatis nulla erat intèr Partes dissensio: Utrinque enim conveniebant eam esse restituendam Comitissæ Franciscæ, dum per obitum Claricis absque Filiis factus fuerat casus, in quem Michael illi per fideicommissum substituerat filios
2 Camillæ ejus Sororis: Tota igitur difficultas reducebatur ad usumfructum, sed & iste quoque visus fuit diverso Jure censeri non posse, nam, & naturalitèr cum proprietate coniunctus est, & ab ea separari non debet; nisi quis concludentèr probaverit sibi ex pacto, vel Testamento Jus esse alienis rebus utendi, fruendi, *Leg. fundus 4. ff. si usufruct. pet. Altograd. cons. 104. num. 30 lib. 2. postb. de manut. observ. 16. num. 42. Rot. coram Merlin. decis. 642. num. 1., & in rec. decis. 120. num. 1. & 2. & decis. 315. num. 1. & seqq. par. 9. & decis. 345. num. 2. & 3 par. 19.*

Non benè autèm Maria Clara Jus istud sibi asserere videbatur ex Testamento Mi-
3 chaelis; Quamvis enim in eo usufructus hæreditatis à proprietate abstractus, Jure institutionis eidem relictus fuerit, quia tamèn posteà ipsi placuit ex causa transactionis eumdem usumfructum remittere, ac Proprietariæ cedere, per hanc utique cessionem, & remissionem Jus omne usufructus, haud seciùs peremptum, sublatumque fuit quam si morte fructuariæ finitum, & cum proprietate consolidatum fuisset. *§. Item finitur Inst. de usufr. Carvall. de utraque Quart. par. 4. cap. 1., num. 157. & 159. Gallerat. de renunc. cent. 1. Renunc. 55. num. 1. & 2. Castill. de usufr. cap. 69. num. 1. & seq. Bellon. de Iur. accr. cap. 10. quæst. 28. num. 67. & seq. & num. 106. & seq.*

Nequè vero substineri ullo pacto poterat,
4 vel quod prædicta cessio, ac renunciatio tamquam à Matre exposita intuitu dumtaxàt, & contemplatione filiæ fuerit merè, ac simpliciter personalis, quodque propterea per ejus prædecessum resoluta peræquè remanserit, ac si facta non fuisset, vel saltem, quod Jus usufructus per eam cessionem translatum in Filiam, redire exinde ad ipsam Matrem debuerit ex nova Causa, & tamquam ipsius filiæ universalem hæredem, atque ab ea super hoc ipso Jure nominatim reintegratam.

Adjungentes namque Domini eorum animum ad verba, quibus eadem cessio concepta fuit, pro constanti habuerunt non ea contemplatione cessionem fuisse à Matre expositam, ut præmoriente Filia usufructus ad ipsam rediret, aut in ejusdem Filiæ hæredes transmitteretur, sed solùm id actum intèr partes fuisse, ut usufructus à Matre abdicatus ita cum proprietate consolidaretur, ut cum eadem proprietate perpetuo transiret in eos, ad quos hæreditas Michaelis Angeli jure fideicommissi perventura foret; Et verba sane, à quorum sensu nunquam est temere recedendum, cum de Contrahentium voluntate quæritur, respectu Mariæ Claræ cedentis ità se habent .. *cede, rinuncia &c. il legato dell'usufrutto annuo promettendo, ed obligandosi di non pretenderlo, ne domandarlo mai più in alcun tempo, nè in tutto, nè in parte il detto usufrutto, mà lasciarlo intieramente libero, & in tutto, e consolidato colla proprietà à favore di detta sua Figlia &c. non riservandosi per se sopra il detto usufrutto ne in vigore di detto Testamento, ne per qualunque altra Causa ius, ò ragione alcuna*. Et paulò infrà *promettendo dd. legati, nè alcuno di essi domandar mai più in Giudizio, nè fuori sotto qualsvoglia prete-*

pretesto &c. e non valersi rispetto ad essi legati, ne veruno di essi di detto Testamento come se à suo favore non fosse stato fatto -

5 respectu vero Tutoris pro Pupilla cum Vidua Contrahentis in hunc modum expressa fuerunt - *Item il medemo Signor Alessandro &c. promette, e s'obliga in conto, e saldo e final pagamento di tutte le predette ragioni &c. per l'usufrutto legato &c. dare alla medema Signora Maria Chiara &c. sc. 9. mil.*

6 Si igitur Maria Clara, ut verba mox transcripta ad litteram præseferunt, ita cessit, ac remisit usumfructum sibi legatum, ut etiam spopunderit, ac se obligaverit nullo amplius tempore illum fore in Judicio, vel extra petituram, si nullum super eo Jus, neque ex Defuncti viri Testamento, neque ex alia quacumque causa etiam necessario exprimenda sibi reservavit; Imo Testamentum Viri quoad hunc effectum perinde haberi voluit, ac si factum non fuisset, si Tutor correspective ad ejus modi cessionem constituit vicissim se Viduæ soluturum sc. 9. mil. pro integra solutione cum aliorum Jurium, tum, & maxime usus fructus; Jam

7 clarius est, quam quod dicendo exprimi possit, renunciationem, & cessionem fuisse omninò realem, & abdicativam, cum tam pactum de non petendo amplius adeò verbis conceptum, quam iudnles solutionis omnem omninò perimant agendi facultatem, sicuti in terminis etiam debilioribus firmant *Surd. decis.* 113. *num.* 2. *Fontanell. dec.* 393. *num.* 7., *& seq. Rot. coram Bich. decis.* 177. *num.* 15., *& in Recen. decis.* 712. *num.* 6., *& 7. par.* 18., *& in Maceraten. legit.* 6. *Decembris* 1720. §. *Quod autem coram Reve-*

8 *rendissimo Crispo*, & sepe alibi; Absurdum namque esset, ut quæ extimationem usufructus jam semel habuit, & eam retinere, & usumfructum denuò petere posset *Leg. si usufructus* 41. §. *Usufructus ff. de usufructu &c.*

9 Præterea si eadem Maria Clara in exponenda cessione expresse protestata fuit quoad usumfructum *di lasciarlo intieramente libero, & in tutto, e consolidato colla proprietà* -- jam nullus remanet ambigendi locus, quin cessio fuerit mere abdicativa, & extinctiva, non autem translativa, nam si

10 cuti consolidatio usufructus cum proprietate aliter fieri nequit, quam si Jus usufructus, quod pacto, vel Testamento constitutum fuerat, penitùs extinguatur, & intercidat §. *Item finit. inst. de usufruct.* in illis verbis ibi -- *quæ res consolidatio appellatur leg. si usufructus ff. de Jur. dotium*, ita

11 consequenter cessio, & renunciatio, quæ operari debet effectum consolidationis, necessario sumi debet extinctive, & abdicative, non autem translative; Transferendo enim Jus non extinguitur, sed directum remanet penes cedentem, & respectu utilis actionis mutatur tantum persona possidentis *Leg. quit ergò in fine*, *& ubi Gloss. ff. de pecul. Anton. Fab. Jur. Per. Papin. tit.* 12. *par.* 3. *Olea de cess. Iur. tit.* 3. *quæst.* 1. *n.* 5. ubi concordan.

12 Ad hæc accedit, quod Mater ipsa, quæ amplissimam cessionem eo pacto exposuit serio cogitavit de luctuoso casu, quo Filię superstes esset; Et nihilominùs nullum sibi regressum reservavit ad usumfructum, sed solum eo casu sibi cavit, ut ea cessio nullo esset impedimento, quo minus hereditatem filię, vel saltem legitimam ex ejus bonis con-

13 sequi posset: Regressum vero ad usumfructum reservavit dumtaxàt in alium casum, quo videlicet Tutor deficeret in implemento eorum, quæ ejus favore vicissim expromissa fuerant: Cum igitur ipsa de premature Cessionarię morte cogitans, eo casu legitimam, non usumfructum, hunc verò in alium solummodo casum reservaverit:

14 Consequens est, ut inter partes id actum fuisse dicatur, quod nempe si illa ante Matrem diem suum obiret, nullus esset Matri ad usumfructum regressus tanquam semel virtute cessionis extinctum, argumento *Tex. in Leg. unica* §. *Ubi autem Cod. de Caduc. Toll. Rot. coram Celso decis.* 263. *num.* 1., *& in Recentior. decis.* 81. *num.* 10., *&* 11. *par.* 17.

15 Neque est cur dicatur consolidationem usufructus intelligi debere de consolidatione impropria, & revocabili duratura, nempe quamdiu proprietas apud filiam permansisset; Cum Mater non aliter voluerit usumfructum cum proprietate consolidatum, quam intuitu, & contemplatione filię, quę non erat Irrevocabiliter Domina Proprietatis, sed solum revocabiliter, & ad eius vitam ibi -- *à favore di detta Signora sua figlia*, & ex ejusmodi causa omnia etiam Jura in Tutorem transtulerit ibi -- *anzi tutte le sue raggioni, & azzioni da, cede, e trasferisce à d. Sig. Tutore.*

16 Quamvis enim aliqui putent tunc solùm per cessionem extingui usumfructum, quando fructuarius cedit ei, qui est irrevocabiliter Dominus Proprietatis, secus vero quando prout in casu ejus cui ceditur fideicommissum, fuit, ut certa eveniente conditione, proprietatem alteri restituat; videri namque eo casu, Ius usufructus potius quam extingui, conquiescere, donec apud Cessionarium proprietas maneat; ex quo vero Proprietas in alium transfertur, cessare statim effectum consolidationis, & usumfructum in pristinam causam restitui, vel favore ipsius, qui dum Proprietatem possidebat, usumfructum proprio ęre acquisivit, vel si ille mortuus fuerit, favore ejus heredum, sicuti firmant *Molin. de Primog. lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 9. *Surd. cons.* 504. *n.* 8., *& per tot. de Marin. resol. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 10., *& seqq.*

Domini tamen dicebant, quod quidquid sit de veritate hujus opinionis, contra quam videtur urgere *Text.* satis clarus, & litteralis *in L. si tibi* 17. *ff. quibus mod. usufruct.*, & quam

& quam ex professo impugnant *Castil. de usufruct. cap. 62. num. 4. Olea de cess. jur. tit. 3. qu. 5. num. 27.* aliique relati per *Card. de Luc. de servit. disc. 59. num. 4.* Domini
17 inquam dicebant tunc solum d. quæstioni locum esse posse, quando hęres proprietariua non uti hęres, aut beneficio hereditatis, & fideicommissi, sed tanquam tertia Persona sibi ipsi cassionem usufructus stipulatus fuit, pręttiumque non ex bonis hereditariis, sed proprio ære persolvit, in quibus terminis loquuntur *Molin.*, & qui eum sequun-
18 tur locis mox allegatis. In casu autem, de quo agitur cessat penitus hęc quęstio, quia cessio usufructus exposita quidem fuit à Maria Clara favore filię, sed uti heredis proprietarię, non uti tertię Personę, & insuper pretium non ęre illius proprio, sed ex bonis hęreditariis solutum fuit: Proindeque non consolidatio, sed bene quidem subsequens translatio Jurium improprie ac-
19 cipi debet; Nam quando ceditur ei, qui sublato, & extincto cedentis Jure, Jure proprio totum consequitur, sicuti erat in pręsenti hęreditas Michaelis Angeli à Claricę repręsentata, quę, extincto usufructu in Persona Marię Clarę Jure proprio, & per viam consolidationis, plenam proprietem consequtura statim erat, quibuscumque verbis cessio concipiatur, sive abdicativis, sive translativis, ea non aliter operatur, quàm extinguendo Jura cedentis, ut bene ad rem distinguunt *Montan. conf. 10. Olea de cess. Jur. tit. 1. quæst. 2. num. 14., & seqq. Scbettin. de pact. futur. success. p. 3. sex. 5. num. 5. Rot. decis. 92. num. 21., & in Romana Immissionis 6. Martii 1719. §. Haud referente coram bon. mem. Ansaldo, & & in dicta Maceraten. legitimæ 6. Decembris 1720. §. Quantum verò cor. Reverend. Ravennaten.*

Quod autem cessio usufructus collata
20 fuerit in Claricem non uti tertiam Personam, sed uti hęredem proprietariam plura sunt ex quibus id certo conici potest. Ac primum quidem illud est advertendum, quod non commoditas fructuum, quę extraneo cuicumque cedi, & vendi valet, sed ut verba transactionis supra transcripta pręclare ostendunt Jus ipsum incorporale usufructus cessum fuit, nullo prorsus Jure apud cedentem remanente, ibi -- *non riservandosi per se sopra il detto usufrutto ne in vigore di detto Testamento, ne per qualunque altra Causa Ius, ò raggione alcuna* --
21 Cum igitur fructuarius cedendo usumfructum extraneo nihil agat *§. Finitur inst. de usufruct. leg. si usufructus ff. de Jure dot., Olea de Cess. Jur. tit. 2. qu. 5. n. 2., & tit. 3. qu. 1. num. 9., & seq., Gallerat. de renunc. ren. 55. sub num. 6., Roec. disp. Iur. cap. 49. num. 100., Salgad. Labir. Credit. par. 1. cap. 43. num. 25., & 26. cum seq.* consequens est, ut cessio censeri debeat facta non favore filiæ uti extraneæ Personæ, sed uti hæredis proprietariæ, dum ita solum cessio poterat de Jure consistere, & effectum suum operari, dicto *§. Finitur. inst. de usufruct.*,
22 nam regula Iuris est, ut actus quilibet semper censeatur factus eo modo, quo valere potest, ex deduct. per *Rotam cor. Ludovis. decis. 204. num. 17., & sequen., & alibi passim*.

Rursus si cessio facta fuisset favore filię ex Persona propria acquirentis, & non uti hęredis proprietarię, vel transiisset in eam tanquam tertiam, & extraneam Personam idem usufructus, qui antea ex Testamento Michaelis erat in Matre cedente, vel quod verius est constitutus in ipsa, eo pacto fuisset ex novo consensu Proprietariæ novus usufructus Iure illo, quod in Matre erat,
23 per cessionem perempto. Neutro autem modo usufructus consolidatus fuisset cum proprietate, sicuti Partes expresse voluerunt; nam consolidatio sequi non potest, nisi usufructus, & proprietas in una, eademque Persona simul conveniant d. *§. Finitur ist. de usufruct.*, in sensu autem Juria Persona proprietaria est omnino distincta, ac diversa à Persona hæredis, ut probant *Col. lect. per Card. de Luca de Fideic. disc. 187. num. 13.*

Ipsa insuper negocii Indoles, & tota transactionis series manifesto evincunt, non alia mente cessionem ejusmodi a Tutore procuratam, & a Vidua expositam fuisse, nisi ut per eam hæreditas Michaelis Angeli a servitute usufructus plenam ex tunc consequeretur, & irrevocabilem libertatonem; Constat enim in facto inter controversias co pacto tunc compositas aliam fuisse, utrum usufructus Uxori legatus intelligi deberet de pleno vel potius de simplicibus alimentis: Aliam, utrum Legatum Vidualis aliquid usufructui adderet anno luctus præter vestes lugubres; aliam utrum Fructuaria satis dare deberet de bene utendo, & abstinendo a secundis nuptiis: aliam utrum, quod Ludovicæ Testatoris Sorori pro complemento promissæ dotis in annos aliquo, solvendum supererat, numerandum id esset a proprietaria, vel fructuaria; Et denique aliam, utrum nempe Legatum mundi muliebris contineret etiam ea, quæ non usui Viduæ comparata, sed tanquam antiquata, jamdiu Domi recondita manebant; Cum autem istę omnes, & maxime, quæ usumfructum respiciebant controversiæ, non ad Personam, aut interesse proprium Claricis, sed ad hęreditatem Michaelis Angeli pertinerent, de plano consequitur, ut quemadmodum transactio inita fuit super rebus, & negociis hęreditariis, ita quodcumque jus ex eadem transactione quęsitum fuit, non Personę proprię heredis, sed hęreditati ipsi quęsitum censeatur *Leg. si profundo Cod. de transact., Vrceol. de transact. quæst. 82. num. 21., & seq., Rot. coram Dunozet decis. 837. num. 12., & in Hydruntina Pecuniaria 14. Decembris 1700. §. Creditum cor. cl. me. Card. de la Tremoille.*

Potiremo, & illud in facto constat, quod
nempe prætium Cessionis non de bonis pro-
priis Claricis, sed de bonis hæreditariis,
solutum fuit; nam, & nomen debitoris in
24 summa scutorum 800. Mariæ Claræ per Tu-
torem cessum, & unicæ argenti elaborati
224. eidem traditæ in actu transactionis non
ad Claricem, sed ad hæreditatem pertine-
bant; Rursus sc. illa 9. mil. per Tutorem
promissa non ære proprio Claricis, sed de
bonis hæreditariis soluta fuerunt.

Et deoique libertas transeundi ad secun-
25 das nuptias Viduæ concessa, quidquid sit
quoad alia legata, in quibus, quia relicta
noo fuerant sub expressa Viduitatis condi-
tione, fortasse Clarix juvari potuisset di-
spositione celebris, *Text. in Leg. Fæminæ*
26 *Cod. de secundis nuptiis*; Quod sanè attinet
ad usumfructum, cujus respectu ea condi-
tio nominatim adjecta fuerat, secum tulit
remissionem Juris propter floridam Viduæ
ætatem valdè considerabilis, & non quidem
ad Filiam, sed ad ipsam hæreditatem perti-
nentis, unde ex hoc quodque capite clarum
remanet, quod sicuti prętium transactionis
ab hęreditate solutum fuit, ita consequenter,
& lucrum omoe eidem hęreditati, non autem
Clarici cedere debuit, *Rot. in Bonon. Im-
missionis 2. Iunii* 1704. §. *Nec iterum, & se-
quenti, &* 15. *Martii* 1706. §. *Quodque res
cor. cl. me. Card. Priolo*;

Cum igitur, & cessio usufructus respectu
27 cedentis fuerit omnino realis, & abdicati-
va, & lucrum ex ea resultans tam ex mente
contrahentium, quam ex indole, & natura
negocii cesserit beneficio hæreditatis, & fi-
deicommissi nil est curandum, quod Clarix
in ejus Testamento Matrem nominatim re-
integraverit ad controversum usumfructum;
nam postquam hæreditas ab ea servitute li-
bera fuerat ex onoroso titulo transactionis,
licere amplius non poterat hæredi gravatæ
in præjudicium substitutorum nullam Cau-
sam ab ipsa habentium in actu restitutionis
hæreditatis novam super eam servitutem
imponere, ut io terminis advertit *Bellon.
cons.27.num.*331., *& de Jur. accresc.cap.*10.
*qu.*28. *num.*110., *& seq.*

Et ità *videntibus una mecum omnibus DD.*
utraque &c.

FANEN. IMMISSIONIS SUPER TRE-
BELLIANICA.

Lunæ 21. Junii 1723.

ARGUMENTUM.

Trebellianica, licet valide prohiberi possit fi-
liis primi gradus, non solum expressè, sed
etiam tacitè, in hac tamen decisione solidè
firmatur, quod non fuerit prohibita ex illis
verbis, *in tal caso chiamo nella mia eredità*.

SUMMARIUM.

1 *Trebellianica detrahi potest ab hærede hæ-
redis gravati.*
2 *Trebellianica prohiberi potest etiam filiis
primi gradus.*
3 *Non solum expressè, sed etiam ex conjectu-
ris.*
4 *Verba* in tal caso chiamo nella mia hæredi-
tà li figli *non inducunt neque expressè, ne-
que tacitè prohibitionem Trebellianicę.*
5 *Verba* tutta la mia robba *non inducunt pro-
hibitionem Trebellianicæ.*
6 *Extensio de casu ad casum, aut de persona ad
personam non admittitur in materia de-
tractionis Trebellianicæ.*
7 *Argumentum ex diversitate loquendi est
validum ad effectum excludendi prohibi-
tionem Trebellianicæ.*
8 *Trebellianica reservata à Jure hæredibus
etiam extraneis, multo fortius debetur
filiæ.*
9 *Argumentum ab absurdo deductum est le-
vissimum pro inducenda prohibitione Tre-
bellianicæ.*
10 *Conjecturæ pro effectu prohibitionis Tre-
bellionicæ debent esse valde vehementes.*

DECISIO MCCCXCIX.

POST resolutum dubium super usufructu,
proposui alterum -- An scilicet Trebel-
lianica debeatur, & DD. affirmativè res-
1 ponderunt; nam quo jure illa detrahi pote-
rat à Clarice hærede à Patre instituta, & per
fideicommissum gravata hæreditatem alteri
restituere, eodem quoque detrahi posse vi-
sa fuit à Maria Clara, io quam tanquam hæ-
redem in testamento scriptum omnia Jura d.
Claricis transierunt, *cap. Rainutius, & cap.
Raynallus de Testam., leg. quamquam ad
leg. Falcid., Pereg. de fideicom. art.* 3. *sub
num.*8., *Rot. dec.*203. *num.*1., *& seq. par.*4.
*tom.*1., *& d.*451.*n.*14.*p.*13. *rec.*, & sępe alibi.

Quamvis autem juxta veriorem opinio-
nem, quam sequitur Rota, detractio Tre-
2 bellianicæ etiam filii primi gradus prohi-
beri validè possit, ut collectis antiquioribus
dictum fuit *dec.*36., *&* 45. *cor. Ottbobon., &
in Romana primogeniture de Corsinis super
Trebellianica* 19. *Jan.* 1714. *cor. R.P.D. mea
Cerro*; immò verò ad hunc effectum suffi-
3 ciat, ut de voluntate defuncti liqueat ex co-
njecturis hujusmodi prohibitionem tacitè
inducentibus, *Rot. cor. Caval. dec.*421. *nu-
mer.*2., *&* 3., *& in Bonon. Trebellianicæ* 7.
Februarii 1716. §. *Licet enim, & seq. cor.
bo. me. Ansaldo*, ubi coocordantes.

Cum tamen in casu de quo agitur verba
substitutionis, ex qua Jus, & vocationem
suam, desumere tantum potest Comitissa
Francisca, ita se habeant. *In tal caso chia-
mo nella mia heredità li figli della Signora
4 Contessa Camilla Ferretti mia Sorella.* Ex
his utique verbis nulla deduci potest neque
ex-

expressa, neque tacita Trebellianicæ prohibitio, quando enim quis, ut in præsenti, simpliciter rogatur hęreditatem alteri restituere, etiam si Trebellianicam detraxerit, fidem suam exoivit, & hæreditatem restituisse videtur.

Quod si ad effectum inducendæ tacitæ prohibitionis recurratur ad aliã subsequentem substitutionem, in qua Testator dixit, quod non existentibus, aut deficientibus filiis Comitissæ Camillæ -- *Tutta la mia robba vada egualmente a tutte tre le mie Sorelle maritate* -- & plures sunt, quę huic obiectioni occurrunt responsiones; ac primum quidem respondetur, quod verba illa *tutta la mia robba*, quamvis latinè reddi pos-
5 sint, ac si Testator dixisset *totam hereditatem*, accipi nihilominus ęquè benè possint in alium sensum, ut videlicet defunctus per ea voluerit omnia *ejus bona* eo casu restitui tribus Sororibus pro virili, quo sensu nullam Trebellianicę prohibitionem inducerent, *Altograd. cons.84. n.48. tom 2., Mantic. de conject. lib 7. tit.12. n.17. §. Sed diversum, Rot. cor. Puteo dec.429. per tot. lib.2., & in Pisauren. hereditatis cor. clar. mem: Card. Priolo impress. ad ornat., Card. de Luc. tom.1. lib.9. dec.30. lib.10., & dec.31. n.12.*

Pręterea, & multo præstius respondetur, quod & si dicta verba apta essent tacitam hinc prohibitionem inducere, illam indu-
6 xissent in casu, cui adhęrent, nempè, quod non existentibus filiis Comitissę Camillæ, hęreditas restituenda fuisset tribus Sororibus nuptis, sed cum casus iste non evenerit, malè exindè arguitur ad similem prohibitionẽ in casu opposito, quo filii Comitissę Camillæ superstites fuerunt, nam in hac materia non fit extensio de casu ad casum, aut de persona ad personam, *Peregr. de fideicomm. art.3. n.122., Rota co. Caval. dec.441. n.5., & ad ornat. Card. de Luca de Testam. dec.61. nu. 13., & dec.62. n.17.* Imo ex hac diversitate
7 loquendi potius arguitur, quod Testator, ubi non voluit integram hæreditatem restitui, id expressit, ita ubi non expressit Trebellianicam prohibere noluerit, ut aliàs in puncto respondit *Rota in dicta Romana Primogenitura de Corsinis super Trebellianica 19. Jan.1714. §. Absque eo quod, & 22. Janii ejusdem §. Quin hujusmodi coram R.P.D. meo Cerro.*

Absque eo quod incongruum videri debeat, quod Testator voluerit Trebellianicam detrahi posse in prejudicium primi substituti, respectu autem ulteriorum Substitutorum, qui cæteroquin minus dilecti præsumuntur, filiam gravaverit totam, & integram hæreditatem restituere; ultra quod enim magis incongruum, absurdumque fuisset, si filię institutæ in sola & nuda proprietate hoc etiam pater ademisset benefi-
8 cium, quod extraneis quoque hęredibus leges reservarunt, quasi præmium aditionis, & restitutionis, dum in ea hypothesi filia inanem penitùs institutionis honorem absque ulla hæreditatis quota, pręter legitimam, quæ auferri illi non poterat, obtinuisset; cessat pręterea obiectio, quia forte Testator eatenus noluit Trebellianicam detrahi posse in nostro casu, quia hæreditas scindenda erat in tres partes, juxta numerum Sororum æquis portionibus institutarum. In primo autem, quia solos filios unius Sororis substituerat, nulla erat causa, cur filiæ Tre-
9 bellianicam prohiberet, & hæc ratio etiam possibilis sufficit, ut argumentum omne ab absurdo, & incongruitate deductum, quod cæteroquin de Jure levissimum censetur, omnino corruat: cum præsertim in hac materia non omnia argumenta, neque omnes coniecturę admittantur, sed illa solum, ex
10 quibus animus Judicis rapitur, quodammodo & compellitur ad credendum, quod defunctus Trebellianicam detrahi noluerit, ut dixit aliàs *Rota in Romana Trebellianicæ 15. Maii 1713. §. Sublata cor bo. me. Aasaldo, & in d. Romana de Corsinis §. Conveniebat, & §. Tacitam cor. R.P.D. meo Cerro.*

Et ita utraque parte informante, & omnibus Dominis una mecum suffragia ferentibus resolutum fuit &c.

ROMANA RELEVATIONIS.

Luna 26. Junii 1719.

Præsens decisio, quæ est confirmatoria alterius emanatæ sub die 10. Februarii ejusdem anni hic per errorem posita est, cui locus dandus erat in tom. 5. post decisionem 1130.

ARGUMENTUM.

Satis est fidejussori, ut relevationem adversus suum expromissorem valeat repetere, quod molestias ex parte creditorum principalis debitoris patiatur, neque litis exitum inter illos, & istum vertentis tenetur expectare.

SUMMARIUM.

1 *Relevatio indemnitatis in casu molestiarum promissa præstanda est ab obligato, statim hac fidejussor molestias patitur ex parte creditoris*, & n. 3.

2 *Obligatio Cameralis paratam habet exequtionem.*

4 *Exceptiones extrinsecæ à contractu, & altioris indaginis non retardant exequtionem obligationis Cammeralis.*

5 *Ratiocinator unius personæ non potest referre, & calculare super partitis ad suum dominium non spectantibus.*

6 *Excipiens de errore, istum probare tenetur nec ejus assertioni standum est.*

7 *Partitæ confessatæ à Procuratore debitoris legittime constituto, non possunt inutilibus exceptionibus refricari.*

8 *Relevatio non datur fidejussori pro partitis, quæ non proveniunt ex illo contractu, cui ipse accessit, sed ex diverso.*

DECISIO MCCCC.

PLacuerunt Dominis fundamenta decisionis editæ in Audientia diei 10. Februarii hujus anni coram Me; ideoque licet Partes hinc inde conquererentur super iis, quę juxta diversas earum prętensiones decisa fuerunt, & ob id adversus partitas distinctè in eadem decisione examinatas, jam relictas exceptiones repeterent, adhuc DD. standum esse *in decisis* responderunt.

1 Frustra siquidem in primis contendebant Valentini, quod antequam constitui ipsi possent Debitores relevationis promissæ illis de Sepiis, debeat expectari declaratio originarii debiti eorumdem de Valentinis cum Sacro Palatio, quæ quidem declaratio pendet à lite, quæ idcirco agitur coram R.P.D. Præfecto ejusdem Sacri Palatii Apostolici. Quoniam dum habent Fratres de Sepiis fundatam eorum intentionem in Instrumento publico Camerali obligatione munito, juxta quod à Hieronymo, & aliis Fratribus de Valentinis promissa ipsis fuit relevatio, & indemnitas pro quacumque molestia, & gravamine, quod in ipsos redundare posset ex causa fidejussionis expositę pro aliis Fratribus de Valentinis Administratoribus Promptnatii, quod vulgo nuncupatur *Dispenza* Sacri Palatii, & ipsi de facto hujusmodi molestias passi sunt, & patiuntur, utique non valet ullo modo retardari per exceptionem, quæ sub lite est, & altiorem requirit indaginem effectus
2 adeo clarę obligationis, quę æternquin semper promptam habere debet executionem, *Rota post Zacch. de oblig. Camer. dec. 251. n. 2., & 3., & dec. 527. n. 15. p. 19. rec. to. 2.*

Non obstante responsione, quod ratione
3 d. litis in alio Tribunali pendentis super eodem credito possit oriri Sententia contra Sententiam; quia quidquid secùs esset, si nondum Sepii solvere coacti fuissent pro Valentinis, dum hic, & nunc ipsi sunt in damno certæ, & determinatæ quantitatis jam ab ipsis solutę Sacro Palatio Apostolico, & sic eorum creditum ulla discussione, & calculatione non indiget, judicia hujusmodi diversa omnino sunt, & separata, cum alterum versetur super promissa relevatione inter Valentinos, & Sepiot sine ulla Sacri Palatii mixtura, & aliud de directo vertitur inter idem Sacrum Palatium, & Valentinos super diversa actione redditionis rationis eorum administrationis; unde certum remanet, quod nulla Sententia contraria præsenti resolutioni in hoc alio Judicio oriri poterit, solumque fortasse diversitas erit in summa, quæ si constituetur minor, poterunt Valentini à Sepiis, quod plus solverint
4 in causam relevationis repetere, sed non idcirco debent eorum obligationis adimplementum in præsenti tantum Judicio deductum ulterius protrahere per talem exceptionem omnino extrinsecam, ac distinctam ab intentata actione; juxta plenè firmat. *in dec. 162. n. 2., & dec. 677. n. 8. cor. Coccin. dec. 1003. n. 1. cor. Dunozz. jun., & dec. 727. n. 16. p. 19 rec.*

Hinc descendentes DD. ad partitarum examen, nullatenus crediderunt reassumendum singulare earum examen, ut fecerant Partium Defensores, cum adversus illas nulla de novo exceptio proponeretur, itaut nihil aliud inde actum fuisset, quam inutili repetitione jam dicta retexere. Hinc propterea sese ad aliquas restrinxerunt, & de ea præsertim mentionem faciendam esse censuerunt, quæ in decisione, quæ revidetur, calculatur favore Fratrum de Sepiis §. *Quarta partita*, & *seqq.*

Exceperunt porro Fratres de Valentinis quoad istam partitam, quæ provenit ex computo *di spese minute*, & ascendit ad scuta 204. 72., minuendam esse ejus quantitatem contraponendo aliam partitam scut. 190. 31. cujus se creditores asserebant Sacr. Palatii ex eadem causa. Fuit tamen responsum, quod neque probatur, neque erat ulteriùs bonificanda, dum factis post eam calculis per Ratiocinatorem Sac. Palatii, receperat mercedem suam, & fuerat jam bonifica-
5 ta. Hodiè vero iterum opponebant justificari talem partitam in eorum *Summ. num. unico*, & computum illam de facto non comprehendere posse, quia illam calculare non pertinebat ad eumdem Ratiocinatorem Sac. Palatii, sed ad alium Ratiocinatorem Cameræ, quia percuteret non debitum Palatii, sed Camerę.

Nulla ex his oppositionibus subsistebat, quia documentum *in n. unico Summarii* registratum respicit partitam scutorum 110., & hic agitur de scutis 190., & ejus legalitas etiam impugnatur à Sepiis. Computum vero Ratiocinatoris illam omnino comprehendere debuit, quia est partita mensis Julii, & illud calculat creditum, & debitum usque ad mensem Octobris; alias enim es-
6 set excipere de errore, qui concludenter probari deberet, & non ex sola Partis assertione *Rota dec. 1357. n. 4. cor. Coccin., dec. 64. n. 8. p. 16., & dec. 584. n. 11. p. 19. rec.*

Quod demum hæc partita esset à Ratiocinatore Cameræ calculanda nimis probat, Probat enim, quod non respicit debitum Sacri Palatii, sed Cameræ, & inde statim sequitur, quod nequit opponi Sepiis, qui agunt tantum de credito Sacri Palatii ab ipsis soluto ratione fidejussionis emissę pro Valentinis Administratoribus Promptuarii Sacri Palatii.

7 Quoad alias in decisione admissas, & quę prætendebantur hodie vel erroneæ, vel duplicatæ, vel minores in summa, brevius sese DD. expedierunt, advertendo, quod in his eorum prætensionibus habent Valentini contra se confessionem in nostro Tribu-

gali

nali plurimum attendendam *facti* per eorum Procuratorem legitimè constitutum *coram Me concordati*, ideoque non possunt illas inutilibus exceptionibus refricare.

Agendum fuisset de illa scutor. 1048., de
8 qua in decisione, quæ confirmatur §. *Superest*, exclusa in præsenti Judicio à Credito relevationis petitæ à Sepiis, quia non proveniret ab administratione, in qua ipsi fidejusserunt. Conabantur isti ostendere, quod ea proveniret ex consimili, imò majori summa depositata penès Montionum pro dimittendis Salariatis, juxta partitas librorum ejusdem Montioni, aliaque documenta: sed obstat rursus, quod ista summa ad Valentinos non pervenit ex causa d. administrationis, quia statim fuit pro alio diverso eorum debito à Montiono opposita ejus retentio, & sic præfatam administrationem non jàm amplius respicit illius solutio facta eidem Montiono, seu ejus conversio inCambium contractum à Sepiis favore ejusdem Montioni, ut advertit eadem decisio §. *Absque eo quod*: & non erat proinde subjecta actioni hodie propositæ pro relevatione ex causa molestiarum passarum ratione obligationis fidejussoriæ expositæ à Sepiis cum promissione relevationis emissa à Reis conventis, contra quos ideo pro hac summa agi non potest, quidquid secus sit adversus Principales debitores Ioannem Franciscum scilicet, & Philippum, in quorum gratiam onus Cambii supradicti, Sepii subierunt.

Et ita relativè in omnibus ad præcedentem decisionem, quam confirmarunt, Domini responderunt utraque &c.

ROMANA, SEU' VITERBIEN. MANUTENTIONIS.

Ven. 2. Iulii 1723.

ARGUMENTUM.

Posterior possessio, validiori tamen titulo, quo non esset anterior suffulta, semper isti præferenda est in manutentione.

Donatio non per Epistolas, nec velleitates in eis expressas, sed per actus serios, & proportionatos probanda est.

SVMMARIVM.

1 *Manutentio concedenda est possidenti cum titulo valido, & legittimo.*
2 *Possessio, licet posterior, quando est bone jure suffulta præfertur anteriori destitutæ titulo justo*; amplia, ut in n. 3.
4 *Proximioritas potius unius, quam alterius probari potest etiam per Epistolas à proprio auctore scriptas.*
5 *Donatio non probatur per Epistolas, & verba non effectuata, simplicem potius animi velleitatem denotantia, cum illa voluntatem omnino certam requirat.*
6 *Amplia, si dd. Epistolæ non essent responsivæ præcedenti donatarii petitioni, sed simpliciter missivæ, ex quibus simplex tantum pollicitatio oriretur.*
7 *Pollicitatio neque cautionem, neque obligationem induit.*
8 *Judicium summarissimum possessorium non admittit ea, quæ petitorium, & particulare respiciunt judicium, ac altiorem requirunt indaginem.*

DECISIO MCCCCII.

Revocato in Tribunali A. C. Judicato Curiæ Laicalis Viterbii, quo decreta fuerat manutentio in possessione controversæ medietatis Domus cum Viridario favore Porticelli, eaque concessa Fratribus de Bufalariis, Signatura Justitiæ rescripsit cum clausula -- *Alteri cum facultate manutenendi quem de jure*: unde Ego hodie proposui Dubium -- *An, et cui sit danda manutentio* -- quod fuit resolutum favore Fratrum de Bufalariis.

1 Ipsi namque docent de sua possessione legitimè capta auctoritate Judicis, & insuper constat ex confessione Patris illorum de Porticellis Collitigantium, & ex aliis documentis exhibitis, dd. Fratres tamquam proximiores esse heredes ab intestato Francisci Ciavarini, cujus est hæreditaria controversa medietas Domus cum Viridario, de quibus agitur; ideoque Fratribus prædictis, veluti Possessoribus cum titulo valido, & legitimo omninò concedi debuit manutentio, ad tradita per *Posth. de manuten. obser.* 42. *n.*137. *Menoch. de retinen. remed.*3.*num.*790. *Gratian. discept. forens. cap.*870. *n.*18. *Peregrin. de fideic. art.*46. *n.*1. *Rot. cor. Emerix jun. dec.* 1234. *n.* 1. Cum ea non magis reguletur à possessione, quam à subsistentia boni Juris, ut dixit *Rota in Forolivien. Domus super Manutentione* 25. *Iunii* 1717. §. *Præsertim coram Reverendiss. Herrera Episcopo Seguntino*.

2 Jure proinde meritoque nulla habita fuit ratio possessionis licet anterioris illorum de Porticellis, quia cum hæc destituta appareat justo titulo, cui innixa videri possit, remanet prorsus inefficax in concursu alterius possessionis, quamvis posterioris, roboratæ tamen assistentia bonis Juris; quod eo
3 certius procedere visum fuit in hypothesi, quia dicta anterior possessio concessa, & respective capta videtur cum clausula -- *Sine præjudicio habentium meliora, et potiora Jura*, quæ efficit, ut possessio ista non sit manutenibilis, quoties compareat alter habens meliora, & potiora Jura *Gratian. cap.* 870. *n.*32. *Posth. de manuten. observat.* 50. *nu.*1., *et* 5., *et observat.* 71. *n.*39. *Rot. cor. Cavaler. dec.*654. *n.*12.

Frustra verò ad roborandam possessionem illorum de Porticellis afferebantur tituli, vel assertæ proximioritatis ipsorum cum de-

defuncto Clavarino, vel prætensę donationis controversæ Domus eorum favore factæ ab eodem Clavarino, vel demùm crediti, quod habuisse dicitur Dominicus Senior de Porticellis pro pretio cujusdam Aromatariæ per eum venditæ contra Josephum pariter de Porticellis illius Emptorem, & olim Possessorem dictę Domus, quæ postea obvenit Virginiæ Porticelli, & ab ista donata fuit Francisco Clavarino. Primus namque, & secundus ex hisce tribus titulis nullo pacto subsistere compertus est; tertium verò crediderunt Domini minime suffragari posse, ad effectum impediendi manutentionem, Fratribus de Busalariis.

4 De insubsistentia primi, satis liquet ex eo, quod nedum illi de Porticellis nullum afferunt documentum comprobans assertam eorum proximioritatem cum defuncto; verum prætereà ipsis quoad hoc obstat epistola Patris, in qua fatetur proximioritatem Fratrum de Busalariis.

5 Ut etiam minus subsistit secundus titulus prætensæ donationis, cum ea non aliunde eruatur, quàm ex duabus epistolis Francisci Clavarini, quæ revera nihil ad rem concludunt; licet enim in altera ex eis Porticello directa sub die 25. Novemb. 1713. idem Clavarinus scripserit respectu controversæ Domus *V.S. entri pur subito in Casa, e stia certo, che non ne uscirà più*, & in altera directa Carolo Baccio 7. Aprilis 1717 illud quoque addiderit -- *Essendo stata quella Casa della Famiglia Porticelli, hò havuto sempre mira di lasciarla al Signor Porticelli, e di esigere sola la piggione in vita mia, e però lei operi, che ne segua l' effetto*; Cum tamen donatio de sui natura requirat voluntatem omninò certam, & deliberatam, prædicta verba, quę per plures annos, & quamdiù Clavarinus superstes fuit, nullum habuerunt effectum, apta minimè sunt illam inducere, cum præseferant potius, ut ipse eventus comprobavit, propositum quoddam imperfectum, & simplicem animi velleitatem, ut in terminis epistolę familiaris probat *La-*

6 *dereb. conf.* 101. *n.*1. *cum seqq.*, si præsertim animadvertatur, quod dictę epistolæ non sunt responsivæ ad præcedentem aliquam petitionem Porticelli, sed altera conscripta Tertio, & altera simpliciter missiva, ex qua de jure non oritur nisi simplex, & nuda

7 pollicitatio, quę neque actionem parit, neque obligationem inducit, ut communiter docent Scribentes *in l. Publia §. ultimo ff. depositi; & in l. Emptor §. Lucius ff. de pact. Laderch. dicto conf.* 101. *n.*8. *Mart. vot. Pisan.* 167. *per tot. Rot. dec.* 57. *num.* 3. *par.*8. *recent.*

Creditum denique pro pretio Aromatariæ, quatenus subsistat, censuerunt Domini, proponendum esse à Porticellis in suo congruo, & separato Judicio Immissionis in

8 Salviano, cum in hoc summariissimo Possessorio nequaquàm admittantur ea, quæ pertinent ad aliud particulare Judicium, & ulteriorem indaginem exposcunt, juxtà firmata per *Rotam in Melphiten. Manutentionis* 3. *Maii* 1719. *§. Proficente, & seq., & §. finali cor. R.mo Herrera*.

Et ita utraque &c.

ROMANA STATUS ZAGAROLI SUPER MANDATO DE RESTITUENDO.

Lunę 29. Novembris 1706.

ARGUMENTUM.

Hæc decisio est confirmatoria alterius in ordine la 415., in qua denuò firmatur, quod Gratia sub aliqua conditione concessa suffragari non potest, nisi conditio adimpleatur, quodque Papa per Chirographum parificationis jurium creditorum posteriorum, cum creditoribus anterioribus non intelligatur præjudicare eisdem creditoribus anterioribus cum hypoteca.

SUMMARIUM.

1 *Gratia sub aliqua conditione concessa, suffragari non potest, nisi conditio adimpleatur.*

2 *Creditor posterior cum assensu nequit avocare pecunias retentas à creditore anteriore assensu destituto.*

3 *Quando ex tenore Chirographi privilegium non resultat, aut petitum non est, attendi non meretur.*

4 *Nec allegari valet privilegium prælationis adversus creditores anteriores, si non fuit expresse concessum.*

5 *Gratia concessa ad formam alterius gratiæ jam ante collatę, ejusdem qualitatis censeri debet.*

6 *Relatio operatur, ut omnia perinde habeantur in referente, sicut expressa sunt in relato.*

7 *Remissio prohibitionis hypotecæ per Pontificem concessa nullum gradum prælationis constituit inter creditores.*

8 *Expressio de satisfaciendis aliquibus crediteribus adiecta non videtur taxativè, sed demonstrative tantum.*

9 *Gratię, quę exorbitant à Jure non protrahuntur ultra naturam actus, & voluntatem concedentis.*

10 *In Gratiæ concessione præsumptio est, quod Papa ad id moveatur à Jure, nec velit præjudicium tertiis creditoribus inferre.*

11 *Dummodo in aliquo effectus gratiæ verificetur, nunquam ipsa remanet de vento.*

12 *Denegato aliquod remedio ad impugnandum actum non exinde prohibitum censetur alia ratione ipsum infringere.*

13 *Quod ad cautelam adhibetur non arguit necessitatem in agente.*

DECISIO MCCCCIII.

FUerat in decisione edita coram Me sub die 10. Maii præteriti responsum, quod nullum esset relaxandum mandatum favore Domini Ducis Rospigliosi contra Dominum Ducem ab Altemps pro reintegratione summæ, quam ipse Dominus Dux Rospigliosus condemnatus fuerat solvere Domino Principi Burghesio: & hodie revocatis ad trutinam ejusdem decisionis fundamentis, cum illa per DD. fuerint approbata, In decisis standum esse responsum fuit.

Iterum advertentes, quod cum in Chirographo san. mem. Clementis X. Domino Duci Rospigliosio permissa fuisset retentio scutorum 63930. ex integro pretio Status Zagaroli prò longè majori summa per ipsum acquisitis, quoties tamen satisfacti remansissent omnes Creditores cum assensu Principis Ludovisii venditoris, eo ipso, quod Dominus Princeps Joannes Baptista Burghesius
1 talis erat, & spoliatus fuit de scut. 25. mil. ab anterioribus, indè sequitur, quod gratia pro retentione concessa, ei suffragari non possit, quia non fuit verificata conditio prędicta, ideoquè sicut illius vigore tenebatur dimittere Dominum Principem Burghesium, ita illi solvendo nullum Jus acquisivit adversus Dominum Ducem ab Altæmps Creditorem, licet sine assensu longe tamen anteriorem pro avocandis pecuniis ab ipso retentis,
2 sed tantum conditionem sibi impositam adimplevit, ut gratia eidem utilis redderetur, ex firmatis per *Rota cor. Cavaler. dec. 561. n.1. cor. Dunozett. Jun. dec. 811. nu. 11. cor. Bich. dec. 255. n. 2., & cor. san. me. Alexandro VIII. dec. 11. n. 67., & in recen. dec. 769. n. 5. 6 part. 18.*

Parum relevante, quod san. mem. Clemens X. postquam demandavit, quod pretium Status Zagaroli distribueretur omnibus Creditoribus Principis Ludovisii assensu Apostolico suffultis, statim addiderit, *Che il medesimo Gio: Battista Compratore resti tutto, e sicuro nel modo, e forma appunto, & ad instar del restante prezzo da pagarsi à Creditori anteriori, e potiori, in conformità de sopradetti Chirografi di Clemente IX.* -- ex quibus verbis iterum inferebatur Summum Pontificem pro dictis scutis 63930., eidem Domino Duci Rospigliosio concessisse privilegium potioritatis, seù prælationis contra quoscumque Creditores non habentes assensum Apostolicum, itaut ipse tamquam potior licite possit à Domino Duce ab Altęmps d. assensu destituto summam vigore mandatorum D. Principi Burghesio restitutam avocare.

Quoniam hujusmodi assertum Privilegium non verificatur. Tum quia de illo in toto Chirographi contextu nulla legitur fa-
3 cta mentio. Tùm quia nec fuit petitum à Domino Duce Rospigliosio, qui noscens, quod in secundo Instrumento venditionis dicti Status ex nova conventione inita cum Principe Ludovisio retinendi ratam pretii scut. 63930. in satisfactionem propriorum Creditorum, quamvis posteriorum, innovatum remanserat primum Instrumentum, in quo tale quid non continebatur, supplicavit pro confirmatione, & approbatione hujus posterioris Contractus, ut ea mediante pro dicta summa tutus, & securus redderetur, ac si illam ad formam Chirographi, quem præcedenter obtinuerat à san. mem. Clemente IX. ad beneficium Creditorum deposuisset.

Quamobrem si ad tenorem hujusmodi primi Chirographi totum pretium Creditoribus fuisset persolutum, Dominus Dux Rospi-
4 gliosus assertum privilegium prælationis, & potioritatis non acquisivisset in præjudicium aliorum Creditorum habentium hypothecatum Statum Zagarolæ, ità & multò minus acquisivisse dicendum est, vigore alterius subsequentis Chirographi Clementis X., in quo prescindendo à sola retentione scut 63930. in nihilo fuit innovatum Chirographum Clementis IX. Imo è converso ad illud fuit habita positiva, & expressa relatio ibi -- *in conformità de' sopradetti Chirografi di Clemente IX.* - per quam sicuti censetur repetita, & preservata eadem condi-
5 tio, & forma, cum qua fuerat celebrata pręcedens venditio pari ratione gratia retentionis dictorum scut. 63930. dici debet qualificata cum eadem conditione, quod fuerint dimissi omnes Creditores anteriores, & potiores, attento, quod relatum dicitur esse in referente cum omnibus suis qualitati-
6 bus, & pactis perindè, ac si vere realiter, & materialiter essent repetita, *Gratian. discept. forens. cap. 751. n. 2., Rot. cor. Priolo dec. 423. n. 4., & in Senogallien. Legatorum 28. Iunii 1702. §. Ità cor. Eminentiss. Tremoille.*

Et licet in hoc ultimo Chirographo subdat. -- *Vogliamo però, che questa nostra grazia habbia solamente effetto, in caso, che col restante prezzo di detta vendita possino essere sodisfatti tutti, e singoli Creditori, che hanno hipotecato, & obligato per li loro Crediti col Beneplacito Apostolico detto Stato* -- quasi quod hisce verbis Pontifex voluerit Creditores Beneplacito Apostolico munitos contradistinguere ab altera specie eorum, qui sunt illo destituti, ipsumque D. Ducem Emptorem ab illis tutum, & securum reddere, eisque potiorem constituere.

Tamen non benè hinc infertur fuisse volitam exclusionem aliorum Creditorum hypothecariorum, quia Pontifex ad hujusmodi specificationem devenit cum supposito, quod per assensum Creditores efficerentur cęteris omnibus potiores, ut etiam convincitur ex verbis ejusdem Chirographi ibi -- *Vogliamo però, che questa nostra grazia habbia solamente effetto* -- quæ ostendunt
7 fuisse illi suppositum, quod solummodò Creditores cum assensu haberent obligatum, &

hypo-

hypothecatum Statum Zagarolę; cum au-
tem re funditus examinata contrarium fue-
rit sępius à nostro Tribunali resolutum, &
signanter coram *Buratt. dec.*401. *n.* 3., *cor.*
*Emerix dec.*950., *&* 964. *utrobique n.* 19. *in*
*recent. dec.*331 *n.*1. *part.*14., cum aliis alle-
gatis in Decisione, quę revidetur §. *Etenim*,
dici debet in necessariam consequentiam,
quod expressio Creditorum cum assensu fue-
rit facta solum demonstrative, non autem
taxative ad exclusionem aliorum Credito-
8 rum hypothecariorum, qui parem cum iis
Causam habere potuissent, ut optime firma-
vit *Rot. dec.*291. *nu.*2. *cor. Mellino*, *& de-*
*cis.*288. *n.*8. *part.*5. *recent*, , *in Romana*, *seù*
Januen. Pecuniaria 12. *Febr.* 1700. §. *Etenim*
& seq. cor. Emo Caprara, *&* 17. *Februarii*
1702 §. *Tum quia*, *& seqq. cor. Emo Tre-*
moille, *et in Romana Immissionis* 6. *Iunii*
1710. §. *Sed quatenus coram R. P. D. meo*
Priolo; quod, & clarius convincitur, ex quo
translationem omnium, & quarumcumque
hypothecarum nominatim factam ab ejus
Antecessore super pretio Status Zagarolæ
nulla adhibita distinctione inter Creditores
cum assensu, vel sinè constantissimè confir-
mavit, & approbavit.

Non attento quod gratia de qua agitur
concessa fuerit motu proprio, & ex certa
scientia, habeatque in ventre derogationem
Regulę de Jure quæsito non tollendo, ideo-
que de sui natura tamquam Tertio præjudi-
cialis pernecesse secumferre debeat inten
tionem pręjudicandi Juribus, & hypothecis
9 Creditorum; quoniam omisso quod hujus-
modi gratię, quę sunt exorbitantes à Jure
extendi non solent ultra naturam actus ge-
sti, & voluntatem Concedentis, cum in
præsenti voluerit Papa procedere prout de
Jure, non autem prçceptivè jubendo, quod
nullus Creditor super dd. sc. 63930. Jus, &
actionem exercere posset, exindè sequitur,
quod Verba Chirographi ad Juris limites in-
telligenda sunt, cum prçsumptio sit, quod
Papa moveatur à Jure, quodque noluerit
10 tertiis Creditoribus in dicta summa præju-
dicare, ut illam donaret Domino Duci Ro-
spigliosio, benè *Rot. cor. Millino dec.* 291.
*nu.*2.3., *& in Romana Salviani* 15. *Junii*
1693. §. *Fundamentum cor. Rmo Hervault*,
& nuperrimè in altera Romana Salviani 2.
Junii 1706. §. *Minus obesse coram R. P. D.*
meo Priolo.

Atquè ex his removetur objectum, quod
alias dicta gratia remaneret elusoria, & de
Vento, si Ducem Emptorem non constitue-
ret immunem à molestiis aliorum Credito-
rum, nec eum redderet potiorem ceteris
omnibus hypothecis. Illa enim, etiamsi di-
ctum Privilegium prçlationis, & potiorita-
tis non tribuat, attulit tamen non modi-
cam utilitatem dicto Domino Duci, quia
11 per eam fuit parificatus quamvis posterior
omnibus Creditoribus anterioribus, quibus
ex vi primi Brevis Jus competiisset super di-
cto Statu, & per hanc parificationem tutus
fuit effectus respectu residualis Ratæ prç-
tii scut. 63930. ab illis, qui alias potuissent
dictum D. Ducem Emptorem compellere
ad deponendum d. pretii ratam.

Tandem multo minus obesse visum fuit,
quod Dominus Dux ab Altæmps cum non-
nullis aliis Creditoribus Principis Ludovisii
adiverint Signaturam Gratię pro obtinenda
aperitione Oris adversus sæpedictum Chi-
rographum, & negativum prodierit rescri-
ptum videlicet -- *Nihil de aperitione Oris* --
quia non per hoc præclusa remansit Via, qua
Dominus Dux ab Altęmps tueri se posset à
petita avocatione peculiarum; nam ipse
non impugnat gratiam ex dicto Chirogra-
pho promanantem, sed cum illo se tuendo,
excipit, quod gratiam Pontifex fuit dumta-
xat elargitus ad hoc, ut pro pecuniis reti-
nendis Emptor remaneret tutus, & securus
12 dummodò remanerent satisfacti Credito-
res -- *Volendo*, *che per le sudette somme re-*
stituto, *e sicuro*, *e questa nostra grazia*
habbia solamente effetto in caso, *che col re-*
stante del prezzo &c. possano esser sodisfatti
tutti, *e singoli Creditori &c.* -- non autem
ut illius vigore pecunias à Creditoribus
avocaret, prout rimato toto Chirographi
contextu, tale quid constitit non fuisse con-
13 cessum; ex quo sequitur, quod nullum re-
sistit Breve Apostolicum D. Duci ab Al-
tæmps, & Signatura Gratiæ non quidem ex
necessitate, sed ad cauthelam potius adita
fuit, ut sepissimè practiari probant *Marescot.*
*var. resol. lib.*2. *cap.*37. *n.* 65., *Rota coram*
*Pamphil. dec.*81. *nu* 8., undè illa ad ità re-
scribendum processit, non ex quo noluerit
obstaculum removere, sed quia petito re-
medio opus non esset. Ideoque non mirum,
si bene hanc veritatem agnoscens ipsemet
Dominus Dux Rospigliosus, non attento
dicto rescripto Signaturę Gratię curavit, ut
Causa reproponeretur in nostro Tribunali,
quod utique non fecisset, si verè illud Do-
mino Duci ab Altæmps impedimentum ali-
quod præstitisset.

Et ità approbantes etiam DD. cætera fun-
damenta in prçcedenti decisione deducta
Utraq; Parte informante responderunt &c.

Finis Sexti, & ultimi Tomi.